


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 92

II = Marginalien S. XII – XVI
Unterstreichungen S. 1. 4.
Striche am Rande S. 22

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

ANIMÆ
HVMANÆ NATVRA AB AUGUSTINO DETECTA

In Libris de Animæ Quantitate, Decimo de Trinitate, & de Animæ Immortalitate.

EXPONENTE

MICHAELE ANGELO FARDELLA
Drepanensi, Sac. Theologiæ Doctore, ac in Patavino Lyceo Astronomiæ, & Meteororum Professore.

SUB AUSPICIIS

Eminentissimi, & Sapientissimi

HENRICI S. R. E.

TITULI S. AUGUSTINI CARDINALIS DE NORIS.

Opus potissimùm elaboratum ad incorpoream, & immortalem Animæ humanæ indolem, adversùs Epicuri, & Lucretij Sectatores, Ratione prælucente, demonstrandam.

VENETIIS, M. DC. XCVIII.
Sumptibus Hieronymi Albricci.
SUPERIORVM PERMISSV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

Eminentiſs.me Princeps.



Um olim in manus meas incidiſſet aureum illud, ac inſigniſſimum Opus, quo ab Adverſariorum calumnijs Orthodoxam incomparabilis Auguſtini doctrinam ſumma quadam ingenij vi, ſummoque acumine tàm ſolidè, tamque feliciter vindicaſti

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

Eminentiſsime Princeps, idque quàm accuratiſsimè oculis, animoque perluſtraſsem, illicò intellexi, quàm iniquè nonnulli audaces homines Auguſtinum de Mentis noſtræ natura ratiocinantem enormiter a vero deflexiſſe, corporum nempé mole, ſpatiorumque dimenſionibus humanas Animas tumere, Tertulliani veſtigijs inſiſtentem, docuiſſe tueantur. Quidnam abſurdius, quidnam a tanti Viri dignitate, ac propè divinà eruditione alienius dici poteſt? Siquidem mihi perdoctas, ac nervoſas vindicias tuas, Hipponenſis deinde Antiſtitis præclariſſima, & admiranda Opera cogitatione revolventi, manifeſtè innotuit, nullum ex Chriſtianis Philoſophis ſaniùs, ac ſolidiùs humanæ Mentis affectiones inveſtigaſſe, quàm perſpicaciſſimum Auguſtinum, qui haud extrorsùm, ſed intùs in ſuis veluti penetralibus intelligentem inſpiciens Animam, hanc incorpoream, ac ſempiternam eſſe, in ipſomet incommutabili Vero animo noſtro conjuncto proſpero eventu detexit, atque adversùs Epicuri ſectatores acriter diſputans, robuſtiſſima argumentatione demonſtravit. Idcircò interiori, ac recondita illius philoſophandi ratione

atten-

attentiùs expensa, sinceram, ac legitimam Animæ inquirendæ Methodum, quam in nullo priscorum Sapientum codice inveneram, deprehendi; quam adamussim ad usum revocans, Animam a corporis mensuris abhorrere, immortalique vita perfrui, quod anteá, tanquàm involutum arcanum in Sacrosanctæ Religionis pectore delitescens, sola fide tenebam, in ipsiusmet Rationis fulgore deinde prospectavi, summoperè gaudens, me in luminis ingeniti notionibus insignius Catholicæ Pietatis rudimentum reperisse. Quæ cum ita se habeant, Veritatis, & Augustini Apologiam eodem quodammodo tempore contexens, arduum hoc, meisque profectò viribus impar Opus aggressus sum, quo ea Augustini cogitata potissimum aperire, & exponere curavi, quæ, & quàm incorrupta, & inculpata tàm Sacri Authoris doctrina de Animæ natura sit, indicarent, ac unà, in Orthodoxæ Religionis triumphum, a corporea magnitudine, & interitu humanam Intelligentiam immunem esse, ostenderent. Attamen cui hasce meas elucubrationes offerre debueram, nisi Tibi Sapientissime, & Ornatissime Princeps, qui me ad excelsam Augu-

stini

ſtini Mentem perſcrutandam, magiſque ſalutares veritates evelandas tuis celeberrimis ſcriptis excitaſti? Quin etiam multa alia me, ut egregio, & immortali tuo nomini hoc Opus dedicem, hortantur, & invitant: Etenim Auguſtini doctrinam interpretans, Te ut Patronum, ac Mæcenatem ſalutare cogebar, dum & maximis ingenij viribus, ſuaviſſima morum integritate, maſculæ eloquentiæ robore, & permirabili omnigenæ eruditionis ornamento ſingulares Auguſtini dotes animi tui magnitudine complecteris, Auguſtinum inſigniter æmularis, cuius acerrimus Vindex es, ac Filius, cujuſq; auguſto nomine decorata, ampliſſima S.R.E. Purpura exornaris, ut verè Auguſtinianam Sapientiam, pietatem, ac miram judicij vim undecunque redolere totius Orbis admiratione videaris. Vale Magne Literarum Arbiter, atque Opus hoc pluribus tibi nominibus obſtrictum fovere præſidio tegere, & ab inimicorum injuriis ſumma qua præfulges & Virtute, & humanitate vindicare velis.

Eminentiæ Tuæ

Humiliſs. Addictiſs. & Obſequentiſs.
Michael Angelus Fardella.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

Noi Refformatori dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Antonio Leoni Inquiſitore, nel Libro di Michiel Angelo Fardella intitolato *Animæ Humanæ Natura ab Auguſtino detecta*, non eſſervi coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi concedemo licenza, che poſsi eſsere Stampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, & di Padova.
Data li 12. Luglio 1698.

Antonio Grimani K.r Proc. Ref.
Sebaſtiano Foſcarini K.r Proc. Ref.

Agoſtin Gadaldin Segr.

Noli

Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, ſed ex divina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere. Siquid in eis veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum, at intelligendo, & amando & tuum ſit & meum. Si quid autem falſi conviceris, errando fuerit meum, ſed jam cavendo nec tuum ſit nec meum.

D. Auguſtinus lib. iij. de Trinitate.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIO.

DEcimum Octavum Annum agebam, cum ingenita sciendi cupiditate in me vehementiùs excitata, Cœlum, astra, elementa, totiusque spectabilis Universi miram harmoniam, & elegantiam accuratè perpendens, sic mecum ratiocinari incæpi: Si magnum, & admiratione dignum est id, quod in amplissimo mundanorum corporum theatro Naturæ creantis industria fabrefacto, & oculis, & animo intuemur, admirabilior profectò, major, & longè præstantior erit Animus, qui cunctis corporibus intelligentia destitutis excellens, non tantum est, & vivit, verùm etiam intelligendo, & se existere, ac vivere scit, in cuius memoriæ sinu spatiorum immensorum, totque immanium corporum ingentes imagines continentur; quin etiam tàm ille potest, ut unico obtutu integrum cœlestis Orbis hemisphærium capiat, atque Lunam, Solem, reliquasque planetarum evagantium moles imaginatione complectatur. Idcircò spe magna adductus, tàm potentis, tàm robusti, ac vivacis animi sublimem indolem, ac latentes affectiones evelandi, & ut melius dicam, insigniorem, nobilioremque hominis partem dignoscendi, celebratissimos Viros, qui tunc temporis in Trinacria, & ingenio, & doctrina florebant, adivi, consulens illos, & enixè rogans, ut quid sit Animus, qui cogitatione elementares & æthereas Regiones claudit, mihi planè aperirent, ne me nesciens, veluti mente captus, aut delirans, primùm extranea, remotissima, atque ea, quæ inferioris sunt naturæ, præposterè investigarem; Quippè qui existimabam, multò magis se ipsos mirari, & scire eos, qui telluris viscera, abditiores firmamenti recessus, syderum cursus, maris æstum, ipsamet etiam infinita spatia, quæ extrà mundi confinia distenduntur, cogitatione agitant, & improbo labore revolvunt. Attamen mea me fefellit opinio: Siquidem audacter fatebantur, se Animi naturam ignorare, spiritalia, & invisibilia confusè tantum, & obscurè percipere, corpora, & quę sensum movent, dumtaxat cognoscere, ac inquirere, cætera verò, quæ suprà tactum, oculum, aures, aliosque sensus, & phantasiam at-

tolluntur, se latere, haud scientiâ, sed fide comprehendere. Quapropter certitudinem, ac evidentiam carnis oculis concedentes, densâ ignorantiæ caligine, interiorem rationis, & intelligentiæ oculum pravo judicio cæcutire affirmabant. Ego tamen obstupescens hæc mecum revolvebam: Quid stultius, ac magis vero dissonum dici potest? quàm tam improvidam, & iniquam fuisse Naturam, ut hominibus distantissima corpora, totiusque extensæ substantiæ latebras perlustrare posse tribuens, se ipsos intelligere denegaverit? Forsan adeò infelix, & infausto sub sidere natus est Animus, ut quæ a sua Indole aliena sunt, inspiciens, sui tamen ipsius turpissima laboret inscitiâ, sibique vivat ignotus? At quid oculatissimæ Summi Conditoris Sapientiæ, ac pulcherrimo rerum Ordini magis dissentaneum? Quàm immanè igitur falluntur isti homines, opinantes Animum neutiquam posse se ipsum detegere?

Cum ergo a præfatis artium, ac scientiarum cultoribus ullum prorsùs lumen ad animum explorandum haurire nequirem, ad Priscorum illicò Sapientum codices confugi, Aristotelis Opera lustravi, Platonem, & quæ fragmenta Epicuri, Empedoclis, Democriti, Anaxagoræ, aliorumque veterum Philosophorum de Anima disputantium supersunt, avidus, & quodammodo famelicus non legi, sed voravi, irrito tamen labore: Nihil enim aliud in hisce reperij, præter vanas contentiones, loquaces subtilitates, ac portenta verborum, undique incertitudinis, & obscuritatis tenebras offendens; dum alii aerem, alii ignem, corporis temperamentum, & harmoniam, aut athomorum texturam alii Animum esse sustinent: hæc omnia quidem tanquam dubia, vacillantia, & a ratione devia contemnebam. Aristoteles etsi acutiùs, & ingeniosiùs de Animi affectionibus edisserat, admodum tamen involutum, enigmaticum, ac caliginosum inveni: mihique confestim innotuit, legitimam Animi notionem ipsum minimè esse assequutum, si ita ratiocinatus est, ut adhuc sub lite maneat, an sempiterna, an temporariâ potiùs humanas Animas vita gaudere, censuerit. A Platonica verò Grandiloquentia maturiùs quidem, & apertiùs Animæ nostræ immortalitatem, præstantiam, ac dignitatem explanatam accepi; Quid autem sit Animus neutiquam didici, ob nominum amphibologiam, nugas, figmenta ac inanem quamdam garrulitatem; quibus Platonis doctrina, quandoque a veritate aberrans, haud mediocriter deturpatur.

Tàm cæca ergo caligine refertam prophanam, ac Æthnicam literaturam cernens, cum insitum Rationis lumen jam mihi suaserat, posse se ipsum sibi ipsi manifestare Animum, dummodò

recta

recta nos ipsos inquirendi ratio accesserit, illicò suspicatus sum, priscos Sapientes sinceram methodum mentis passiones investigandi penitus latuisse, ut Animum haud illi ignoraverint, quia Animus aut perdifficilis sit inquisitionis, aut sibi prorsus ignotus, sed quia ipsum perversè inquirebant. Verum non adeò in me vigebat ratiocinandi vis, nec tam a sensuum impedientibus, ac veluti obstrepentibus imaginibus mentem abducere assueveram, ut tenebris excussis Animum in se ipso cernere valerem. Hinc spiritalium rerum, ac mei ipsius investigatione posthabita, solummodo eas disciplinas & artes excolebam, quæ Animum a se ipso penè rapiunt, ac perscrutandis corporibus obstringunt, eò magis à me recedens, quò ad extraneas naturas extra me cogitatione excurrens convertebar. Tandem ut ad maturiorem perveni ætatem, specialissimo Numinis Æterni beneficio in præstantissima Magni Augustini Opera incidi, ac primùm mihi sese obtulit verè aureus, & peracutus Libellus de Animæ Quantitate, ad quem revolvendum Sapientissimus Cardinalis NORISIUS, Vir omnis doctrinæ Princeps, me summoperè excitavit in ea suarum Vindiciarum parte, ubi Augustinus ab eorum iniuria vindicatur, qui, illum corporeum effecisse Animum, temerè arbitrantur. Quamobrem saniora, magisque firma Architectonicæ Philosophiæ rudimenta ex Augustinensi doctrina colligens, non modo Theologicæ, verùm & Philosophicæ Militiæ Antesignanum, me in solo Augustino inveniisse, vehementer lætatus sum. Ac primùm ad utiliter, & expeditius latentes rerum causas deinceps detegẽdas, mihi plurimum profuit, id quod legeram Lib. 1. de Ord. cap. 1. ubi nos, ut nobiscum commorari assuescamus, sapientissimè hortatur Augustinus. Salutare quidem documentum, ut Animus ad intimiorem Universi notitiam præparetur. Quippè dum homines suam deserunt rationem, atq; in se ipsis minimè versantes, meditari, seu ea, quæ explorant, intus inspicere negligunt, haud rerum medullam, & viscera cogitatione permeant, sed in solo cortice, & extima facie sistunt, inaniter autumantes, se id scire quod ignorant, & deforis tantùm intuentur. Idcircò non Sapientiam, sed historicam quandam scientiæ speciem totis nervis excolentes, cum de aliqua re disputant, non ipsi, ut ita dicam, ratiocinantur, cogitant, ac judicant, sed in ipsis vel Aristoteles, vel Plato, vel Democritus, aut aliquis alius sive recentior, sive vetustior Sapiens cogitat, edisserit, & in judicium erumpit.

Deindè in Librum Decimum de Trinitate, & de Animæ Quantitate incurrens statim intellexi, non ob aliam rationem homines animi naturam ignorasse, aut se ignorare censuisse, nisi quia extrà se vagantes sensibus, & corporibus

nimium addicti, animum deforis haud intùs in extraneis scilicet, ac mortalibus rebus inquirebant. Quare ad hunc errorem corrigendum, atq; humanũ animum ad se ipsum avocandum, (quod Ethnicos Philosophos profectò latuit) paucis admiranda, & felicissima porrò investigatione incomparabilis aperuit Augustinus, pronuncians, Animum nihil aliud esse præter Animum, ac ut se ipsum cernat, se ipso dumtaxat indigere, qui cum, quidquid ipse non est, a se rejicit, a se nempè extraneum, quod addidit, detrahens, sé confestim intelligit, quo nihil sibi notius, prę sentius, ac manifestius. Quæ cum diligenter expendissem, illorum insaniam irridere ac detestari cæpi, qui corpora Animo certiora, & notiora esse existimantes, ibi cæcutire ubi vident, ibi videre, ubi cæcutiunt, perperàm opinantur. Ex quo duo sibi mutuò adversantes errores originem traxerunt, quorum altero ea ignorare, quæ scimus, altero verò ea scire, quæ ignoramus, inconsideratè putamus. Dum autem Animus Methodum, se ipsum inquirendi ab Augustino haurit, atque in usum vertit, & se nulla corporum mole tumere & immortali vita perfrui, evidentissimè intelligit.

En tibi, quidquid ex Augustini Operibus summo labore, summaque diligentia ad Animæ naturam, & insigniores affectiones evelandas deprompsi, Amice Lector exhibeo ut te ipsum rectè investigare edisças. corpora contemnere, spiritalia verò amare, & quærere assuescas, ac demũ interiori rationis oculo in tui ipsius recessibus, & penetralibus tuæ mentis sempiternam, ac penè Divinam naturam inspicere quavis rejecta dubitatione valeas. Serò tamen, quæ a multis annis excogitaveram, in lucem prodeunt, non quia ab huiusce Operis evulgandi voluntate aliquando recesserim, sed quia adverso fato, pluribus vexatus calamitatibus, rerumque domesticarum molestia, & sollecitudine distractus, ea minimè tranquillitate perfruebar, qua magnoperè Sapientiæ studiosus indiget, ut totus in se collectus, se ipsum potissimum perscrutari, ac scientias, & disciplinas excolere, ac promovere possit. Cum autem post tot immites procellas, quæ huc illuc infeliciter me jactaverant, in Patavino Lyceo tutissimum, ac serenum portum salutarem, statim ad hasce meas elucubrationes concinnandas me converti, ut ea, quæ ex meæ rationis usu, & ex Augustinensium librorum lectione hauseram, tanquam Societatis membrum, cæteris aperirem. Hoc bonum, præter omnium bonorum elargitorem Deum, illi debeo, qui & benefcentissimus Mecænas meus, & vigilantissimus Patavini Gymnasii Moderator est, atque Senatoriæ virtutis viribus, Eloquentiæ gratiis, & excelsæ Prosapiæ magnitudine verè maximus. De SEBASTIANO FOSCARENO loquor. Vir non modò ob inclytas, ac splendidissimas

mas apud Galliarum, & Hyſpaniarum Reges Legationes, Equeſtrem dignitatem, & Procuratoriam Purpuram ampliſſimus, verùm & ob eximias Regii animi dotes, ſummam ingenii perſpicaciam, judicii ſoliditatem, ac igneam, & celerrimam intelligendi vim, immortali nomine dignus, qui ſingulari, & propensà benevolentià bonas literas, earumque cultores complectens, me plurimùm impulit, ad hæc in lucem edenda Commentaria. Hic autem præterire nequeo, quàm multùm ad hoſce meos labores abſolvendos & conſilio, & eruditis epiſtolis contulerit verum humanæ eruditionis Prodigium clariſſimus, & magnæ mentis Vir Antonius Magliabechi, Sereniſſimi Hetruriæ Ducis in toto Orbe Terrarum celeberrimus Bibliothecarius.

Supereſt, ut quid nobis in hoc Opere propoſuimus, paucis aperiamus. Præcipuus noſter ſcopus eſt, Animæ noſtræ Naturam pro viribus detegere, atque potiſſimùm in id mentis aciem intendimus, ut & incorporeum, & immortalem humanum Animum eſſe adverſus Epicuri Aſſeclas, præfulgente ratione, demonſtremus. Ad quod faciliùs, ac tutiùs aſſequendum Auguſtinum Animæ indolem, & affectiones explorantem libentiſſimè ſequimur, atq; quantum Vires ſuppetunt, illuſtrare, & roborare enitimur.

Quapropter dum Orthodoxæ Religionis inſigniora rudimenta ratione firmata, & intelligentiæ aperta reperies, quantum pariter Auguſtinus in veritate evelanda, ac propugnanda valeat, haud citrà Animi admirationem intelliges. Etenim miro quodam ingenii acumine rerum viſcera pandit, abditioreſque receſſus aperit, ſenſibus, ac externarum rerum conſideratione minimè impeditus, aut diſtractus, etiam dum ſentit, intelligit, in ſenſu inſenſilem cernit Rationem, in ipſa carne inſectilem ſpiritum reperit, ex corpore inextenſum, inviſibile ex viſibili colligit, in rerum multitudine ſummam, & immutabilem Unitatem, in quam ſe totum immergit, inceſſanter intuetur, ut non carneum, ſed omni ex parte intelligentem, ac ſpiritalem hominem meritò diceres. Subtiliſſimè diſputat, non ut contendat, ac vincat, ſed ut evertatur error, triumphetque veritas: Acerrimo ardet, & fulgurat ingenio, docilis unà, & in refellendo ſua vis: In rebus minutiſſimis maxima, & propè infinita detegit, atque quæ ſummoperè intellectum effugiunt, ac latent, incomparabili ratiocinandi ſagacitate venatur, & ſub humanæ Rationis imperium ea ſubdi, validiſſimè cogit.

Sublimiorem, interioremque tanti Viri doctrinam, quæ mentem reſpicit humanam, ſedulò interpretantes, hoc Opus in tres diſtribuimus Partes, in quarum prima ea, quæ in Tractatu de Animæ Quantitate Auguſtinus ſubtiliter exagitat, exponuntur, ubi & incorporeus, & ſummè potens humanus Animus robuſta, & ingenioſa

niosa ostenditur argumentatione. Augustinensem autem Textum haud ad literam, & superstitiosa quadam Grammaticorum lege, sed juxtà morem, & libertatem hominis Philosophantis enucleamus, qui non hominum placita, & intentionem, sed nudam inquirit veritatem. Hinc satis est Augustini mentem aperire, eiusque cogitata pro viribus consolidare. Secunda deinde succedit Pars, in qua quidquid in Libro X. de Trinitate ab Augustino acutissimè, & fortunato eventu de Mentis nostræ natura detecta sunt, explanamus, duplici quidem ratione; Primò enim enucleatius, & copiosiùs, quæ Augustinus edocet, aperimus, mox ejus mentem, se ipsam severa, & admiranda Analysi investigantem exhibemus, qua profunda sanè disquisitione, velut sponte sua ignorantiæ caligine dissipata, sibi ipsi confestim innotescit Animus. In tertia postmodum noster hùc tendit labor, ut difficillimum, perobscurum, ac penè divino ingenio elaboratum Opus Augustini de Animæ immortalitate, acri & intento animo declaremus, ubi pro re nata, apparatu nostro præmisso, Epicurus pro Animæ Mortalitate certans validissimè refellitur, & oppugnatur.

Iudiciose Lector, si ea, quæ in hisce Commentariis, & Dissertationibus a nobis exposita, & concinnata fuere, Christianæ Sapientiæ excolendæ, vero detegendo, erroribusque profligandis proficere censueris; aliud quam primùm evulgabimus Opus nostras complectens investigationes, quibus, Augustino duce, Ratione prælucente, Deus, Anima, & Universa Natura, nova quadam & extricata methodo explorantur.

PARS PRIMA

Animæ Humanæ Natura ab Augustino detecta in Libro de Animæ Quantitate.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [19] - -
PUBLIC DOMAIN

PARS

PRIMA

Animæ Humanæ Naturæ ab Augustino detectæ in Libro de Animæ Quantitate.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [20] - -
PUBLIC DOMAIN

POSTQVAM in erroris, inferorumque gratiam, ad saluberrimum pietatis ac veri cultus exercitium evertendum, infestissimis sophismatum telis obarmatus, è Regno veluti tenebrarum impius emersérit Epicurus; fædisque erroribus Græciæ olim philosophantis ingenium, & mores turpiter conquinaverit; ex torridis Aphricæ Regionibus acerrimam, summeque igneam Augustini intelligentiam sagacissima, ac ineffabilis supremi Numinis Providentia præ cunctis elegit, ut Christianæ, & Orthodoxæ Religionis Dogmata, quæ Redemptor noster Sanguine, fide, prodigiisque firmaverat, ratione muniret, ac stultitiæ, & levitatis Epicuream doctrinam, ipsamet naturalis scientiæ voce, manifestè convinceret: Idcircò nemo fortior, ac validior in Sapientum Lyceis caput extulit, quam Augustinus, qui ad cæleste, & vitale Catholicæ veritatis lumen inspiciendum homines præparans, robustiùs, atque feliciùs Epicuri errores profligare exorsus est. Quod potissimùm ad usum revocasse videtur in Libro de Quantitate Animæ, quo Epicureæ Philosophiæ de Animæ natura ratiocimantis rudimenta funditus evertere studet. Epicurus namque, ut Animæ mortalitatem ostenderet, Animam extensam, ac corpoream esse, primò suadere nititur; ex corpore enim veluti mortem educens, dum corporea magnitudine tumere Animam imaginatur, hanc tandem in suas partes dissolvi, ac unà cum organico corpore interire, temerè docet. Hinc ut fallaces illius argumentationes expeditè refelleret, ac detegeret Augustinus, Librum de Animæ Quantitate instituit, quem antequam interpretari aggrediamur, ad faciliorem Augustinensis Doctrinæ captum, præclariora Augustini cogitata, quæ in illo splendidissimè continentur, a Dialogi prolixitate secernere liceat, atque primùm Augustini Animum de se ipso meditantem salutari quadam fictione in medium proferemus, qui non tantum exposita in Libro de Animæ Quantitate, verùm etiam & quæ in aliis suis operibus,

ac potiſſimum in Libris X. de Trinitate, & de Immortalitate Animæ, ad humanæ Mentis naturam ſpectantia enucleantur, univerſaliori, ac latiori quadam ſui inveſtigatione, planioriquestylo detegat, ſibique fæliciter aperiat. Idcircò dum hìc Auguſtinus de ſeipſo meditatur, nos profectò diſponit, ut clariùs, atque expeditiùs quæ infrà in textu interpretanda ſunt, intelligamus. In quà quidem ſolidiſſimà diſquiſitione flos, ac robur Auguſtinenſis Philoſophiæ pro mentis affectionibus evelandis, ac pariter ea, quæ variis in Libris, variiſque temporibus Auguſtinus inſigniter excogitavit, in unum collecta, ac tanquam eodem tempore inventa clauduntur.

AVGVSTINVS MEDITANS *In Libro* DE ANIMÆ QVANTITATE.

Augustinũ Animus se ipſum inveſtigans.

Ex Cap. primo. De Animæ Quantitate.

De libero Arbitrio Cap. VII.

Mens quovis modo cogitans, ſui exiſtentiam in dubiũ vertere nequit.

Ex Lib. XI. De Ciu. Dei. Cap. 20.

Scepticiſmus confutatus.

Ex Cap. primo. De Animæ Quantitate.

Quid potiſſimum de ſe ipſo inquirendum ſit, enumerat.

QUID ſim Ego, hodierna luce accuratiſſimè expendere liceat; Etenim, & ſi ea, quæ ſuprà me ſunt, requirere vetet Ratio, quæ tamen juxtà me ſunt ad examinis trutinam revocare præcipit. At quid magis Intelligentiæ meæ comparatum, quam ipſemet Ego? Ut autem a manifeſtiſſimis exordium capiatur, prius a me Quæro, utrum ego ſim? An fortaſsè metuo, ne in hac interrogatione fallar? Cum utique ſi non eſſem, falli omninò non poſſem.

Hinc Academicorum argumenta non formido dicentium: Quid, ſi falleris? Si enim fallor, ſum. Nam qui non eſt, utique nec falli poteſt; Ac per hoc ſum, ſi fallor. Sum igitur etiam cum fallor. At undè ſum? Qualis ſum? Quantus ſum? Cur corpori datus? Quas mutationes ex corporis conjunctione ſubeo? Qualis deniquè efficiar, cum à corpore abſceſſero?

Humanæ mentis patria, Deus.

Mens ex nullo constat elemento.

Cap. 2. De Animæ Quantitate.

Insignior animæ proprietas Deo assimilari.

Qualis sit anima expenditur.

Investigare exordiuntur quantus sit Animus.

Duplex quantitas molis, & virtutis.

Cap. 3. De Animæ Quantitate.

Anima molis quantitate destituta.

Si primò undè sim, inquiram; Dicam: Ex Deo, qui Patria mentium, & habitatio est, in quo, & sum, & intelligo, & vitam duco. Ex nullo tamen principio, veluti ex materia sum; Sed simplex quædam natura, non minus ac ipsa vulgaria Elementa, quæ ex aliis minimè constant. Undè autem sim, jam planè intelligo: At scire vellem, qualis sim. Sum Deo similis. Etenim me ad Supremi Conditoris imaginem, & similitudinem factum esse, insignior meæ naturæ, atque Excellentior affectio est. Ut autem simplicem haud multiplicem me substantiam esse ad Dei Imaginem procreatam, quemadmodùm & undè sim, intimius agnoscam; sedulò in primis perscrutandum est, an Ego sim res quanta, mole, ac magnitudine corporea prædita, an potius inextensa, indivisibilis, a spatii dimensionibus aliena.

At cum quantus sim investigare aggredior, duplex illicò quantitas mihi sese offert, roboris, & extensionis, virium, & molis, ac primò requiram, quantum sit spatium, in quo Mei natura, atque substantia exporrigitur, & effunditur: deindè quanta sit potestas, & virtus, qua ex naturæ genio exornatus sum. Utrumque autem intelligere vehementissimè exopto. Cum verò, quantæ molis, & extensionis sim, inquiro, nihil profectò occurrit, quod respondeam, cum ab omni locali spatio, & extensione sim prorsus immunis. Etenim nulla mihi inest longitudo, à latitudine, & altitudine summoperè mea abhorret indoles. Hujusmodi enim spatiorum dimensiones non mei, sed corporis affectiones sunt, & attributa.

Dubitat an anima sit extensa.

Dubitationē solvit.

Quid ergò sum, si nulla corporis me circumscribit dimensio? Quidquid enim in spatiis non explicatur, corporumque mole, & magnitudine caret, nihil prorsùs esse putatur. Attamen quot verè in Universo elucent ipsismet corporibus insigniora pluriſque æstimanda, quæ mole tamen & corporea quantitate non gaudent?

Cap. 4. De Animæ Quantitate.

Ex Justitiæ natura infert spiritalium verum existentiam.

Corpus res trinè dimensa est.

Justitia incorporea est.

Ut anima sit aliquid, non oportet ut sit mole prædita.

Nova emergit dubitatio.

Etenim quis dubitat, Justitiæ virtutem meliorem hac arbore esse? Melior enim Justitia, quàm Planta. At hæc arbor aliquid, haud nihil est. Quid autem est, nisi tale, ac peculiare corpus? Res nempè longa pro modo suo, lata, atque robusta, quas si detraxeris dimensiones, nihil est. Potiori jure igitur aliquid est Justitia, qua multò deterior planta est. At quanta quæso Justitia est? Quantæ nempè longitudinis, altitudinis, latitudinis? Ad risum hæc provocat interrogatio. Hæc omnia à se omninò Justitia reiicit; nihil horum est: partibus, mole, magnitudine caret.

Elucet igitur in Universo res longè divinior, longèque corporeis rebus præstantior, à spatio abhorrens, nulla prorsùs dimensione tumens.

Difficultati occurrens Animam incorpoream esse demonstrat.

Quid ergo prohibet, me aliquid esse, magisque quam corpora æstimandum, ac tamen verè incorporeum esse, mole & partibus denudatum? Adhuc tamen obscurum remanet, an inter res hujusmodi incorporeas adnumerandus sit Animus. Quid quæso vetat, me aliquid pariter, & corpus esse? Non enim existimo, animum nihil esse, si mole, & extensione denudatur; tantum hæreo, & anceps sum, an revera, quemadmodum Justitia, ita & ego incorporeus sim, & inextensus.

Contemnenda profectò hęc dubitatio non est; assensum tamen non cogit, facilique negotio solvitur. Liceat igitur hoc pacto me interroga-

re, ut

re, ut evidenter tandem intelligam, me aliquid esse corporibus longè præstantius, dimensione, ac mole destitutum. Est ne corpus ullum, quod pro modo suo aliquam non habeat longitudinem, latitudinem, & profunditatem? Nullum sanè corpus spatii dimensionibus carere potest. Possunt nè hæc tria non inesse corporibus? Neutiquam. Etenim non intelligo, quomodò alibi esse possint. Ubi igitur aliqua harum dimensionum est, ibi & corpus est? Sanè.

Nullum corpus quin sit trinè dimensum.

Si igitur subtilissimus aer, aut ventus, commoti aeris fluctus, aut quid illi simile essem; jam corpus essem. Nam si omne extensum, corpus est, & aerem corpus esse oportet. Quid enim hoc aere & longius, & altius, ac latius inveniri potest, quem commotum, ac vehementèr agitatum, ventum appellamus? Si igitur Ego ventus essem, aut quid vento simile, tùm, non minùs ac cætera corpora, & longus, & latus, & altus essem. At si ita res contigeret, illicò quantus essem, intelligerem; tantus nempè, quantum corpus, cui conjungor. Sum enim tum intus in corpore, tum in qualibet ejus extremitate præsens. Idcircò spatium corporis fluxibilem, summèque tenuem Animi molem, & extensionem suis finibus coerceret, ac veluti terminaret; ut ego illius confinia transgredi nulla ratione possim. Idcircò tantus essem, quantùm spatia ipsa corporis paterentur.

Aer, licet summè tenuis, corpus tamen est.

Si animus aer est, illius mensura nota est.

Cap. 3. De Animæ Quantitate.

Quid autem absurdius, quam me spatiis exporrectum, corporis mei dimensionibus terminatum, ac circumscriptum imaginari? Non sum enim Aer, aut ventus, aut aliquid illi simile per corporis organa expansum, atque diffusum. Me nulla circumscribit moles, nec ullum corpus metitur. Atque, ut quam id verum sit, intelligam, satis est, si cæteris posthabitis facultatibus, ad insignem Memoriæ vim, qua polleo, me diligenter convertam. Etenim memoria, quæ in me viget, non est profectò fictitia res, aut nomen inane, sed verus cogitandi modus, qui haud corpori, sed mihi inest. Quid enim exanimè corpus meminisse aliquid credi, aut intelligi potest?

Tantus esset Animus, quantia est corporis moles cui conjungitur.

Memoria vera quædam facultas est non corpori sed animæ inhærens.

Jam Urbs Mediolanensis impræsentiarum memoriæ occurrit, cujus sanè recordor, quam non corporis oculis, sed acutiori intelligentiæ acie video. Prætereà quanto terrarum spatio nunc à me abest Mediolanum, perspicio, idcircò & ipsam locorum distantiam interiori lumine intueor. At si hìc tantum ubi corpus est, ego sum, nec ultrà ejus spatium effundor: undè fit, ut illa omnia videam? Sanè per memoriam hæc fieri puto: Non sum enim illis locis præsens. Illorum ergò locorum imagines memoriâ continentur. At istæ verè sunt corporum imagines; Urbes namque, terræque nihil aliud sunt, quàm corpora. Jam exploratum est, corporum imagines, si parva sunt corpora, in quibus exhibentur, parvas apparere, ut magnas & ingentes imagines nisi in magno, & ingenti corpore videri, seque in conspectum dare non possint: Quod Ratio confirmat, roborat experientia. Etenim si in paruum perspicillum, aut alieni oculi pupillam mei corporis oculos convertam, corpus multò brevius, quam est, apparet: nam pro modo speculi, aut cujusvis alterius corporis, corpus videri debet, illiusque imago procreari.

In memoria corporum imagines continentur.

Corpora pro modo suæ magnitudinis imagines exhibent.

Cur ergò cum tam parvò spatio constem ego, quantùm corpori meo inest,

Si animæ corpus esset, urbium magnorũq; corporum imagines haud memoriâ conzineret.

ineſt, ut illius terminos tranſgredi nequeam, tàm amplæ, tàm magnæ & ingentes in me exprimi poſſunt imagines; ut & Urbes, ac immenſam Terrarum, & Univerſi latitudinem, aliaque ingentia corpora apud me valeam imaginari? innumeras namque, atque ampliſſimas immanium rerum imagines mea complectitur memoria, quæ procul dubio in me continentur. Qui igitur fundus? Qui ſinus? Quæ immenſitas, quæ poſſit hæc capere? Cum tantus ſim, quantum eſt corpus, cui conjunctus ſum? Non terminor igitur, & circumſcribor anguſta corporis mei extenſione; neque ventus, aut aer, aut aliquid his rebus ſimile ſum: Etenim Aer iſte, & ſi mundum hunc viſibilem implere poteſt, excurrere tamen non valet per tot, atque tam immanes mundos, quos interiori maximèque perſpicaci intelligentiæ oculo inſpicere, mihique repræſentare queo; ut quo ſpatio tot, ac tantæ imagines contineantur, intelligi, aut explicari nequeat.

Eſt incorporeus animus, ſi immanium corporum imagines capit.

Invictâ ratione concluditur, Animum in ſpatiis non diffundi.

Quamobrem, ſi mei corporis ſpatio circumſcriberer, pauca & parva, non autem plura, & magna corpora, memoriæ imaginum ope, mihi profectò repræſentarem. Non ſum igitur res extenſa; me nulla tenet dimenſio corporis, neque ullum ſpatium poſſidet. Attamen ex altera in alteram difficultatem incurrere, videor. Etenim non capio, quo pacto innumeras, ingenteſque tantorum ſpatiorum imagines memoriâ complecti valeam, ſi non diſtendor in ſpatiis, ſi partibus, ac magnitudine non polleo. Quidquid enim in ſpatiis non explicatur, molis, extenſioniſque naturam a ſe reiicit, & qua ratione tam immanes, totque corporum imagines capiat, intelligere nequeo.

Hæret, quo pacto incorporeus animus tot corporum imagines capere valeat.

Ex Cap. 6. De Animæ Quantitate.

Facilè verò dubitatio ſolvetur, expeditiuſque veritas innoteſcet, ſi priùs hæc tria accuratè diſcutiam, longitudinem nempè, latitudinem, & altitudinem, ſub quibus corpus omne continetur. Jam primò enitar longitudinẽ cogitare, cui nulla inſit latitudo? Nihil ſanè poſſum tale cogitare. Si enim tenuiſſimum araneæ filum, quo nihil exilius oculis ſeſe offert cogitatione revoluam, trina tamen occurrit dimenſio, nam latum ſimul, & altum eſſe conſpicio. At quamvis ſingulæ hæ dimenſiones in corpore conjunctæ, ſenſibus, ac phantaſiæ ſemper aſſociatæ ſimul exhibeantur; attamen intelligentiæ acie alteram ab altera ſejungo, & in quo ſingulæ differant, perſpicuè agnoſco. Hæc autem longitudo, ut à latitudine diverſa, ac veluti animo ſeparata, quatenus extrà corpus eſt, tantum in mea cogitatione elucet. Hanc verò ſimplicem, ac uti dicam, intelligibilem longitudinem, ſi per longum quaſi ſecare vellem, non poſſum; nam ſi fieri poteſt, ineſt etiam lineæ latitudo. Hæc igitur ſimplex longitudo ſenſum fugiens, ac ſoli intelligentiæ manifeſta, linea dicatur.

Corporis dimenſiones haud ſenſus ſed ſola intellectus intelligentia ſecernit.

Longitudo ſola in animo eſt, non in corpore.



Lineæ ſolæ longitudo eſt cui nulla ineſt latitudo.

Lineæ rectæ producta nunquam figuram progignet.

At Lineæ naturà diligenter expensà confeſtim innoteſcit poſſe illam ex utraque parte in infinitum produci. Ex eo tamen quod ulterius exporrigitur linea, nulla ſanè emergit figura, quæ nihil aliud eſt, quam ſpatium quaquà verſum terminatum, & clauſum; quod procul dubio à linea indirectum breviſſimo tramite, ac in longum excurrente procreari non poteſt,

ſi Li-



Si Linea autem sit finita, & ita circumducatur, ut ex altera parte se contingat, circularis in lucem prodit figura; quæ ex linea recta in orbem circumacta, sui extremitate altera circa alteram immotam semovente, originem trahit, ut autem figura rectilinea rectis nimirum lineis circumscripta procreetur, plures sanè rectæ lineæ requiruntur; duæ quidem non sufficiunt, at satis sunt tres, quæ cum haud in directum positæ sese extremitatibus jugunt, Triangulum emergit, quod inter rectilineas figuras simplicissimum est, utpote paucioribus terminis comprehensum.

Circulus ex unâ lineâ rectâ, quæ in orbem torquetur, emergit.

Ex Cap. 8. De animæ Quantitate.

Ex trium rectarum linearum concursu triangulum emergit.



Ubi autem Trianguli latera nempè lineæ, in quas Triangulum definit, sese in extremitate tangunt; inclinatio quædam, seu angulus efformatur. Ex quo infero, tot esse in Triangulo, angulos, quot sunt lineæ suis finibus copulatæ. Fingamus jam singulas Trianguli lineas invicem æquari; evidentissimum erit, & mutuò singulos æquari angulos, ut nequeat intelligi linearum in Triangulo æqualitas, angulorum æqualitate post habita, Hinc si lineæ in Triangulo sunt impares, & impares erunt anguli imparibus lineis respondentes.

Angulus inclinatio est duarum linearum suis finibus se tangentium.

In triangulo sunt pares anguli, si pariæ sunt latera, & vicissim.


Quæsò tamen quæ figura melior, perfectior, pulchrior censenda est, quæ æqualibus, an quæ inæqualibus lineis constat? Quis dubitat meliorem esse figuram, in qua prævalet æqualitas? Ergo inæqualitati æqualitas præponenda est, major siquidem perfectio, ac virtus in æqualitate elucet. Dum verò Triangulum rectis, & æqualibus lineis circumscriptum, intelligentiâ revolvo, clarissimè intueor lineæ non lineam, sed angulum, huic non angulum, sed lineam opponi, in quo quædam veluti regnat inæqualitas. Perfectius igitur Triangulum esset, si angulus angulo, linea lineæ responderet, quæ sanè perfectio Triangulo competere nequit; elucet tamen in figura quatuor rectis lineis clausa, quæ Quadrilaterum nuncupatur, in quo contraria, linea scilicet lineæ, angulus angulo sibi mutuò respondent.

Ex Cap. 9. De animæ quantitate.

Æqualitas inæqualitate perfectior.

Triangulum Quadrilatero imperfectius.

Magis viget æqualitas in quadrilatero, quàm in triangulo.



Melior igitur, ac perfectior figura quatuor rectis, & æqualibus lineis compræhensa triangulo erit, siquidem in illa magis valet, ac floret æqualitas. Si enim æqualitas perfectio quædam, & valdè insignis est, ubi magis viget æqualitas, ibi majorem efflorescere perfectionem oportet. Et si tamen in figura quatuor rectis & æqualibus lineis terminata perfectè sibi respondeant contraria, at non adeò linearum indolem affectant anguli, ut si Lineæ singulæ sint æquales, & singulos angulos invicem æquales esse oporteat: etenim in Quadrilatero possunt duo anguli esse contractiores, duo verò apertiores; necesse tamen est, ut bini anguli mutuò oppositi sint æquales, in quo quantum servari potest, servatam video æqualitatem.

Ex laterum æqualitate in quadrilatero non oritur angulorum æqualitas.

Latera singula æqualia, anguli verò tantùm oppositi pares.


Justitia quædam in figuris elucet.

Summoperè tamen oblectat tanta, & tam inconcussa Justitia, seù æqui-

æquitas, sive æqualitas, quæ in rebus elucet. Nam in Triangulo tribus rectis, & æqualibus lineis clauso, ex laterum æqualitate, & singulorum angulorum æqualitas necessariò profluit, at non sibi mutuò contraria perfectè respondent, in quo inæqualitatem, ac veluti dissonantiam cum æqualitate, & consonantia immixtam intueor. Ex adversò in figura quatuor paribus rectis lineis terminata, cum contraria sibi mutuò perfectè respondeant, si singula tamen latera sint æqualia, angulos æquales esse non oportet; satis est, si anguli, qui mutuò adversantur, sint æquales. Quæ æqualitate, æquitate, veritate vehementer allicior.

Quæ æqualitas in triangulo deest, elucet in quadrilatero, & vicissim.

Quadratum quovis triangulo, & quadrilatero excellentius.




In quadrato inæqualitas quædam æqualitati adnexa continetur.

Jam imaginemur figuram, quæ quatuor paribus rectis lineis, singulisque æqualibus angulis gaudeat, profectò hęc perfectior erit cæteris figuris, quæ tribus, aut quatuor solum ęqualibus lineis constant. Nam & lineas, & angulos singulos æquales habet, & consona contrariorum habitudine pollet. At non adeò hæc figura æqualitatem amplectitur, ut summa in ea ac insignissima floreat æqualitas? Etenim anguli inæqualitatem quamdam ei conciliant, & si à puncto medio lineæ ad extremitates producantur, hę non singulæ ęquales erunt, nam quæ ad angulorum verticem, & contactum pertingunt, eas longitudine excedent, quę ad latera terminantur.

In circulo summa c floret æqualitas.

Quænam igitur erit figura, quæ maxima perfruitur æqualitate? Circulus, cujus extremitas sibi concors est undique, nullo angulo æqualitatem perturbante, & à cujus medio ad omnes extremitatis partes lineę duci possunt ęquales.

In circulo lineæ superficies, æque Cylinder, seu corpus repræsentatur.



Simples longitudo à se latitudinem rejicit.

In hoc autem circulo tria mihi sese offerunt; Linea in quam circulus definit, latitudo, seù ipsamet plana circuli superficies, & altitudo nempè corpus ipsum Cylindricum, & columnare, cujus utraque extremitas circulus est, nam si adeò circulare planum intumescat, ut in altum expanso, profunditas in eo procreetur, cylindricum Corpus ex circulo progigni nullo negotio intelligitur.

Jam linea circularis simplex est, ac mera quædam longitudo, cui nulla competit latitudo, nam si lata esset, non superficiei, & aereæ circularis extremitas, sed ipsa superficies, ac latitudo esset. Superficies autem, seù latitudo circuli altitudine caret, nam si alta hæc esset, non cylindrici, aut alterius corporis extremitas, ac terminus, sed ipsum corpus, ipsamet profunditas esset. Ex quibus apertissimè infero, lineam in longum tantùm, superficiem in longum, & in latum, corpus juxta singulas dimensiones dividi, ac secari posse. Linea unicam divisionem tantum admittit, duplicem superficies, triplicem verò Corpus.

Lineæ minus divisioni subjacet quam superficies, & corpus.

Præ-

Præter hæc tria, in circulo Centrum reperitur, quod Punctum est, in quod singulæ rectæ lineæ ex qualibet circularis extremitatis parte intrà circulum æqualiter ductæ desinunt, seque invicem secant. In hoc autem Puncto rectarum linearum extremitate, nullam sanè dimensionem, ac extensionem invenio; nam longitudinem non habet; etenim si linearum extremitas est, longum quidem non est, secùs non lineæ terminus, sed linea esset; cum igitur longitudine careat, linea non est. Quidquid autem à lineæ natura abhorret, neque superficies, neque corpus est.

Punctum dividi nullo modò patitur.

Nulla igitur ratione Punctum secari, ac dividi potest. Quid ergo? Insectile Punctum est? Nota sine partibus: Signum nempè continuæ quantitatis, quod dum in medio figurarum locum obtinet, centrum, cum lineas copulat, aut terminat, Punctum nuncupatur.

Punctum nota sine partibus.

Videamus igitur horum quatuor, videlicet lineæ, superficiei, corporis, puncti, quodnàm melius, insignius, potentius, ac robustius sit? manifestissimum est id, quod nulla ratione dividi potest, melius esse, ac perfectius eo, quod est divisionis capax; nam quò magis res ad unitatem, ac simplicitatem vergit, atque à numero, & multiplicitate recedit, eò perfectior est. Quod igitur minùs dividi potest, perfectiùs eo est, quod majorem admittit divisionem, nam primum magis accedit ad unitatem, alterum verò ad numerum magis tendere videtur.

Res insectiles dividuis natùrâ insignior.

Insectile ad unitatem, dividuum ad numerum accedit.

Est igitur linea melior superficie; Siquidem illa uno tantùm, hæc duplici modo dividi, ac secari potest. Quæ major perfectio in hoc etiam elucet, quod superficies indiget lineâ; nequit enim intelligi latitudo, quin concipiatur longitudo, in quam latum desinit. Linea verò à latitudine non pendet. Superficies verò perfectior est Corpore, quod ex omni parte, ac triplici modo dividi potest. Hinc corpus indiget superficie, in quam resolvitur, hæc verò ut sit, & intelligatur, nulla indiget profunditate. Cum tandem puncti indolem expendo, punctum omnium insignissimum, & robustissimum esse apertissimè intelligo. Punctum namque omnem rejicit divisionem, nullaque ex parte secari potest; hinc unitatis, haud numeri effigiem in se exscriptam refert. Adeò validum ac potens est, ut neque linea, neque superficie, aut corpore indigeat, cum per semetipsum sit, & intelligatur. Cætera verò ad continuam quantitatem comparata puncto omninò indigent, ut sint, & intelligantur. Concipies fortasse sphæricum corpus, quin in illius centro punctum confestim regnare, ac vigere intelligatur? Quis unquam intelliget circulum sine puncto in medio collocato, aut lineam posthabito puncto, quo terminentur, aut adnectantur lineæ?

Linea est melior superficie, hæc autem corpore excellentior.

Punctum omnium insignissimum, ac robustissimum est.

Quid ergo? maximè florens, ac verè in Universo existens, punctum est, quo lineæ terminantur, clauditur in figuris angulus, linea lineæ nectitur. Ex cujus vi, & energia tandem summa circuli perfectio emergit. Etenim summa circuli supra cæteras figuras excellentia, ex maxima sui æqualitate profluit. At undè hujusmodi æqualitas oritur, nisi ex Puncto, quod in Circuli centro viget? Punctum enim in medio constitutum

Summa circuli æqualitas à puncto profluit.

Punctum est insectile, vim tamen, ac robur dividuis

& extensis rebus conciliat.

stitutum illius æqualitatis moderatio, ac origo est. Vim igitur, ac robur singulis figuris Lineæ, superficiei, corporibus munificentissimè largitur punctum, quod à se ipso est, ac intelligitur, & tamen omninò insectile, Partibus, Mole, Extensione quavis destitutum est.

Punctum ex ipso est, res vero sectiles à puncto pendet.

Eo robustior, & perfectior animus, quo magis à divisione recedit.

Indivisibilitas Animi capacitatem, & perfectionem adauget.

Quid ergo prohibet, ut ad meum propositum redeam, animum insectilem esse, à Mole, Partibus, & Spatii dimensionibus alienum, robustissimum tamen, summeque validum, ut immensa intervalla, interminata, ac ingentia corpora imaginari valeat, ac tantum possit in corpore, ut penes eum sit regimen omnium membrorum, & quasi cardo quidam in agendo cunctarum corporalium motionum? Nihil enim intelligo, esse in rebus potentius, ac magnificentius iis naturis, quæ, ut ita dicam, sine tumoribus esse intelliguntur. Tumor enim non absurdè appellatur corporis magnitudo, quæ si magni pendenda esset, plus quàm nos, profectò saperent Elephanti. Hinc quò graciliora, magisque extenuata sunt corpora, atque veluti à tumore, ac mole recedere videntur, eò robustiora, ac validiora apparent. Quid exilius, & minori magnitudine præditum in corporis oculo, pupillà, quæ veluti in oculo, punctum medium est, attamen tanto robore, ac virtute tanta pollet, ut eà dimidium Cœlum, cujus ineffabile spatium est, ex aliquo eminenti loco cerni, collustrarique possit.

Corpora quo minùs tument, eò robustiora.

Non igitur à vero abhorret, animum omni magnitudine carere, neque ulla aut longitudine porrectum, aut latitudine diffusum, aut altitudine solidatum, quamvis magnitudines quaslibet imaginari queat. Prætereà si ego adeò validus, perspicax, robustus sum, ut insectiles, & incorporeas res intelligentia revolvere possim, me quoque insectilem, & incorporeum esse oportet, possum enim concipere simplicem, ac meram longitudinem à latitudine sejunctam; superficiem, posthabita profunditate; Punctum, linea, superficie, & corpore reiecto. Hæc autem singula incorporea sunt. Corpus enim ex omni parte sectile est, intelligentia igitur, qua hujusmodi insectiles res intueor, insectilis quoque, ac incorporea est; Secus, quæ extrà corpus sunt, minimè cerneret.

Incorporeus animus est si incorporea cernit.

Sum rursus melior lineà, si lineam imaginor, ac veluti à corpore intelligentiâ secerno, hinc veluti in lineam agere videor, dum hæc à corpore separata nobiliorem, ac perfectiorem indolem à mea intelligendi virtute recipit. Si autem Lineà Animus perfectior est, sequitur nulla ratione, Animum dividi, ac mensurari posse, nam Linea melior est superficie, quia minus dividi potest. Punctum perfectius Lineà, quia nulla ratione secari potest. Si igitur Animus melior est Lineà, omninò insectilem oportet esse, & inextensum. Eò enim perfectiores sunt res, quò magis ad unitatem vergentes, à divisione, & multitudine abhorrent. Quamobrem, si vera Linea est, quæ nullo pacto secundum longitudinem in duas lineas dividi potest, sed tantum in transversum; vera superficies, quæ in longum, ac latum tantum sectilis, nullam in altum Sectionem pati potest; Punctum, quod nulla ratione dividi valet; & hæc omnia tantum in animo, haud in Corpore

Animus lineâ melior est.

Si animus lineâ melior est, insectilis, & incorporeus est.

elu-

elucent, in quo, & falsæ lineæ latitudine præditæ sunt, & falsa latitudo altitudini conjuncta, & falsum Punctum in corporeas dimensiones immersum. In dubium quis vertet, me hujusmodi veris dimensionibus meliorem esse, quæ in me vivunt, meæ intelligentiæ notionibus insunt? a me namque, neutiquam à Corpore, suæ naturæ veritatem obtinent; necesse igitur est, me omni prorsus extensione carere, atque singulas spatiorum dimensiones a me rejicere. Nam si dividi possem secundum altitudinem, deterior sanè superficie essem, quæ corpore melior est, quia minus, quam Corpus, dividi patitur, est enim secundum altitudinem insectilis; Si latitudine pollerem, minus valerem, quam linea, in qua insignis quædam perfectio est, non posse in latum distendi; Si denique secundum longitudinem exporrigerer, non essem melior lineâ, quæ in longum explicatur, atque Puncti conditionem non excederem, cum hoc ex quavis parte insectile sit; Ego vero aliqua ex parte Sectilis essem; nulla igitur mole, magnitudine nulla consto.

Veræ Lineæ, & superficies haud in Corpore, in Animo elucent.

Si verâ linea in Animo est, Animus insectilis est.

Si animus dividi posset, aut lineæ, aut superficie deterior esset.

Sum igitur melior Linea, at hæc melior Corpore est; Sum igitur melior Corpore, quod me imperfectius ex alio capite esse manifestissimè intelligo, nam veluti à me suam insigniorem perfectionem emendicat: nam si verâ figurâ terminari gaudet, animo quidem indiget, in quo tantum vere figuratum est. Quis inficietur, Corpus non esse semper aliquâ determinatâ figurâ contentum? Nam cum finitum sit, necesse est sub aliqua extremitate comprehendi. Hæc autem extremitas figura Corporis est, ac illius veluti species; forma quædam & elegantia. At cum nulla extra animum sit vera Linea, superficies vera nulla, nulla utique vera figura in Corpore elucebit. Hinc Corpus, si figurâ aliquâ non polleret, Corpus non esset; Si veram figuram complectitur, non Corpus, sed animus est, in quo solum, aut exacto ex utravis parte circulo, ut Cylinder comprehenditur, aut perfectè sphæricum est, ut globus, aut omnino perfecte quadratis continetur, ut Cubus. Cum ergo veris lineis, vera superficie, perfecte planis extremitatibus exoptet Corpus comprehendi, oportet ut Corpus, veluti ex se ipso egrediens, in animum totum immergatur; cujus virtute ex falso in verum convertitur, verisque figuris terminatur. Idcirco, si animus non esset, nullum verè corpus esset. Cum igitur Corpore melior sum, sane non sum corpus, sed quid Corpore perfectius; ac proinde non quantus, non extensus, non in spatijs exporrectus sum.

Animus Corpore melior est, idcirco insectilis est.

Ex lib. II. Solilo quiorum de Cognitione Dei, & Animæ Cap. XVIII.

Extrà Animum figuræ Corporum lineæ, & superficies falsæ sunt.

In solo Animo vere Corpus verâ figura comprehenditur.

Animus est melior Corpore, si Corpus in solo Animo est.

Incorporeus est Animus, si Corpori antecellit.

Quid igitur sum, si Corpus non sum? Nam nisi extensa, ac corporea substantia essem, quid essem, cogitare non possem. Rejiciatur à me cujusvis Corporis imago; jam quid sim, amplius non intelligo. At quam decipior! Sensilibus enim, corporeisque rebus adeò cum amore assuefactus sum, ut sine illorum imaginibus in me ipso esse non valeam. Cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris, & hæc est immunditia mea; quoniam dum me solum enitor cogitare, hoc me puto esse, sine quo me non possum cogitare. Quamobrem tanta vis est amoris, ut Corpora, quæ diù cogitavi, eisque, curæ glutino inhæsi, mecum etiam attraham, cum ad me

Præjudicata vulgi opinio de Animæ natura detegitur, pariterque rejellitur.

Ex lib. IX. & X. de Trinitate Ex amore Corporum deceptus Animus, se quoque Corpus esse putat.

Animus ex nimia, ac prava sentiendi, ac imaginandi consuetudine facile in errorem trahitur.

cogitandum redeo. Atque adeo per Corporis sensus tanto amore me Corporibus obstrinxisse videor, eorumque diuturna quadam familiaritate implicatus sum, ut cum non possem mecum, tanquam in regionem incorporeæ naturæ, ipsa Corpora inferre, imagines eorum convolui, rapui, ac in mei substantiam veluti convertere studui, ut me aliquid his imaginibus simile esse putem, quibus semotis, me nihil esse existimem.

Mira quædam Augustini analysis qua veluti separando, & resoluendo Animæ naturam detegit.

At, si à me hoc detraham, quod deceptus addidi, si rejectis Corporum imaginibus ad me ipsum redeam, jam quid sim, manifestissimè intelligo. Quid enim mihi me ipso præsentius? quid igitur, detracto quovis Corpore, sum? Totus Animus; Nam si Deus terræ dederit, ut nihil aliud, quam Terra sit, quid quæso prohibet, mihi dedisse, ut nihil aliud, quam animus sim? Sum enim tota mens, res nempe tota intelligens, cui nihil sane se ipsà notius, certius, evidentius est. Jam cum me intelligentem intelligo, me animum, ac mentem esse intelligo, ipsumque intelligere, totum non ex parte intelligo, me totum, non ex parte agnosco, & intelligo.

Ex lib. X. de Trinitate, & Cap. XIII. de Animæ Quantitate.

Animus nihil aliud est, nisi Animus.

Animus in sola intelligendi virtute positus.

At fortasse sum aer, ignis, sanguinis flos, subtilium athomorum textura, permixtorum elementorum harmonia, corporis compago, vel temperatio, ut corporis sit, vivendi, reminiscendi, intelligendi, volendi, cogitandi, sciendi virtus, in qua tota mentis natura elucet? Nihil tamen horum sum, quorum prorsus anceps, incertusque sum. Id tantum sum, cujus quovis detracto, ac posthabito, omnino certus sum.

Ex lib. X. de Trinitate. Dubitat an Animus alicujus subtilioris Corporis species sit.

Dubitationem validissima ratione solvit.

Quid Ergo sum? fortasse aer? at cum me puto esse aerem, aerem me intelligere puto. Quid namque me certum faciat, non esse potius ignem, aut Aetherem, aut subtilissimum quoddam aliud Corpus, aut elementorum temperamentum, & harmoniam? eo modo, quo dubitarunt, ac Plures Philosophi putarunt. Puto igitur, neutiquam scio, me esse aerem, me aerem intelligere; at dum anceps sum, an aere constem, certus omnino sum, me intelligere; me enim intelligere scio, non puto; aerem autem me esse puto, non scio. Dum enim puto, me intelligere aerem, utique quid sit intelligere, scio, & me jam rem putantem esse, intelligo; nempè certus omnino sum, me dubitare esse Aerem, meque aerem esse opinari; Scio igitur me esse rem, quæ dubitat, & opinatur. Scio siquidem, dum aerem me esse puto, me vere intelligere, & de aere, non de intelligendi vi anceps, ac incertus sum. Hinc me vivere, meminisse, & intelligere, & velle, & cogitare, & scire, & judicare nullo pacto in dubium vertere valeo. Quandoquidem etiamsi dubito, vivo, si dubito, unde dubitem, memini, si dubito, dubitare me intelligo, si dubito, certus volo esse, si dubito, cogito, si dubito, scio me nescire, si dubito, judico, non me temere consentire oportere. Dum ergo me esse aerem dubito, me dubitare, atque adeo intelligere scio; de quo etiamsi aliunde dubitem, dubitare non debeo; nam si non intelligerem, de vlla re dubitare non possem.

Animus non scit, non putat se intelligere, etiam dum se aerem aut ignem esse putat.

Dum Animus se esse subtile aliquod Corpus dubitat, se vere dubitare scit, nō putat.

Ex lib. X. de Trinitate Animus dubitans se dubitare in dubium vertere nequit

Jam secernatur à me quicquid esse me puto; Cernam tantum quod scio; hoc mihi remanet; hæc namque est sola substantia mea,

Quod Animus scit, dum putat etiam, ac dubitat, hoc Animi natura est.

cu-

cujus certus omnino ſum. Nihil igitur horum ſum, quorum incertus ſum; quæ ſi non forent, adhuc integrè, ac perfectè me eſſe, ſcirem. Etenim me intelligere, non extra me, ſed in me perfectiſſimè intelligo, etiam cum dubito. Hinc, non quaſi extra me à me ipſo egrediens, modo quo ſenſibus corpora percipio, ſed in me ipſo me rem intelligentem, animum nempè, ac mentem, eſſe intelligo. Si nihil igitur horum mihi affingam, ut tale aliquid me eſſe putem, quidquid mihi de me remanet, hoc ſolum Ego ſum. Nihil igitur præter animum ſum; ſubſtantia nempè ſum Rationis particeps, corpori regendo accommodata. In ratione namque diſcernendi quæ veluti unum, facultate connectendi, quæ plura ſunt, meæ naturæ perfectio ſita eſt, quæ ad corpus moderandum, & regendum, ex ſupremi Conditoris intentione ac voluntate comparata eſt. Hinc abſit, quod Corpus ſim, ſed ſimplex animus ſum, à quo ſi quodlibet Corporis attributum, & quamlibet Corporis ſpeciem detraxeris, jam integra illius ſubſtantia remanet.

Ex Cap. XIII. de Animæ Quantitate.

Anima eſt ſubſtantia rationis particeps corpori regendo accommodata.

Si ab Animo extraneum quoduis detrahas, ſolum intelligere ſupereſt.

Ex lib. de Immortalitate Animæ.

Si igitur extraneum, cui me ex errore, fædo amore conjungente, immiſcui, a me detraham, corporumque imagines abjiciam; ſola Ratio, ſolum intelligere, quæ adhuc integra, atque illæſa ſuperſint, mea tota natura erit. Non diſplicet hic tamen accuratius, atque attentius, quid ſit in me Ratio inveſtigare, ut & inextenſum, ac immortalem paritèr me eſſe intelligam. Ratio eſt mei, Animi nempè aſpectus, quo per me ipſum, haud per Corpus, veritatem intueor. Nam, omni rejecto corpore, per me ipſum in me ipſo me vivere, meminiſſe, eſſe, intelligere, cogitare ſcio, ut ipſa met intelligentiâ meâ meum intelligere intelligam aut fatear, Rationem eſſe ipſius met veri contemplationem, non per corpus, ſed per me ipſum; aut dicam, Rationem eſſe Verum ipſum, quod contemplari gaudeo.

Ratio eſt mentis aſpectus, quo Animus per ſe ipſum veritatem intuetur.

Si Ratio, qua polleo, Mei aſpectus eſt, in animo eſſe, quis ambiget? Si veritatis eſt contemplatio, in me elucere non dubito, ſi verò ipſum Verum eſt, jam vel ratio, veritas nempè ipſe met animus eſt, aut animo ineſt. Si veritas, & ipſe ſum, cum immutabilis ſit veritas, ac nunquam pereat, immutabilis, ac immortalis quoque ipſe met animus erit; quapropter animus Corpus neutiquam eſt. Mutabile enim eſſe Corpus, ac quoad ſui modos interire, manifeſtiſſimum eſt. Non ſum igitur extenſus, interire nequeo, ſecùs & ipſum interiret, mutaretur, ac extenderetur cum Corpore Verum.

Si Ratio ipſa met veritas eſt, cum hæc Animo inſit, Animus ſempiternus eſt.

Mutabile prorſus corpus eſt, immutabilis verò Ratio animo inhærens.

Quod ſi Ratio ſit Veritatis contemplatio, verique aſpectus, utiquè Ratio mihi tanquàm ſubjecto ineſt; cum autem verum non per corpus, ſed per me ipſum intelligam, vero per me ipſum coniunctus ſum, cui ſi non coniungerer per me ipſum, haud intelligerem. At verum immutabile eſt, nunquam interit, nunquam igitur & ego interire valeo, ſi ſemper verum intelligo, veritati, quæ ſemper eſt, coniungor. At contingere poſſet, me ſubſtantiam eſſe, a qua Ratio tamen ſeparari poſſit, aut ſcilicet ipſum verum, aut ipſa veritatis contemplatio, aut ipſius veri aſpectus. Quid quæſo, vetat aut obſtat, non poſſe me ſubſtantiam remanere, & mihi Rationem non ineſſe, ſed diſiunctam à me potius eſſe?

Animus dum veritati coniungitur, immortalis evadit.

Dubitat an Ratio ab Animo ſeiungi poſſit ut interire tandem queat Animus.

Citrà tamen rationem, ſtultè de hac re dubitare videor; nam certus

ſum

Demonstrat, non posse Animum a Ratione separari. Nulla vi Ratio ab Animo seiungi potest. Igitur immortalis est Animus.

sum me vivere, cum in me Ratio vivit; quamdiù enim Ratio à me non separatur, ac mihi cohæret, necessariò me vivere, ac manere oportet. At à me nunquàm Ratio sejungi potest, semper igitur ego vivo, ac sum; interire non possum, si separari à Ratione non possum. Ratio autem, nisi vivam, sim, & intelligam, manere non potest. Qua enim vi à me Ratio separari potest? num corporeà? cujus & potentia infirmior, & origo inferior, & ordo separatior? nullo modo. Spiritali ne, ac intellectivà? At, omni intelligentiæ Ratio inseparabiliter affulget; non destruetur Ratio ad spiritalis, ac rationalis virtutis præsentiam, augebitur potiùs, ac perficietur.

Adeò potens est Ratio, ut Animo immortalitatem concilier. Nec mentem fugit Ratio, nec à mente deseritur.

Quid enim ipsa ratione potentius? qua nihil est immutabilius. Hinc cum quælibet vis sit illà inferior, ego illi coniunctus, potentior, nulla profectò vis erit, quæ à me tam potentissimam Rationem sejungat. At deseret me fortasse ipsa veluti me fugiens Ratio? aut ego pro lubitu meo Rationem deseram? neutrum tamen contingere potest. Jam nulla in Ratione talis invidentia est, ac iniquitas, ut me aliquandò deserat, neque adeò à Bono, ac meæ naturæ perfectione & venustate abhorrere possum, ut destitui velim Ratione, quæ summa Animi venustas, summumque Bonum, ad quod incessanter tendo, est.

Nulla ratione extingui potest Ratio, ipsi veritati necessariò coniuncta est.

Extingui tamen & ipse Animus cum Ratione posset, ut, non quia à Ratione separor, sed quia simul cum ratione extinguor, interire possim. At quo pacto extingui ratio potest? nam Ratio vero coniuncta est; Verum autem immutabile est, atque adeò ob hanc conjunctionem dum veritati coniungitur, summè potens Ratio est. Nulla igitur vis est, qua à Ratione verum aliquando separetur; nunquàm igitur in me extinguitur Ratio. At non manet Ratio, nisi, & maneam ego, cui Ratio inest; Nequeo igitur simul cum Ratione extingui. Sum igitur immortalis, atque à Corporis conditione seiunctus, si nihil, quàm Animus sum: Animus autem Rationis particeps substantia est. At cum stultitia, & error Animo accedunt, Animus à Ratione avertitur; hinc cum à stulta mente Ratio separatur, Animus extingui, ac in nihilum resolvi potest; nam à Ratione averti, deficere est; ex adversò perficitur, atque augetur Animus, cum ad Rationem convertitur. At quid aliud est deficere, quam ad nihilum tendere? Quod autem ad nihilum tendit, utique tendit ad interitum, ut tandem interire, nihilque esse possit. Quamobrem adeò possum à Ratione averti, & deflectere, ut nihilum ipsum, summè deficiendo, aliquandò evadam; idcirco & interire possum.

Dubitat, an per stultitiam, & errorem desinere, atque interire tandem possit Animus.

Animus cum fallitur, & stultus evadit, tendit quidem ad nihilum, at nunquam interit. Aliud est deficiendo tendere ad nihilum, aliud extingui, & interire posse.

Toto tamen Cælo aberrare videor; cum error, aut stultitia me possidet, avertor quidem à Ratione, cum accedente errore à veritatis contemplatione removear; idcircò verè deficere, atque ad nihilum tendere dicor, dum enim à vero, seu ab eo, quod est, deflecto, ad nihilum utique me Converto; at non ità possum à Ratione averti, ut omninò tandem deficiam, ac interream. Potest enim aliquid tendere ad nihilum, ac in infinitum deficere, ut nunquàm tamen fiat nihilum, & intereat. Quid? non deficit, & avertitur à perfectione totius Corporei mundi Planta, aut Saxum, cum decrescit, atque minuitur? Etenim cum possit semper ulteriùs dividi, ac minor in infinitum evadere, adeò tendit ad nihilum, ut in infinitum deficere valeat; at nunquam interire

rire, ac in nihilum converti potest. Etenim dum saxum in infinitum dividitur, cum semper spatii, & corporis naturam redoleat, atque in quovis suo decremento extensum semper intelligatur, nunquam divisionis terminum, ac finem pertinget; idcircò nequit adeò ad nihilum tendere, ut tandem intereat. Si ergo Corpus ipsum immortale quoad sui substantiam est, & si ad nihilum tendit; potiori jure, & immortalis erit animus, corpore melior, ac potentior, qui cum à Ratione per stultitiam avertitur, deficit quidem, atque ad nihilum tendit, non adeò tamen deficere potest, ut tandem intereat.

Quò magis corpus decrescit, eò magis ad nihilum tendit, ut nunquam tamen interire valeat.

Deficit Animus, dum fallitur, at omninò deficere nequit.

Se avertat quidem quantumlibet à Ratione Animus, ut in infinitum deficere, atque ad nihilum semper accedere videatur; at nunquam omninò deficiet, ut cum Ratione coniunctus, inevitabiliter semper non inveniatur. Repugnat namque omninò à Ratione Animum se se avertere, nam dum ego à Ratione per errorem, ac falsum removeor, tunc puto, me intelligere, & contemplari verum; etenim non ob aliam rationem decipior, nisi quia dum falsum sub veritatis imagine laruatum me fallit, ipsum verum amplecti, ac tenere puto. At cùm deceptus, puto, me intelligere verum, & in hoc fallor; verè tamen intelligo, & scio, me censere, verum intelligere, in quo non tantùm non decipior, sed in verum manifestissimè incurro. Etenim verum apertissimè est, quod intelligam, me arbitrari, verum intelligere, cum verum me intelligere puto, quod nullo modo in dubium vertere valeo; aliter non putarem, verum intelligere. Repugnat, me aliquid putare, & tamen me latere, quod putem, seu quod existimem, verum intelligere, sum enim meæ opinionis, ac judicii conscius, etiam cùm errando aliquid puto.

Repugnat Animum à Veritatis cognitione seiungi.

Animus Veritati coniunctus; etiam cùm per errorem à veritate separatur.

Idcircò si error tantùm est, qui me à Ratione seiungere possit, & ex alia parte etiam cum in errorem incido, verum aliquod necessario intueor, repugnat ut possim omninò a Ratione ità separari, ut tandem intercam. Semper igitur cum à Ratione avertor per stultitiam, ad rationem, veritatis nempè contemplationem convertor. Semper ergò intelligo; quapropter semper vivo, ut nunquàm interire valeam.

Concludit semper Animum vivere, si semper in eo veritas vivit, ac immutabilis Ratio elucet.

Ex Lib. de Immortalitate Animæ. Cap. XVI. de Animæ quantitate. Duo sibi proponit Argumenta quibus Epicuri sectatores Animum, corpus mortale esse perperam suadere conantur. Primum Epicuri argumentum; Adaucto & roborato corpore crescit, & roboratur Animus.

At Corpus interit, dum in partes suas resolvitur; non ob aliam verò rationem hoc corpori contingit, nisi quia extensum, ac in spatio exporrectum est, quidquid igitur in loco distenditur, mortale, ac corporeum est. Iam duo potentissima adsunt experimenta, quæ me in spatiis diffusum commonstrant, ac proindè corporea, & mortalis quędam substantia sum. Primò cùm ætate corpus crescit & Animus ipse augeri, & crescere videtur. Nam cùm in immatura ætate corpus, parvum, gracile, elumbe erat, etiam & ego parvus, gracilis, tenuis, enervis eram; ut nullo pacto rationis usum exercerem, sed non minùs, ac ipsa Bruta solo sensu, ac Phantasia utebar. Quis enim neget pueros infantes ne bestiarum quidem nonnullarum astutiæ comparandos? Quis autem dubitet, illis crescentibus, etiam ipsam in eis quodammodo crescere Rationem? Hinc dum validius, magisque consistens, ac robustum evadit Corpus, validior, adultior, magisque vegetus evadit animus. Quo pacto tamen hoc contingere posset, nisi cum corpore pariter crescerat Animus? Atquà ratione ad Corporis augmentum crescere posset Animus, nisi hic in corpore exporrigeretur, ac extenderetur? Nam si in corpore non expande-

panderetur, & diffunderetur, posset sanè augeri corpus, & tamen non excrescere animus, quod profectò non contingit.

Secunda ratio pro Animæ corporeitate deprompta ex sensus expansione per universum corpus.

Deindè si Animus per spatium sui Corporis distenderetur, quomodo nullius molis, & quantitatis esset? Si autem non distenditur, quomodo sentio ubique pungentem? Nam vellicetur, pungatur in qualibet sui parte Corpus, illico in me sensus aliquis excitatur. Si igitur per totum Corpus sentio, necesse est, ut sim quaquà versum in toto corpore expansus, & explicatus, secus qua ratione ubique in Corpore sentirem? At adeo supra allatæ rationes, me incorporeum esse manifestissimè suadent, ut hujusmodi sophismata, ac dubitationes me parum, aut nihil moveant. Quam autem vana, & futilis sit prima dubitatio, quis sanæ mentis non videt? Ut autem ab hujusmodi tricis facilius me expediam, accurate expendam, an Majus, & Melius sint una eademque res diversis tamen expressa vocibus, an potius duæ res diversæ à diverso principio profluentes. Ut autem hoc expeditius assequar, me convertam ad duas planas figuras, ad Circulum nempè, & Quadratum. Jam ponamus hæc duo plana spatia invicem æquari, ut tanta sit in circulo magnitudo, quanta in quadrata superficie continetur. Jam quæro, est ne hic Circulus hoc Quadrato major? Neutiquam. Qua ratione? quia eadem extensio, quantitas eadem in utraque figura æque extensa involvitur. At dum Circulus æqualis non major est quadrato, hoc tamen melior est, ut supra apertissimè deduximus. Igitur aliud est Majus, aliud est melius. Majus à quantitate sumitur, ut major figura altera dicatur, cum majori quantitatis extensione perfruatur. Melius autem ab æqualitate accipitur. Nam ideo Circulus quadrato melior est, quia major æqualitas, non quantitas in Circulo, quam in quadrato elucet. Summa enim æqualitas in Circulo efflorescit, qua perfectione cæteras figuras rectilineas excedit circulare spatium. Hæc igitur æqualitas non est quantitas, nec ulla spatij dimensione, aut Corporum magnitudine circumscribitur; sed quædam incorporea ab omni spatiorum diffusione immunis natura est.

Aliud esse majus, aliud melius.

Æquali quadrato non major, sed melior est Circulus.

Majus à quantitate, melius ab æqualitate desumitur.

Ab incorporea æqualitate major figurarum perfectio pendet.

Jam quid aliud virtus est, nisi insignissima quædam Animi æqualitas, qua undique Rationi consentit Animus, atque veritati congruit ab excessu, & defectu abhorrens? Hinc circulo Virtutem assimilari non displiceat; nam quemadmodum Circuli extremitas sibi undique concors est, atque ab eodem Puncto medio recedens, eadem ratione virtus ex omni parte æquè rationi, ac veritati tanquam suo centro congruit, atque respondet. Idcircò cum Virtutis indoles tota in æqualitate eluceat, necesse est, ut quid incorporeum, nulla spatiorum dimensione comprehensum, sit virtus; ut virtute non major, sed melior Animus dicatur.

Virtus quædam Animi æqualitas est. Circulo virtutem comparat.

Virtute non major, sed melior fit Animus.

En quo pacto dubitatio prima evanuit, dum mole crescit corpus, haud major, sed melior, evadit Animus; perficitur, non augetur Animus, dum corpus augetur, nam non crescit animus, nisi dùm ad virtutem laudabiliter proficit. Quod à corporis, molisque incremento nullo modo pendet, sed ab incremento virtutis, quæ à spatio, & quantitate mirum in modum abhorret. Idcircò usu, ac virtutis exer-

Adaucto corpore perficitur haud augetur Animus.

exercitio dum corpus augetur, non major, sed melior evadit animus. Quod rursum innotescit, dum adverto nihil Corporis molem, incrementumque magnitudinis conferre ad Animi perfectionem, ac vim augendam. Nam frequenter vidi homines graciliores, parvoque corpore constantes, iis, qui majori corporis mole, ac quantitate pollebant, solertiores, ac ingeniosiores. Imò intelligo, ac ipsa met sensuum auctoritate manifestissimè didici, & ipsa corpora non se invicem robore, ac virtute superare ob molis magnitudinisque immanitatem, sed ab alia occulta causa diversas corporum perfectiones emanare. Hinc quò subtiliora, magisque extenuata sunt corpora, sæpissimè eo validiora, ac perfectiora sunt. Si ergo potius obstat, quam prodest molis, ac quantitatis excessus ipsimet corpori, quo pacto deinde juvabit Animum, qui prorsus inextensus est, ac incorporeus?

Corporis moles nihil ad vim Animi augendam confert. Cap. XVII. de Animæ Quantitate.

Eò validiora corpora aiunt, quò tenuiora, ac subtiliora evadunt.

At non solum moles, verum etiam & ipsa Corporum incrementa nihil revera conferunt, ut Animus melior evadat, atque ad virtutem intentius proficiat. Nam quid temporis incrementum conferet animo, si neque ipsorum corporum incremento auxilio est? Haud rarò corpora annosiora, breviori, minorique mole donata sunt, quam quæ sint brevioris ætatis. Hinc non temporum proportione, corporum crescunt moles; quorum incrementum non tempori, sed potiùs seminis virtuti, ac cuidam occultorum numerorum rationi debetur. Animus igitur, dum corporis spatia augentur, ac veluti longius progrediens distenditur tempus, non major, sed melior fit. Quod à virtutis quidem, ac æqualitatis excellentia, haud à temporis, molisque incremento pendet. Idcircò in Corpore animus non extenditur, ut & ipse corporeus, & quantus pariter sit.

Neque molis, neque temporum Incrementa Animæ virtutè adaugent.

Concludit Animum nullo pacto in corporis spatiis explicari.

Quemadmodum cum corporeis signis, sono nempe articulato utens mea cogitata aperire didici, quod patrium idioma, ac vernaculus sermo dici consuevit, non cum corpore crescente amplior, & major factus sum, ut majori Animi extensioni, ac moli attribuatur sermocinandi facultas, sed imitatoriæ cujusdam artis hoc est, præceptis nanque, usu, & exercitatione, non ampliori Animi cum Corpore crescentis mole, acquiritur.

Ex c. XVIII. de Animæ Quantitate. Ad arte, non verò ab Animi incrementa Sermonis peritia pendet.

Attamen saltem cresco, & major fio, cum aliquid disco, & ex adverso decresco, cum obliviscor. Dum aliquid discitur, profecto augetur Animus non ratione extensionis, ac molis, qua ille omnino caret, sed propter augmentum virium, ac virtutis; quæ Animi virtus ac vigor veluti decrescere videtur, cum aliquid Animo excidit. Idcircò quemadmodum in corpore tria incrementorum genera considerantur, incrementum nempè necessarium, quo debita suæ naturæ proportione augentur membra; superfluum cum præter naturam in monstrosas partes plus, quam decet adaucta membra degenerant; Noxium cum corporis membra, expugnata bona valetudine, tument: Simili ratione, naturali, ac necessario incremento crescere videor cum honestis ad bene, beateque vivendum accommodatis disciplinis veluti ampliorem intelligentiam adipiscor. Cum autem ea, quæ disco mirabiliora potius, quàm utiliora sunt, superfluo tunc incremento augeri dicor; At noxium patior incrementum, cum illud artium genus disco, quo sauciatur Animus, cùm nempe artes ad corpus, non verò ad

Cum discimus, virtute non mole crescit Animus. Ex cap. XIX, & XX. De Animæ Quantitate.

Triplex Animi incrementum; necessarium, superfluum, & noxium.

animum perficiendum, comparantur; quibus animus neglecta mente defluxit in ſenſus, unde tumuiſſe, vel etiam contabuiſſe judicandus eſt.

Dubitat iterum, an ſimul cum corpore augeatur, animus.

Lætabar autem, exiſtimans omnem dubitationem jam penitus diluiſſe, at nova mihi ſeſe obtulit difficultas, quæ me ſimul cum corpore creſcere, ampliorem que extenſionem nanciſci ſuadere videtur. Cum corpus per ætatem creſcit, ampliuſque evadit, & vires etiam in me augeri, majoreſque fieri experior. Quid? fortaſſe dicam, Mei tantum eſſe virtutem, corporis verò vires? At dici nequit cum in exanimis corporibus nullæ ſint vires, quas Animus profectò illis largitur; qui quemadmodum ſenſibus, ità & corporis utitur viribus.

Quæritur an adaucto corpore & Animi vires creſcant.

Ex cap. XXI. & XXII. De Animæ Quantitate.

Corporis vires non à mole ſed ab exercitatione potiſſimum pendent.

Sæpiſſimè dum imminuitur corpus, vires augentur.

Si tamen attentius rem expendo, ſatis intelligo majores corporis vires, & ſi à me aliquo modo in Corpus effunduntur, non tamen à majori mole, ſpatiique incremento ortum ducere; ſed potius in quadam membrorum exercitatione, & conformatione hoc poſitum eſſe puto. Quid quæsò apertiùs experientia ipſa docet, quàm non eò excedere, magiſque augeri vires, quò mole, & extenſione magis redundat corpus? Sæpiſſimè homines graciliori, magiſque extenuato corpore conſtantes, virium robore, majoris etiam molis, ac magnitudinis hominibus præſtant. Qui inſania, & phrenitide laborant, aut acutiſſima febre vexantur, ſolent immenſas vires acquirere, licet in illis ipſa corporis moles multùm decreſcat.

Solidè, acuteque exponit, à quo potiſſimùm virium augmentum in corpore originem ducat.

Idcircò ex æqua membrorum configuratione, animalium ſpirituum ſoliditate, deſtricta muſculorum textura, nervorumque tenſione corporis vires effluere videntur: Influunt etiam pondus, ac ipſius Animi nutus, & imperium; quæ quò magis valent, robuſtiores ſunt vires, ac vegetiores. Nutu nanque, ac nervis quaſi tormentis, organorumque machinamentis ad ipſum Corporis pondus ejaculandum, non corporis mole, Animus potiſſimum utitur. Quod ſi creſcentibus corporum viribus augeretur animus, quanto magis tum creſceret, cum doctrinæ, virtutiſque cognitio in intelligentia affluunt, ampliore ſque evadunt? Nam corporis viribus imperium Animus, ac nutum tantum accommodat, doctrinarum autem copiam poſſidet. Deindè ſi verum eſſet, animum concreſcere, cum adduntur, & augentur vires corporis, oporteret iiſdem viribus ſubductis, & decreſcentibus & ipſum decreſcere. Demuntur autem, & extenuantur vires corporis in ſenecta, atque in labore ſtudiorum. Decreſcunt enim, cum ſeneſcimus, aut cum earum energia in ſcientiarum, facultatumque exercitatione, ac ſtudio imminuta, ac veluti extincta langueſcit; at validior, robuſtior, copioſior tunc evadit doctrina; creſcit enim eò tempore intelligentia, dum maturius, ſolidiuſque cogitamus.

Adauctæ doctrinæ quodammodò augeri videtur Animus.

Repugnat Animi vires à corporibus viribus pendere.

Dum igitur in ſenectute corporis vires decreſcunt, auctis doctrinis, & facultatibus, ſimul decreſceret, & augeretur, amplior, & anguſtior pariter evaderet Animus, quo nil abſurdius, nil ſtultiùs dici poterat. Non creſcit ergo Animus dum vires creſcunt, quemadmodum neque amplior fit, cum veluti ampliantur, atque explicantur doctrinæ, ſed tantum exercitatione, ſtudio, labore melior fit, validiuſque intelligit; quæ omnia a molis corporeæ magnitudine, & incremento nullo modo pendent.

At ſi

At si Animus incorporeus est, & in Corporis spatio quaquà versum non exporrigitur, quì fieri potest, ut undique in Corpore sentiat? Nam si pungas, ac ferias quamlibet Corporis partem, illico percipit, ac sentit. Sum igitur per totum Corpus expansus, atque spatij dimensionibus accomodatus, ut tantæ molis sim, quanta est extensio, ac magnitudo Corporis, cui conjunctus sum. Hæc dubitatio vehementer me excruciat, at si diligentissimè quid sit sensus, expendam, fortasse ubi in hoc ratiocinio lateat deceptio, quam facillimè intelligam. Etenim dum sensus Indolem acerrimà quadam perceptione contemplor, clarissimè percipio, ut sentiam in brachio, pede, digitis, aut quavis alia Corporis parte, non opus esse me in illis expansum jacere, seù ibi esse, ubi est pars Corporis mei, in qua sentire dicor. Possum quidem ibi non esse, alibi esse, & tamen sentire quicquid illa patitur, ac in se recipit.

Ex Cap. xxiii. de Animæ Quantitate. Dubitat, quo pacto Animus incorporeus ubiq; in Corpore sentiat.

Vt sensus in Animo excitetur, non est necesse, ut Animus in corpore extendatur.

Mens sentit ubi non est.

Hoc autem notius, evidentiusque redditur, cum adverto & ipsa corporis mei Organa, quorum auxilio indigeo, ut sentiam, non quidem ubi sunt, sed alibi ubi non sunt, corpora externa sentire. Si enim Corpus, cui totam sentiendi vim largitur animus, sentit ubi non est; quid prohibet, Animum corpore perfectiorem, nobiliorem, ac validiorem, percipere, dum sentit ubi non est, adeo ut in Organo, per quod sentire videtur, nullo modo ad instar Corporum extendatur, ac jaceat?

Organa corporis non ubi sunt, sed alibi ubi non sunt sentiunt.

Si corpus sentit ubi non est, potiori Iure hoc tribuendū est Animo, per quem sentit Corpus.

Quis autem hoc pacto rem verè contingere inficietur? Etenim duo continet sensus: scientiam in Animo, Passionem in Corpore. Sentire enim dicor, cum me non latet, quod Corpus, patitur, videlicet scio, haud ignoro Corporis Passionem, quam in illud externæ res ingerunt. Hinc legitima, ac conspicua sensus notio, cui optimæ definitionis dotes singulæ competunt, sequens est: Videlicet non latere Animum, quod patitur immediatè corpus. Duplici autem modo me aliquid non latet, seu aliquid scire possum. Primo per intelligentiam, & firmissimam rationem, cum nempè plenissima certitudine, & evidentià, simpliciter intelligendo, aliquid percipio: altero modo, cum aliquid mihi innotescit mediante Organorum Passione, seù mutatione. Hinc cum video solem, vivida quædam solis Idæa, ac scientia mihi inest, ut me non lateat sol. At tunc non claro, ac distincto Rationis conceptu, sed confusà sensuum repræsentatione mihi solaris globus innotescit, qui modus sciendi ipsismet Brutis inest, quæ per sensum, non autem per Rationem sciunt.

Sensus est, non latere Animū quod Corpus immediatè patitur.

Alia scimus intelligendo, alia sentiendo.

Eodem pacto, duplici modo, mediante Organo scire aliquid possum: Primo immediatè ex ipsius Organi Passione, ut cum ex ipsamet Corporis mutatione Organorumque impressione res manifesta redditur, & tunc quod scio, verè ac propriè sentio. Deinde mediatè, cum non immediatè ex ipsa Organorum Passione, sed ratione alterius, puta conjecturalis cognitionis, ac ratiocinij, quod corpus patitur, innotescit. Quæ quidem scientia, non sensus, sed cognoscere per sensum nuncupatur. Hoc pacto, cum oculum fumus movens, & afficiens notus mihi redditur, Fumus sentiri dicitur, quia ob illam oculi Passionem immediatè mihi manifestatur; Cum autem

Aliud est sentire, aliud per sensum cognoscere. Ex Cap. xxiv. de Animæ quantitate.

tem & ignem ibi adeſſe percipio, ubi fumus attollitur, Ignis non ſentiri, ſed per ſenſum cognoſci dicitur, conjectando, ac ratiocinando. Quapropter aliud eſt ſentire, aliud cognoſcere.

Jam videamus primò, quo pacto Corpus meum patiatur, dum Organa ſentire dicuntur, & qua ratione in Animo ſcientia excitetur, cum ſentio; quod ut expeditius, ac intimius intelligam, nobilius ſentiendi organum, Oculus nempè pro exemplo accipiatur.

Videat oculus Solem: jam oculus ſentit Solem, (nam omne quod ille videt, ſentit, quamvis non omne quod ſentit, videat, ut cum ſpinà punctus, dolorem, quem non videt, ſentit); Cum autem ſentit Solem, neceſſario Solem patitur; etenim niſi aliquid pateretur, ex Sole impreſſionem aliquam accipiens, ſanè Solem non ſentiret. Quid enim cauſæ eſt, quod nunc Solem oculus videat, quem paulo antè non videbat? Niſi quia nunc Solem, aut ex Sole patitur, quem antè non patiebatur. Qua ratione tamen ſolem oculus patitur? Sane quia ex oculo viſus, viſualis nempè quidam radius erumpens, ad ſolem uſque exporrigitur, ut veluti inflexibilis quædam Virga viſus ſit, quà oculus pati, ac tangere Solem dicatur, tangimus enim Corpora externa, cum ſentimus.

Oculus corpora, quæ videt viſuali radio tangit, ac patitur.

At undè oritur hæc vis in oculo, ut per viſum ſolem patiatur, & tangat? Sanè ab Animo, quo ſemoto, oculus nunquam videndo patitur, quamvis ab eo ſejunctus quamplura alia pati poſſit. Cum autem oculus videns, ac ſentiens ſolem, patitur ſolem, ubi quæſo patitur? profectò ubi eſt ſol. Et enim ſol ſentiri, ac tangi nequit, niſi in eo loco, ubi eſt: At ubi ſol eſt, ibi ſanè oculus non eſt. Oculus igitur dum videt, ac ſentit, ſolem patitur, ubi non eſt; ſentit igitur, ubi non eſt; ſi oculum pati ſolem, ſentire eſt, neque pati poteſt, ubi eſt, nam ſi ibi pateretur, ac ſentiret, tantùm oculus ſe ipſum pateretur, ut neque quæ ipſi contigua ſunt, ſentiret. Cum autem ſe ipſum non patiatur, ubi eſt, revera non patitur; quapropter non ſentit, niſi ubi non eſt, ut alio modo ſentire nequeat.

Animi virtute corporeus oculus videndo patitur.

Oculus videns ſolem patitur ac ſentit ubi non eſt.

Oculus non poteſt videndo ſentire niſi ubi non eſt.

Si tantum igitur Animus valet in corpore, vim, ac energiam tantam impartitur Organis, ut oculus ubi non eſt, ſentiat, ac patiatur ſolem, cur ergo & ipſe percipere, ac ſcire non poterit, quod oculus patitur, licet in oculo extenſus non jaceat? Unde oritur in Animo hæc neceſſitas, ut debeat extendi, ac contineri exporrectus in organo, ut illum organorum non lateat Paſsio? Nam ſi organum corporeum Animo imperfectius, Animo ſubditum, ab Animi virtute vitam, & energiam recipiens, pati, ac ſentire poteſt ubi non eſt; non video, cur Animus deinde ut ſentiat, ac per organa externas res ſciat, ac percipiat, jacere, & habitare (liceat modò dicere) per quantitativam effuſionem in ipſo Organo ad inſtar corporum teneatur. Idcirco cum aliqua mei pars corporis ab externorum corporum mota, & impreſſione affecta aliquid patitur, ubique me hæc non latet Paſsio, quamvis ubi pars eſt, quæ res externas patitur, expanſus, ac diffuſus non ſim.

Non oportet Animum extenſum jacere in Organo per quod ſentire dicitur.

Dum ſentimus, nihil propriè Animus ex corpore patitur.

Neque revera, dum aut corporis organis ſolem video, aut ſonum audio, aliquid ex corpore patior, ut verè in me corpus agere, ac influere

fluere dicatur; tantum enim rerum externarum impetu, & impressione corpus patitur. Ego autem solum scio, ac percipio, quid corpus immediatè patiatur. Etenim si dum sentio, à corpore paterer, jam aliquid in me tanquàm in sui subiectam materiam veluti fabricator ageret Corpus: hinc sonoros cum audio numeros, sensilium rerum cum video imagines, in me tanquam in sui materiâ corpus quasi Architectus aliquid fabricaret, ac procrearet. Deterior igitur non verò perfectior corpore essem; cum subiectà materiâ, in quam agit, excellentior quidem sit Architectus, ac fabricator. Ego igitur, & sonoros numeros, & rerum externarum imagines, cum auribus, oculisque utor, in me progigno, atque efformo: corpore, ut agam, sentiam, intelligam profectò ex meæ naturæ necessitate non indigeo; cum me informare corpus, illique coniungi solà Dei facientis intentione, ac liberrimo quodam nutu, putem.

Ex Lib. VI. Musicæ cap. 2. 3. 4.

Si Animus dum sentit, à corpore patitur, ignobilior corpore esset.

Perfectior est Artifex materia, in quam agit.

Quapropter cum per Corpus sentio, nihil ab illo patior, sed tantùm videor in illius passionibus, me attentius agere, ut me sentire nihil aliud sit, quam hujusmodi actiones, sive faciles propter convenientiam, sive propter inconvenientiam difficiles, non latere. Quod ut assequar, non oportet, ut Corporis actionibus verè afficiar, aut sim in ipsius Corporis spatiis exporrectus. Cum autem hæc diligentissimè expendo, vehemens quædam me movet dubitatio; An ego verè in corpore sim? Potiùs enim extrà omne corpus esse videor, ut verè agam, ubi non sum. Sanè per spatiorum diffusionem in nullo corpore sum. Subtilis autem, & peracuta hujusmodi dubitatio ad me ipsum me summoperè invitat, & quantum licet, avellit à corpore. Fortasse dum amo, neutiquàm in corpore, quod informo, sed potiùs extrà ubi id, quod amatur, adest, sum; ut in corpore viventis amati, non autem amantis sim, ad quod cernendum intelligentiæ facultas mirum in modum purganda est, & corrigenda.

Quid Animæ contingat, dum per corporis organa sentit, ingeniosissimè aperitur.

Dubitat, an Animus extrà omne corpus sit, etiam cùm per Corpus sentit. Ex cap. xxx. de Animæ Quantitate.

At dùm ad cætera viventia ab homine diversa me converto, Animam extensam, in spatiisque diffusam esse percipio. Etenim quidquid scindi, ac in partes resolvi potest, verè extensum, in spatiisque diffusum est. Scinditur autem brutorum Anima, cum secatur, ac in partes dispescitur corpus; quapropter illorum Anima extensa est. Quo ergo pacto fieri potest, Animam carere spatio, quando hæc scindi etiam cum corpore potest? Hoc autem pluries expertus sum, nàm palpitantes sæpè vidi Lacertarum caudas à cætero corpore amputatas. Hujusmodi enim animalcula in plures partes discissa, veluti in plura viventia, ac animata fragmenta converti videntur; Quorum unumquodque integrum, ac perfectum Animal videtur, quod celerrimè quaquà versum movetur, sensuque pollet; Etenim contorquetur statim, & convellitur, si pungas illud, ac ferias. En quo pacto, secto corpore, & ipsa Anima corpori inhærens in plura fragmenta scinditur, & distribuitur.

Altera proponitur difficultas; an Brutorum Animæ sint extensæ, & divisibiles. Ex Cap. xxxi. de Animæ Quantitate.

Brutorũ Anima scindi cum corpore videtur.

At optimè dubitari potest, an reverà scissa, ac divisa sit Anima, dùm hæc, & alia similia animalcula in partes distributa moventur. Posset enim hoc potiùs contingere ex impetu, quo subtilissima, ac ignea quædam substantia in glutinosis talium Animalium membris veluti compedibus detenta, egredi, atque libertatem nanciscì enititur. Hic enim incluſus

Adhuc sub lite est, an brutorũ corpore discisso, & illorum pariter Anima in partes dividatur.

incluſus æther, dum foras erumpit, ſanè aptus eſt fragmenta illa movere, ac multifariam agitare, ut ſenſu, & Anima prædita eſſe videantur.

Animam indiviſam eſſe evincit ratio, licet nos lateat cauſa, cur quædam Animalia in partes diſciſſa vivant.

At quamvis me lateat cauſa cur in conciſione quorumdam Corporum hæc contingant, non continuò me hoc uno ita perturbari oportet, ut tam multa, quæ mihi ſuperiùs luce clariora viſa ſunt, falſa eſſe arbitrer. Fieri enim poteſt, ut hujus rei cauſa nos lateat, vel humanæ naturæ occultata ſit, vel ſit alicui homini cognita, nec iſte a me interrogari poſſit, aut etiam hoc ingenio ſim, ut mihi ſatisfacere interrogatus non poſſit. Hinc ſi illa manent integra, quæ a me interrogatus certa, & indubia eſſe mihi met ipſi reſpondi, nihil eſt quòd hæc Animalcula, ac vermiculos metuam, quamquam illorum vivacitatis, ac nervoſitatis cauſam non valeam afferre. Fieri enim poteſt, ut aliquod conciſum Animal in omnibus partibus vivat, licet Anima quantitatis, ac ſpatii expers, indiviſa, atque integra maneat. Ut autem qua ratione hoc fieri poſſit facilius intelligam, ad humanum ſermonem, ſeù Verba opportune recurram. Duo in verbis, ſeù in quovis nomine mihi ſeſe offerunt: ſonus nempè oris ex litteris efformatus, in quas reſolvitur, & ſignificatio, ſeù notio, & Idea, quam ex arbitrio Animus affingit. Aliud enim eſt ſonus, aliud quod ſono ſignificatur. Idcircò cum corporeis organis utens ſolem enuntio, e corpore tum ſonus erumpit; ſolis autem notio, quæ ſono exprimitur, tantum mihi ineſt, quæ veluti in corporeo ſono fœcundata ſimilem notionem in audientium Animo parit.

Ex Cap. xxxii. de Animæ Quantitate.

In quovis nomine ſignificatio, & ſonus continentur.

Jam etſi Corporea magnitudine ſol tumet, illius tamen notio, ſeù ſignificatio, huic ſono, *Sol*, addicta, omnem quantitatem, ac molem a ſe rejicit, etenim neque lata, neque longa, aut ſolida eſt. Hinc inſectilis eſt, partibus nullo modo conſtans. Quo enim pacto cogitatio, quæ indiviſibilis eſt, atque inextenſa, in partes diſtribui poteſt? Liceat ergò ob rerum quamdam proportionem, & analogiam, ſignificationem ſeu notionem ſono addictam, animam appellare; ſonum verò nominis, corpus. Etenim ſignificatio veluti implet, perficit & complet ſonum, quo illa inſignior eſt. Corpus nominis ſectile eſt, atque litteris conſtans, dum ore efformatur, tempori coextenditur; dum autem Caracteribus, ſeu figuris exhibetur, in loco, atque ſpatio diſtenditur, ut totus ſonus integro tempori, ac ſpatio, partes verò ſoni, temporis ſpatiique partibus reſpondeant.

Solis notio inſectilis eſt, ſecùs verò Sonus.

Significatio nominis Animæ eſt, ſonus verò Corpus.

Anima verò nominis indiviſibilis eſt, ut in nullas partes ſcindi, ac recidi valeat. Accipiatur igitur hoc nomen ſol, & illius ſonus veluti dilaceratus in tres ſui partes, quæ tres litteræ ſunt S. O. L. diſcindatur. Jam hæ tres litteræ ſignificationem nominis nullo modo retinent, ſed prorſus amittunt; nam dum ſeparatæ enuntiantur, profectò ſolem non exprimunt, ſeù ſolis ideam in audientium Animis non excitant. At cum deperdità ſignificatione, diſcerptus in litteras ſonus eſt quid aliud quæſo factum eſt, quam dilaniato corpore animam diſceſſiſſe, & quaſi mortem nominis contigiſſe? Quapropter diſſecto nominis corpore, integra, & indiviſa Anima nominis, à ſono ſejuncta manet. Hoc exemplo ſatis intelligo fieri pariter poſſe in Animalibus, ut dilacerato, ac in partes diſciſſo corpore, anima quantitate orbata

Anima nominis indiviſibilis, ſectile verò Corpus.

Diſciſſo corpore non ſcinditur Anima.

batanulla ratione ſcindatur, aut in fragmenta cum corpore dividatur.

In hoc autem exemplo, dum Anima corpus relinquit, nulla corporis pars vivit, ſed emortuo nomine, exanimis, ac veluti nominis cadaver ſupereſt. Videamus ergò aliud in nomine exemplum, in quo diſſecto corpore, Anima indiviſa, ac inſecta remaneat; corporis tamen fruſta adhuc animata vivant. En nomen lucifer. Corpus ſonus eſt tribus compactus ſyllabis, Luci, fer. Quapropter in tres ſcindi poteſt partes. Anima verò ſignificatio eſt, Idea nempè, ac notio, qua ſtellam quamdam quæ ſolis Ortum præcedit, nobis repræſentamus. Quæ notio inſectilis ſanè eſt ac prorſus indiviſibilis.

Exemplum tradit, in quo diſſecto corpore non ſcindatur Anima, & ſingulæ corpori fragmenta animata vivant.

Jam hic ſonus Lucifer in duas dividatur Partes, quarum prima plus quam nominis dimidium contineat, ut Luci, fer. Hac peracta diviſione, ſignificatio, quæ totum impleverat, ac animaverat ſonum, abſcedit, atque ſono ſeparatur, ut diſciſſo ſono, indiviſa, ac integra manens non ſcindatur. At duo illa nominis fruſta Luci, & fer adhuc vivere, & animam redolere videntur. Nam hæ duæ ſyllabæ ſimul, nempè Luci ſignificationem aliquam retinent, ideam videlicet, ac notionem Lucis. Extrema verò ſyllaba fer etiam animata remanet; notionem namque, quæ quemdam translationis motum repræſentat, audientis animo excitat. Quapropter Anima totius nominis dum à ſono ſeiungitur, integra ac indiviſa manet. Sonus autem licèt totus ſimul non vivat, ut penè emortuus ſit, tamen in ſuis ſingulis fragmentis adhuc animatus vivit. Hinc planè intelligo, quod nominis Anima dum implet, atque animat corpus in loco, & tempore expanſum, neque in loco, neque in tempore exporrigatur, quamvis abſciſſa membra, ac partes invicem ſejunctæ vivant. Quid autem prohibet, & in Lacertis, ſimilibuſque animalculis rem ità contingere poſſe? Ut dum illorum corpora in ſpatiis explicata in plura fragmenta, & partes diſtribuuntur, integra, & indiviſa manente Anima, adhuc vivant, & animata moveantur. Tanta enim vi, ac robore tanto pollent argumenta, quæ me incorporeum, atque indiviſibilem eſſe commoſtrant, ut quàm maximè ad verum accedere videatur ſecari poſſe corpus, ſectumque vivere, incolumi, & inſecta manente Anima, cui nullum ſpatium, nullaque corporum dimenſio ineſt.

Ex C. xxxiv. de Animæ quantitate. Quomodò diſciſſo Corpore, nominis anima indiviſa maneat.

Verſimilem exhibuit modum, quo Lacertarum fragmenta, inſecta totius animantis forma manente, animata vivant.

Non ſum igitur quantus quantitate molis, ſed virium tantùm, ac virtutis. At quantùm valeo? Quouſque extenditur virtus mea, ac poteſtas? Cum autem vires, quæ in me pellucidè florent accuratiſſimè expendo, tam immanes eſſe reperio, ut poſt Deum ſingula, quæ in univerſo emicant, maximoperè ſuperem, & excedam. Nullum enim corpus & ſi ingentiſſimæ molis, tantum poteſt, quantum ego poſſum, & valeo. Præſtantiſſimas autem in me vigere vires intelligo, cum ad Deum, ad me ipſum, ad corpus me diligentiſsimè refero, ut valdèarduum ſit ſatis detegere, quantùm in corpore valeam, quantum in meis facultatibus, quantùm denique potens ſim, ob arctam Rationis meæ cum ſempiterna, & immutabili Veritate coniunctionem. Quod ut expeditius aſſequar, me per ſeptem gradus ex infimis ad ſuprema uſque aſſurgentem attolli, & elevari concipiam.

Quæritur, quanta ſit Animæ virtus, ac poteſtas.

Anima ad Deum ad ſe ipſam, & ad Corpus refertur.

Atque primò tantùm in corpore meo valeo, ut, dum facientis intentio-

Primus Animæ gradus, Animatio.

tentione illi coniungor, vitam, vim, robur, ac energiam tribuam. Etenim in corpore veluti in meæ dominationis subjecto, subtilioribus Sanguinis partibus imperans, quò nervorum filamenta tendunt, ut singularum corporis operationum cardo, & origo, ibi splendidissimè præsideo, hinc quòd hæc organica moles augescat, nutriatur, conservetur, se ipsam propaget, à mea virtute, & imperio potissimùm pendet. Hic autem primus meæ potestatis gradus. Animatio nuncupetur, cujus ope à plantarum anima minimè secerni videor; cum vegetantis spiritus virtute, plantarum corpora alantur, augeantur, & mirùm in modùm propagentur.

Secundus gradus Animæ, sensus.

Deindè ad altiorem assurgens gradum, multifariam externas res percipiens, per corpus agere aggredior. Hinc quasi per Organorum corporis tubos effusus, & ex intelligentiæ meæ penetralibus egrediens externa corpora, quæ in corpus meum diversimodè impelluntur, mihi diversis modis exhibeo, atque illorum carpens imagines, veluti in meæ substantiæ sinum jucundissimè transfero. Idcircò cum corporis mei motus & affectiones me non latent, in quavis corporis parte sentire dicor, & dum subiectis Organis utor, quidquid extranea corpora in se claudere & abscondere videntur, prospero successu detego, nam colorum, luminisque elegantiam oculis, miram sonorum varietatem auribus, odorum multitudinem olfactu, gustatu saporum differentias, aspera, lenia, calida, frigida, aliasque corporum affectiones tactu, lætissimè perlustro, atque ingenita quadam sagacitate venari videor. Quapropter organorum, membrorumque corporis decrementa solertissimè reparans, dum externis sensibus indulgens, otium illis, & quietem impartior, innumera phantasmata, vividas scilicet, ac momentaneas quasdam sensilium rerum imagines, in somnis læto quodam spectaculo procreo, adaugeo, extenuo, & mira quadam metamorphosi in alias rerum similitudines converto, quæ tandiù vivunt, quandiù ingens mea imaginandi potestas illa excitat, ac tuetur. Attamen dum cuncta hæc exerceo, à Brutorum Anima minimè distinguor, quibus verè sensus ineſt.

Tertius Animæ gradus, Ars.

Non autem tantùm in corpore corpus animans, aut per corpus sentiens, validissimè ago; verum etiam altius ad tertium Artis gradum ascendens, Rationis, Artium, Disciplinarumque vi multum circa mundana corpora agere posse intelligo, ut corporum vim, pondus, efficaciam, motiones multifariam modificari, temperare augere impedire ingeniosissime valeam. Hinc artium potestate, ac imperio mirè procreata, & inventa sunt, quotquot in Republica vel ad mutuum hominum commercium, societatemque comparantur, vel ad urbes muniendas, constructa artificia, naves revolvendas, attollenda pondera, atque ad humanæ vitæ usum commodum, & felicitatem spectant. At hæc omnia probis, & improbis, bonis ac malis animis communia sunt.

Quartus Animæ gradus, Virtus.

Prætereà vires alias, potestatem aliam peculiari summi numinis auxilio in me florere video, qua corpore quovis post habito, singulis sensum imaginibus, mendosisque spectris contemptis, ac rejectis, veluti sejunctus à corpore ad me ipsum redire possum; quod sanè mihi præstare videor, dum ad sola intelligibilia, & incorporea me convertens,

tens, cogitationem à sensilium rerum præsentia avoco, atque removeo; qui profecto intellectivæ facultatis conatus, quo a corporum consortio recedens, me mihi ipsi restituo, valdè laboriosus est, & arduus, qui dum me phantasmatum contagio purgat, virtus jure merito appellatur, cujus robore potissimùm, ut mecum interiori quodam sermone alloquar, rerumque spiritalium naturam purius inspiciam, vehementius præparor.

Quintus Animæ gradus Tranquillitas.

Victa tandem, ac Superata pravæ meæ consuetudinis resistentia, corporumque impetu domito, adeò ad me rediens mihi strictius coniungor, ut læta quædam Pax, ac tranquillitas in me regnare summoperè incipiat; quod tunc sanè contingit, cum, sensuum tumultu sedato, furentisque phantasiæ insolentia oppugnata, apud me jucundissimè commoror, ut penè nihil a me ipso me abducere & avocare valeat.

Sextus Animæ gradus, Ingressio.

Quamobrem post Virtutem Tranquillitas succedit, cujus ope ad sextum gradum, qui Ingressio dicitur, nullo labore assurgere possum. Etenim dum virtute purgatus, & emendatus me ipsum, extraneis naturis rejectis, ingressus, læta quadam serenitate perfruor, ad immutabilem, ac beatissimam veritatis lucem clarissimè intuendam disponor, atque satiativam, veramque sapientiam castissimo amore exoptare incipio, in cujus possessione animi quies, & solida felicitas sedem obtinent.

Septimus Animæ gradus, Mansio, Contempl.

Postremò tantum meæ vires, ac potestas excrescunt, ut in ipsa Veritatis contemplatione maneam, atque in summæ, & interminatæ sapientiæ sinum immersus, verùm quod tantoperè appetebam, intuear, atque possideam, quod profectò humanæ mentis meta, & Scopus est.

En igitur mearum immanium, insigniumque virium magnitudo in septem veluti gradus, ac potestates distributa, quibus veluti ad Divinæ Naturæ conditionem evectus, ab infimis ad summa attolli, & ascendere videor. Animatio nempè, Sensus, Ars, Virtus, Tranquillitas, Ingressio, Mansio seu Contemplatio. Quamobrem virium magnitudine, ac quantitate tantus sum, ut solo Deo inferior, cætera, quæ Deus non sunt, virtute, perfectione, & potentia excedam. Suprà me solus Deus effulget, cætera verò sensilia, & corporea infrà me sunt, atque ex primævis Vniversi legibus meo profectò imperio subjacent. Deo ego subdor, mihi subduntur corpora. Deus me regit, corpus a me regitur. Jam igitur subtilius, ac operosè expensum est, unde sim, qualis sim, quantus sim. Attamen videndum, atque detegendum remanet, cur corpori datus sim, quas mutationes ex corporis coniunctione subeam, qualis deniquè efficiar, cum à corpore abscesserò, quæ cum altioris sint indaginis, seqenti tempore summa cura, summaque diligentia explorare conabor. Impræsentiarum satis sit, mearum virium magnitudinem, incorpoream quoque, & immortalem meæ naturæ indolem fortunato eventu investigasse.

Incipit Textus Augustini.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI

Titulus Operis est de Animæ Quantitate.

De Animæ Quantitate Liber.

EXPOSITIO.

Quam salubriter hoc titulo Sectatores Epicuri decipiantur.

QUantùm in erroris contumacia ſuaviter edomanda, improborumque hominum animo flectendo felicissimum, ſummeque ſolers AUGUSTINI valuerit Ingenium, huius præſtantiſſimi Operis inſcriptio mirificè commoſtrare videtur. Etenim ingenioſa, atque ſubdola nominis amphibologia Epicuri ſectator abreptus, dum ex incomparabili Auguſtini Dialectica, quæ in hoc eximio Opere ſumma floret dignitate, nova, & ſubtiliora argumenta pro corporea rationalis Animæ Quantitate validiùs confirmanda carpere poſſe, putat; ad ſalutarem veritatis cognitionem tanquàm nolens manuducitur, atque ad inſigniora Chriſtianæ Religionis dogmata amplectenda, fremente mendacio, præparatur. Corporeis namque, externiſque oculis Animalis homo (ut cum Apoſtolo loquar) tantummodò videns, Quantitatem Animæ ut molem Corporum, ſpatiorumque tumorum, perperam imaginatur. Hìnc quantitatem, quam in hoc Opere Animæ noſter attribuit Auguſtinus, corpoream, ac mortalem eſſe ſibi nullo labore ſuadet. Exadversò autem vir veritatis ſtudioſus, atque (ut Auguſtini verbis utar libro de vera Religione) intrinſecùs oculatus, & inviſibiliter videns, fædis Corporum imaginibus poſthabitis, non corporum tumorem, ſed tantùm virium, poteſtatiſque quantitatem, quæ in ſpiritali, atque intelligenti ſubſtantia viget, cum Animæ Quantitas enunciatur, citrà erroris periculum intelligit.

In hoc igitur Titulo duo continentur; Anima nempè, & quantitas. Nomine Animæ vita venit. Etenim (ut pluribus in locis apertiſſimè admonet Auguſtinus) Anima eſt id, quo res animantur, & vivunt, id autem quo Corpora vivunt, ipſa vita eſt, ſe ipſa (ut ita dicam) non altero mediante, vivens; ſecus non Anima, ſed animata appellaretur. Cum ergo vera, & propria vita ſit illa, quæ rationi, atque veritatis cognitioni tanquàm divinæ vitæ imitamentum innititur, ideò per excellentiam rationalis, ac intelligens hominis forma, ſola, & vera Anima nuncupatur.

Vera vita, Rationalis vita eſt.

Quæ intellectu carent, non verè, ſed per quãdam analogiã vivere dicuntur.

Quod ſe vivere neſcit, iners ac emortua res exiſtimandũ eſt.

Nam quæ ratione, & intellectu carent, quamvis ſenſu polleant, attamen verè non vivunt, dum ſe vivere neſciunt. Vera namque vita ſui ipſius, ſuæque energiæ ac vitalis roboris neceſsario conſcia eſt. Sunt quidem corpora, & exiſtunt, attamen ſe eſſe, & exiſtere ignorant; nam ſi ſe exiſtere ſcirent, profectò intelligerent. Quod autem ſe eſſe ac exiſtere ignorat, iners potiùs & emortua res, quàm vivens, ac ſe movens, jure meritò dicendum eſt. Quid quæſo Corporeis rebus vi-

ta

ta prodeſt, ſi ſe vivere, & exiſtere neſciunt? Verè enim vivit, qui beatè vivere poteſt; nemo autem felix, beatuſque eſſe poteſt, niſi ſe beatè vivere ſciat; at qua ratione ſe beatè vivere intelliget, qui ſe vivere ignorat! Idcircò unius hominis Anima naturæ dignitate, ac perfectione, infinitis corporibus, atque huic aſpectabili præſtat Vniverſo; nam eſt, & ſcit, ſe eſſe; vivit, & ſe vivere intelligit, atque adeò beata eſſe, ac vivere poteſt.

Quamobrem ſolertiſſimè, & eleganter in huius Operis titulo nihil addens Auguſtinus humanam mentem Animam appellavit. Intelligit enim pro Anima ſpiritalem, ac intelligentem naturam ſeù ſubſtantiam, quæ ſit particeps rationis, ut liquidò conſtat ex Libro de Spiritu, & Anima, in quo Animæ naturam hoc pacto deſcribit. *Eſt Spiritus intellectualis rationalis ſemper vivens, ſemper in motu, bonæ, malæque voluntatis capax.* Et Libro de Quantitate Animæ Cap. XIV. eleganter Animæ indolem his verbis expreſſit: *Eſt Subſtantia rationis particeps corpori regendo accommodata.*

Vera Anima ratione prædita eſt.

Nomine verò Quantitatis hic, ut ſupra innuimus, non venit extenſio corporea, ſeu (ſi fas eſt dicere) Spatialis; ſed quantitas virium, virtutis nempè, ac poteſtatis magnitudo. Si quidem Auguſtinus in hoc inſigniſſimo opere quoddam veluti paradoxon, atque involutum in rerum univerſitate arcanum in medium affert, nimirum, Animam eſſe quid magnum ſine magnitudine, corporumque Tumore. Quid enim mirum, magis, magiſque intellectu difficile, quam magna, & mira poſſe id quod magnitudine deſtituitur? Carni enim addictus homo, phantaſmatum Conſortio, atque nimia Corporum conſuetudine obcæcatus, capere nequit, quo pacto viribus inſtructa, maximeque robuſta eſſe valeant, quæ ſenſum fugiunt, & à corporum tumore, atque ſoliditate abhorrent.

Anima magna ſine magnitudine.

Idcirco totius Operis argumentum eſt, Magnas eſſe Animæ vires magnam energiam, & poteſtatem, quamvis hæc mole, ſenſiliumque rerum magnitudine careat; Quod ſubtiliter, & ſolidè ſublimi, & incomparabili quadam ratiocinandi methodo præſtantiſſimus Auguſtinus oſtendere contendit. Ex quo via deindè ſternitur ad Animæ indolem, atque immortalitatem proſpero ſucceſſu detegendam.

Auctorem hujus Libri De Animæ Quantitate Auguſtinum fuiſſe, apertiſſimè liquet, non ſolum quia Auguſtini ſtylum, ac genium excellenter redolet, ſed potiſſimum quia inter ſua opera hic liber ab ipſo Auguſtino enumeratur Lib. primo Retractationum Cap. VIII. cujus verba hic in medium afferam, ut quid ex ipſamet Auguſtini Sententia in hoc Tractatu emendandum, aut temperandum, aut refellendum ſit, in ipſo met operis veſtibulo pateat.

Ex Lib. primo Retractationum Cap. VIII.

IN Eadem Vrbe (Roma) scripsi dialogum, in quo de Anima multa quæruntur, ac differuntur; ideſt vnde ſit; Qualis ſit quanta ſit, Cur Corpori fuerit data, cum ad Corpus venerit qualis efficiatur, qualis cum abſceſſerit. Sed quoniam quanta ſit diligentiſsimè ac ſubtiliſsimè diſputandum eſt, ut eam, ſi poſſemus, oſtenderemus Corporalis quantitatis non eſſe, & tamen magnum aliquid eſſe; ex hac una inquiſitione totus liber nomen accepit, ut appellaretur De Animæ Quantitate. In quo Libro illud, quod dixi: Omnes artes animam ſecum attuliſſe mihi videri; nec aliud quidquam eſſe id, quod dicitur diſcere, quam reminiſci, ac recordari; non ſic accipiendum eſt, quaſi ex hoc approbetur animam, vel hic in alio Corpore vel alibi, ſivè in Corpore ſivè extra Corpus aliquando vixiſſe, & ea, quæ interrogata reſpondet cum hic non didicerit; in alia vita ante didiciſſe. Fieri enim poteſt, ſicut jam in hoc opere ſupra diximus, ut hoc ideo poſsit, quia natura intelligibilis eſt, & connectitur non ſolum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus. Eo ordine facta eſt, ut, cum ſe ad eas res movet, quibus connexa eſt, vel ad ſe ipſam; in quantum eas videt, in tantum de his vera reſpondeat. Nec ſanè omnes artes eo modo ſecum attulit, ac ſecum habet, nam de artibus, quæ ad ſenſus Corporis pertinent, (ſicut multa medicinæ, ſicut Aſtrologiæ omnia) niſi quod hic didicerit, non poteſt dicere. Ea vero, quæ ſola intelligentia capit propter id, quod dixi: Cum a ſe ipſa, vel ab alio fuerit benè interrogata, & recordata reſpondet: Alio loco. Vellem, inquam, hinc plura dicere, ac me ipſum conſtringere, dum quaſi tibi præcipio, ut nihil aliud agerem, quam redderer mihi, cui me maximè debeo. Vbi videor dicere potius debuiſſe, redderer Deo, cui me maximè debeo. Sed quoniam prius ſibi ipſe homo reddendus eſt, ut ille quaſi gradu facto, inde ſurgat, atque attollatur ad Deum: Sicut filius ille minor prius reverſus eſt ad ſemet ipſum, & tunc ait: Surgam, & ibo ad Patrem meum. Ideo ſic ſum loquutus.

quutus. Denique mox addidi: Atque ideo Deo fieri Amicum mancipium Domino. Quod ergo dixi: Cui me maximè debeo, ad homines retuli; magis enim mihi debeo, quam hominibus cæteris, quamvis Deo magis, quam mihi. Hic liber sic incipit. Quoniam video te abundare ocio.

ADMONITIO.

EX jam expoſita Auguſtini retractatione apertiſſimè patet, in hoc opere de quantitate Animæ; quod interpretari, ac illuſtrare, quantùm vires ſuppetunt, aggredimur, diligentiſſimè ac ſubtiliſimè potiſimùm oſtendi, animam corporea quantitate carere, & tamen magnum aliquid eſſe; ex quo liber nomen accepit, ut appellaretur De Animæ Quantitate; ac proindè ut noſtros labores, noſtramque diligentiam Auguſtini ſcopo quam maximè aptemus, pro viribus validiſſima illius argumenta, quæ ad Animam incorpoream, inextenſamque demonſtrandam conducunt, explanare, augere, noviſque ſubindè rationibus roborare, ac locupletare conabimur, ut tandem (quod præcipuus hujus commentarii finis eſt) quam inane, ac fallax pro Animæ mortalitate firmanda Epicuri ratiocinium ſit, ratione prælucente innoteſcat, nulloque labore quàm plurium Lucretii Sectatorum, Somniantium haud philoſophantium, inſigniora, magiſque ſubdola ſophiſmata detegantur, ac refellantur. Deindè dum Auguſtinus ſoli veritati inquirendæ addictus Librum à nobis interpretandum cenſoria virgula perſtringit, ſummaque diligentia corrigit, vehementer lætamur nullum imminere periculum, ut hujuſmodi Auguſtini tractatum explicantes in errorem aliquem incidamus, aut ab Auguſtini mente deflectamus. Etenim cum ad ea loca pervenerimus, ubi ſe reprehendit, ac retractat Auguſtinus, illa etiam nos emendare, aut ad Orthodoxæ doctrinæ normam, quantùm res ipſa patitur, accommodare minimè verebimur. Dum autem tanta docilitate, & incomparabili quadam ſua errata revocandi facilitate ornatum, tantoque veritatis amore flagrans, ſummeque perſpicax Auguſtini ingenium, maxima animi admiratione, proſpectamus, ut quæ veritati non conſonant, vel umbram etiam erroris continent, emendare, aut delere non erubuerit; ſalubriter admonemur, quàm cautè, ac circumſpectè in ipſa veritatis inveſtigatione incedere debeamus; ſi ſublimioribus, atque oculatioribus hominibus haud conceſſum eſt, errorem falſumque vitare, etiam cùm accuratius, ac diligentius ipſammet inquirere ſtudent veritatem. Quod ſi tam facilè a vero aliquandò deflectere videntur, qui robuſtiſsima mente inſtructi haud ſe ipſos, ſed verum amant, & ſummo labore perſcrutantur, quique non ad ingenii oſtentationem, ac faſtum, ſed ut ſolidiſsimas, ſalutareſque veritates in Chriſtianæ ſocietatis bonum propugnarent, cæteriſque aperirent, philoſophiæ ſtudio operam dederunt. Quid quæſo de iis ſperandum erit, qui parùm, aut nihil de veritatis victoria ſolliciti, ſed tantum inanis gloriæ fumo perciti, philoſophica, Chriſtiana quoque dogmata audacter interpre-

terpretari docere, aut demonstrare aggrediuntur? Sanè dum haud verum, sed mendacium amant, nullo negotio nocentes errores sub veritatis specie non rarò promovent, atque docent. Postremò admonemur adeò verum investigandum esse, ac inquirendum, ut nos minimè pudeat propriam mutare sententiam, cum falsum pro vero ex inconsiderantia docuisse advertimus. Sunt enim quidam pervicaci ac ventoso ingenio laborantes, qui superstitiosa cujusdam, ac ementitæ existimationis sollicitudine incessanter abrepti, dum nimis tenaciter suis opinionibus adhærent, etiam cum se errasse intelligunt, neque verum dicere, neque errata sua retractare, ac emendare curent. Quàm autem hi contumaces homines turpiter, & stultè agant, discant ab Augustino, qui licèt in litterarum, sapientumque Republica primas tenuerit, tantoque polluerit ingenio, ut summum illius acumen, atque validissimam, maximeque insidiosam in disputando subtilitatem cum adhuc Manicheus esset, doctiores Christiani formidaverint, attamen tanta in eo modestia, docilitas tanta floruit, ut lubentissimè, si fortè a vero aliquandò inconsideratè deflexerit, suum errorem acriter redargueret, palamque retractaret. Hinc Libro Primo de Trinitate castissimum amorem, quo pro veritate ediscenda exardescebat, his verbis elegantissimè expressit. Nec pigebit autem, sicubi hæsito quærere, nec pudebit; sicuti erro, discere. Quamobrem adeò veritatem in hoc commentario explorare ac venari totis viribus enitemur, ut ad Augustini Exemplum, errorem nostrum emendare, si quis nos admonuerit, neutiquàm extimescamus. Idcircò malumus à veritatis studioso, aut laudatore reprehendi, quàm ab adulatore, erroriſque defensore laudari; nullus enim, ut docet Augustinus Libro Primo De Trinitate, reprehensor formidandus est amatori veritatis, Etenim aut Inimicus reprehensurus est, aut Amicus; Si ergò Inimicus insultat, ferendus est; Amicus autem si errat, docendus, si docet audiendus. Laudator verò, & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. Emendabit ergò me Justus in misericordia, & arguet; oleum autem Peccatoris non impinguabit caput meum. Jam ergò nostrum opus, auspicante Deo, Augustinensem nimirùm Textum de Animæ Quantitate, interpretari, explanare, atque si opus fuerit, munire aggrediamur; præmittentes tamen ea, quæ præclarè Augustinus admonuit, antequàm ad abditissimum Trinitatis arcanum enucleandum se conferret. Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum, ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me, ubi meum revocet me.

Psalm. CXL.

C A-

CAPVT PRIMVM

De Animæ Quantitate,

TEXTUS.

Adeodatus.

QVoniam video te abundare ocio, quæso, ut mihi re- I.
ſpondeas de his, quæ movent, non ut opinor importunè, atquè incongruè. Sapè enim cum abs te multa quæſiſſem, neſcio qua illa Græca Sententia me deterrendum putaſti, qua prohibemur, ea, quæ ſuprà nos ſunt, requirere. Nunc verò non puto, nos ipſos ſupra nos eſſe; quamobrem cum de Anima quæro; non ſum dignus, qui audiam, Quod ſuprà nos quid ad nos? Sed fortaſſe dignus, qui audiam, quid ſimus nos.

AVGVST. Enumera breviter quæ de Anima audire velis. II.

ADEOD. Faciam; nam ſunt mihi iſta diuturna cogitatione præparata. Quæro igitur, undè ſit Anima, qualis ſit, quanta ſit, cur corpori fuerit data, & cum ad Corpus venerit, qualis efficiatur, qualis cum abſceſſerit?

AVGUST. Cum quæris undè ſit Anima, duo quædam intel- III.
ligere cogor. Aliter enim dicimus, undè ſit homo, quæ ſit ejus Patria, ſcire cupientes; aliter undè ſit, cùm quærimus, undè conſtet, ideſt ex quibus elementis, rebuſque compoſitus. Quid horum ſcire vis, cùm interrogas, undè ſit anima? Vtrumnam quaſi Regionem ejus & Patriam undè huc venerit, noſſe deſideras, an verò quæ ſit ejus ſubſtantia, requiris? Adeod. Equidem utrumque ſcire vellem; ſed quid ſit ſciendum priùs, tuo judicio malo committere. Aug. Propriam quamdam habitationem animæ, ac Patriam. Deum ipſum credo eſſe, à quo creata eſt; ſubſtantiam verò ejus nominare non poſſum: Non enim eam puto, eſſe ex iis uſitatis, notiſque naturis, quas iſtis corporis ſenſibus tangimus. Nam neque ex Terra neque ex aqua, neque ex Aere, neque ex Igne, neque ex his omnibus, neque ex aliquibus horum conjunctis conſtare animam puto. Sed quemadmodum ſi ex me quæreres, arbor iſta ex quibus conſtet,

notiſsima iſta elementa quatuor nominarem ex quibus omnia talia conſtare credendum eſt. Porrò ſi pergeres quærere, unde ipſa Terra, vel aqua, vel aer, vel ignis conſtent, nihil jam, quod dicerem reperirem: Sic cum quæritur, ex quibus ſit homo compoſitus, reſpondere poſſum, ex anima, & corpore. Rursùm de corpore ſi quæras, ad illa elementa quatuor recurram. De Anima verò quærenti tibi, cùm ſimplex quiddam, & propriæ ſubſtantiæ videatur eſſe, non alitèr hæream, ac ſi quæras, ut dictum eſt, undè ſit Terra. Simplex Animæ natura dici poteſt, quia ex aliis naturis non eſt.

ADEOD. *Quomodò eam propriam velis habere ſubſtantiam, cùm dixeris à Deo factam, non intelligo:*

AUG. *Quo modo & Terram ipſam à Deo factam negare non poſſum; & tamen non poſſum dicere, ex quibus quasi aliis corporibus terra conſtet; ſimplex enim corpus eſt terra eo ipſo, quo Terra eſt, & ideò elementum dicitur omnium iſtorum Corporum, quæ fiunt ex quatuor Elementis. Non ergò ſibi adverſatur ſententia qua dicimus, & à Deo Animam factam & propriam quamdam habere naturam. Hanc enim ejus propriam naturam, & ſuam Deus ipſe fecit, ut ignis, ut aeris, ut aqua, ut Terra, quo cætera ex his omnibus componerentur.*

EXPOSITIO.

AUGUSTINUS Platonicorum more à vulgaris Dialecticæ conſuetudine recedens, ſermone adhibito ex interrogatione, reſponſioneque compoſito, humanæ mentis naturam exquiſita diligentia, ſummoque acumine inveſtigare exorditur. Idcirco duos interlocutores in hoc Dialogo introducit, ſe ipſum nempè docentem, Adeodatum interrogantem. Adeodatus interrogat, ac dubitat; Auguſtinus dubitationes ſolvens reſpondet; docet alter, alter diſcit. Qui modus ratiocinandi ſummè congruus, utiliſque eſt, ut facilius veritatem perſcrutemur, atque vitentur errores; quemadmodum multum etiam confert Dialogus ut clarius intelligamus, hominem, cum articulato ſono alterius aurem alloquendo ferit, verè non docere, ſed tantum commonere, & excitare; cum in ipſius rationalis animæ ſecretis, qui homo interior vocatur, Deus ut lux & univerſalis Ratio, in qua omnes homines eaſdem incommutabiles veritates intuentur, intus doceat; idcirco intus, & quærendus, & deprecandus, quod expreſsè admonet Auguſtinus Lib. de magiſtro Cap. XI. *De Univerſis autem, quæ intelligimus, non loquentem qui perſonat foris, ſed intus ipſi menti præſidentem conſulimus Veritatem, verbis fortaſſe, ut conſulamus admoniti.*

Auguſt. Lib. de Magiſtro Cap. XI.

In

In primo Adeodatus occasionem capit interrogandi de Animæ natura ab ocio, quo tunc temporis fruebatur Augustinus, *Quoniam video abundare te ocio*, quasi diceret, cum te videam a curis & negocijs secularibus separatum, atque adeo ritè præparatum, ut in te ipsum redeas, in tuique animi penetralia te totum colligas, idcirco neque importunum, neque incongruum erit, Quid Anima sit, abs te quærere. Sermo enim hic non est de ocio desidiæ, sed cogitationis, quod animum ad se ipsum, Deumque investigandum disponit; qua ocij significatione usus est ipsemet Augustinus libro de vera Religione capite trigesimo quinto. *Non ocium desidiæ quæro, sed cogitationis, ut à locis & temporibus vacetur. Hæc enim phantasmata tumoris, & volubilitatis constantem Unitatem videre non sinunt.* *August. lib. de vera Relig. Cap. xxxv.*

Deindè Adeodatus affirmat, se non quærere, quæ supra nos sunt, sed quæ rationali naturæ consentanea sunt, & ad nos verè attinent. Quid autem magis juxta nostram rationem, quam nos? Quid nobis utile magis magisque conveniens quam nos met ipsos cognoscere? Cui cognitioni si cæteræ nostræ notitiæ comparentur, profecto vilescunt, omnique fructa carent. Quamobrem valdè deploranda est illorum hominum cæcitas, atque inflata scientia, qui, ut Augustinus loquitur lib. x. Confess. Cap. IV. & eunt admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros siderum, & relinquunt se ipsos, nec mirantur. *Nihil utilius, magisque opportunum, quam se ipsum accuratè investigare.*

Tandem, dum Socratis sententiam in medium adducit de non requirendis eis, quæ supra nos sunt, veluti admonet, antequam quæstio aliqua proponatur, diligenter exponendum, quod quæritur, & cum hoc innotuerit, deindè sedulo examinandum, An captui nostro congruat, an potius superet. Quod si nostræ intelligentiæ aptetur, intuendum iterum, an ad nos spectet, ac in nostram utilitatem cedat; Contemnendum namque est, quod nullius usus ad summam non confert felicitatem. Ex quo tandem colligere valeamus, quænam quæstiones vitandæ sint, quænam citra rationis injuriam, temporisque jacturam examinandæ.

II.

Postquam Augustinus breviter enumerare, quæ de Anima audire velit, Adeodato præcepit, hic fatetur se jam preparatum esse diuturna quadam cogitatione ad ea quærenda, quæ maximè ad Animæ naturam pertinent. Quo modo loquendi redarguere, & increpare videtur eos, qui sæpè absque prævia, ac matura dubitatione, nullo accurato præcedente examine, solvendas quæstiones, sententias aut propugnandas, aut refellendas, aggrediuntur, litemque audacter movent, quamvis, ut frequenter accidere solet, disputationis subjectum minimè intelligant, aut tantùm confusa, & obscura quadam notione percipiant. Qui clarè intelligit, quod quærendum est, magna ex parte quæstionem jam solvisse dici potest. Sex autem hic de anima potissimum requiruntur. Primò ex quibus principiis, atque elementis constet, & quænam illius Patria sit; deinde quæritur, qualis sit. Hæc vox Qualitas, hìc idem sonat, ac proprietas, & affectio, ut scholæ loquuntur, secundaria, quæ nempè rem jam constitutam supponit, quam tamen perficit, atque exornat. Idcirco quæritur hic quænam sit, insignior animæ proprietas, qua singulis corporeis rebus antecellit. Postea quæritur quanta sit, an videlicet

licet mole, & magnitudine, an ſolum virtute, & poteſtate Quanta dicatur. Inſuper alia tria, quæ maximè humanam latent intelligentiam circa Animæ naturam, inveſtigantur. Primo qua ratione Deus animam Corpori conjunxerit, an ut illud regeret, ſummaque poteſtate & arbitrio moderaretur; an vero ut potius Corporis imperio ſubiaceret? quæ inquiſitio mirificè confert, ut Ratio Fidei lumine excitata hominis lapſum, primi nempè parentis culpam in poſteros propagatam, firmius, faciliuſque intelligeret, atque evelaret.

Deindè quæritur, qualis Anima efficiatur cum corpori unitur, nimirum quibus mutationibus ſubiaceat, quas præſertim alterationes patiatur anima ob coniunctionem cum corpore. Etenim & ſi unio cum corpore non immutat naturam Animæ, tamen quoddam mutuum commercium inter Animam, & Corpus inducit, ex quo inſigniter mutatur Animus.

Poſtremò, quod obſcurius eſt, quæritur cum Anima à corpore abſceſſerit, qualis evaſerit, nempe an novuum quemdam cogitandi modum tunc acquirat. & quas mutationes ſubeat. In his autem ſex Interrogationibus tota Animæ noſtræ naturæ, & operatio tùm in corpore, tùm extrà perfectiſſimè continetur, Quæ ſingula in hoc opere perſpicuè, ac ſubtiliter perveſtigat Auguſtinus.

III.

Vnde ſit Animæ, expenditur.

Jam Auguſtinus, ut primæ ſatisfaceret interrogationi, undè nimirùm ſit Anima, ſolidè reſpondet, vel quæritur ex quibus principiis, & elementis conſtet Anima; vel quænam ſit ejus Patria, & habitatio. Si hoc poſtremum quæritur, præclare reſpondet Patriam, & habitationem Animæ Deum eſſe, quod Apoſtolicis verbis ſummoperè conſonare videtur. In Deo ſumus, vivimus, & movemur; Deum enim eſt ipſum Eſſe, ut ita dicam, primæuum, & originale; Anima vero eſt illius quædam inſigniſſima imago, & imitamentum, in quo potiſſimum Dei dominium, vita, independentia, ac libertas exſcripta elucent. Idcirco cum Imago in ſuo Exemplari, quod exprimit, vivat, (Etenim exemplari ſemoto, illius imago, & expreſſio perit,) manifeſtiſſimè ſequitur, Animam in ſuo Archetypo, & exemplari, nempè Deo, cujus Obumbratio, & veſtigium eſt, eſſe, vivere, & moveri.

Animæ patria & habitatio Deus.

In quovis ſuo cogitandi modo Deum, & ſe ipſam Animæ neceſſario intuetur.

Præterea quilibet animæ modus cogitandi neceſſario involvit ſummæ, ac infinitæ Mentis notionem; nequit enim Mens creata ſe ipſam intelligere, in ſuoſque conceptus, & Ideas intelligendi aciem intendere, quin id quod verè eſt, nempè Deum intelligat, ac videat; quod invicta ratione ſuo loco oſtendemus. Jdeo Jdea ſui in Jdeam Dei veluti tota immergitur, qua propter in Deo verè vivit, ſeù in Deo cogitare, & intelligere dicitur. Animæ namque vita intelligere eſt. Hinc magis Deo, quam ſibi ipſi conjuncta Anima dici debet, cum Deus ſit Ratio, cur ſit, & intelligat Anima, non ipſa Ratio ſibi: quapropter primo Deus certa, ac firmiſſima cogitatione animæ innoteſcit, deindè ipſa ſibi, ut potius ſui ipſius, quam Dei obliviſci valeat: Quamobrem optimè Deus Patria, & intima Animæ habitatio nuncupatur. Ex quibus apertiſſimè inferimus, repugnare in nobis Dei ignorantiam, quam corrupta quorumdam hominum phantaſia invincibilem appellare auſa eſt. Nequit enim Anima invincibiliter, ut cum ſcholis loquar, ſuum auctorem ignorare; imo neque Dei ignorantia Animæ ineſſe poteſt quæ vincibilis tamen

men dicatur, cum anima Deum necessariò intelligat, ac inevitabili suæ naturæ impetu agnoscat; quo ignorato, singula illicò ignoraret, neque se ipsum, aut quæ sunt infrà ipsum, intelligeret. Idcircò impossibilis speculativus, seù theoricus Atheismus est, cum hominem suaptè natura Deum intelligere necesse sit; undè citrà ratiocinium apertissimè, non minùs ac pateant Geometriæ, & Arithmeticæ axiomata, humanæ Menti tanquam per se notum Deum existere, manifestum est, cujus clarum, & positivum haud tantum negativum conceptum (ut scholarum vocibus utamur) habemus, modo quo plures perperam putarunt.

Repugnat Atheismus speculativus.

Si verò undè sit idem sonat, ac quærere, ex quibus principiis, & elementis res facta sit, Augustinus respondet nullum invenire nomen, quo animam appellet: etenim ex corrupta, & prava consuetudine nostra judicandi de rebus, quæ corporeæ sunt, nomina tantùm excogitavimus, quibus significantur ea, quæ sub sensus, & phantasiam cadunt; quapropter factum est nullum nomen in carnali, si fas est dicere, hominum idiomate elucere, quod spiritalium rerum, & potissimùm animæ nostræ naturam exprimere valeat. Hinc solertissimè Augustinus ait, non puto animam enumerandam esse inter usitatas, notasque naturas, quas corporis sensibus percipimus; etenim ex nullo elementorum, aut ex elementis simul, aut ex aliquibus horum coniunctis componitur anima.

Ex nullo corpore elemento fit Anima.

Deindè hic Augustinus comparat Animam cùm Elementis, nempè cum terra, aqua, aere, & igne, hæc namque vulgò à Philosophis corpora simplicia appellari solent, in quantum ex ipsis permistæ substantiæ efformantur, ipsa verò ex aliis non componuntur, nàm exempli causa, aqua non componitur ex partibus diversæ rationis, quæ scilicet diversa figurà, & modificatione polleant, quælibet enim aquæ pars est alteri parti homogenea, ejusdem nempè naturæ. Fingamus namque aquam esse congeriem quamdam subtilissimarum partium, quę cylindraceæ flexibiles summoperè lævigate sint; jam cùm quælibet aquæ pars hujusmodi configuratione, atque textura prædita sit, ideò altera alteri ejusdem rationis & homogenea est; undè cum aqua dividitur, singulæ partes aqua sunt, ut nequeat aqua nisi in aqueas particulas distribui. Qua dote sanè non pollent permista corpora ut, exempli gratia, arbor, quæ si in suas partes elementares dividatur, nulla harum partium planta erit, sed vel terra, vel aer, vel ignis, vel aqua, quæ sibi dissimilia, & heterogenea sunt. Idcircò quemadmodùm si quæras ex quonam constet aqua cum hæc simplex corpus sit, nihil jam invenimus, quod dicamus; eadem ratione nulla occurrit responsio, si quis nos interroget, ex quibus principiis constet Anima, cùm hæc ex nullo fiat elemento, sed quædam simplex, ac propria substantia sit. Hic autem admonendum est, Augustinum non loqui de simplicitate absoluta citrà limitationem, nam hæc perfectio soli Deo competit. Hinc lib. xi. Civ. Dei. Cap. x. ait. *Est itaque bonum solum simplex & ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia.* Nàm simplicitas absolutè est perfecta Unitas, perfecta autem Unitas, cum omnis rei perfectio quælibet perfectio est, & quælibet vicissim omnis; quod perfectissimæ, ac infinitæ Naturæ tantùm

Immutabilitas, & absoluta simplicitas soli unitati competunt.

congruit, in qua omnis perfectio. Exempli gratia, est sapientia, & hæc omnis perfectio est, nempè Iustitia, Immensitas, Bonitas, Pulchritudo. Hæc autem incommutabilis simplicitas minimè animæ competit, cujus substantia non est quilibet sui modus, & proprietas; Iustitia non est Sapientia, velle non est intelligere. Tantùm Augustinus limitatam participatam, atque veluti umbraticam quamdam simplicitatem animæ attribuit, in quantum hæc non coalescit ex corporibus elementaribus, aut ex partibus, ut ita dicam, quantitativis, cum omni mole careat, & prorsus indivisibilis sit, ut & ipsis elementis simplicior dicenda sit, nam licet aqua exempli causa, in dissimiles naturas resolvi nequeat, tamen in quantitativas, & extensas partes verè distribui potest. Anima verò cum partibus omninò destituta sit, sicuti non fit ex partibus, ita neque in partes resolvi potest.

Anima vestigium, atque imitamentum veræ substantiæ est.

IV. Opponit sibi Augustinus, quo pacto propriam habere potest substantiam Anima, si hæc à Deo facta est? Causa fortassè dubitationis est, quia quod ab alio pendet, & factum est, non videtur propriè substantiam esse. Substantia dicitur, quod ex se, quovis alio semoto, existit, & quod ita se habet, summè, & infinitè est, ut à nemine pendeat, & ab altero factum sit. Quo modo nulla res creata propriè, & verè substantia est, cum verè non in se, sed in infinito (ut vulgus loquitur) subsistat, ab eoque necessario pendeat, quo semoto, nulla creata res est. Augustinus, ut hanc enodaret dubitationem, utitur exemplo Terræ, nam quemadmodum (ait) terra cum sit Corpus simplex elementare, ex aliis naturis non fit, sed ex eo permista corpora componuntur, & quamvis à Deo facta sit, propriam tamen dicitur habere naturam; eodem pacto anima simplex est, quia ex aliis naturis non emergit, & propria substantia pollet, & si à Deo facta est. Nam natura animæ verè à Dei substantia, corporumque Indole diversa est, quod satis est, ut dicatur peculiarem quamdam substantiæ rationem complecti, licèt absolutè non substantia, sed substantiæ, Dei nempè vestigium sit, & imitamentum. Quæ omnia fusiùs infrà pro re nata expendere, atque explanare curabimus.

CAPVT II.

TEXTUS.

AD. *Interim accipio, undè sit Anima, quæ mecum fidulo retractabo, & si quid me moverit, post requiram, undè quæso explices qualis sit.* Aug. *Videtur mihi esse similis Deo; De Anima enim, nisi fallor, requiris humana.* Ad. *Id ipsum est, quod ex te explicari vellem, quemadmodum sit Anima similis Deo, cum Deum à nullo factum esse credamus, animam verò ab ipso Deo factam suprà dixeris.* Aug. *Quid tu difficile putas Deo fuisse, ut aliquid sibi simile face-*

ceret, cum hoc in tanta varietate imaginum etiam videas nobis esse concessum?

AD. *Sed nos videmur mortalia facere, Deus autem immortalem Animam fecit, ut opinor, nisi fortè tibi aliter videtur.* Aug. *Ergo tu velles talia fieri ab hominibus, qualia Deus facit.* Ad. *Non equidem hoc dixerim, sed quemadmodum ipse immortale quiddam fecit ad similitudinem suam, sic et nos immortales à Deo facti, ad similitudinem nostram quod facimus, immortale esse deberet.*

AUG. *Rectè diceres, si ad ejus imaginem pingeres tabulam, quod in te immortale esse credis, nunc verò in ea exprimis Similitudinem Corporis, quod profectò mortale est.* Ad. *Quomodo ergo sum similis Deo, cum immortalia nulla possum facere, ut ille?* Aug. *Quomodo nec Imago Corporis tui potest hoc valere, quod tuum Corpus valet; sic anima non mirandum est, si potentiam tantam non habet, quantam ille ad cujus similitudinem facta est.*

EXPOSITIO.

INterim accipio, vndè sit Anima, quæ mecum sedulo retractabo) His verbis sedulo admonemur diligenter à præcipiti judicio cavendum, ut non statim, ac nobis aliquod propositum fuerit, aut a sensu, & opinione subministratum, ei temere assentiamur, sed maturius illud consideremus, & attentissima quadam animi perceptione retractemus quousque evidentiæ lumen accesserit, cujus ope veritas indubitanter nobis innotescat. Nam sæpissimè sub veritatis imagine opinantes decipimur, ut larvata ratione probabiliora videri soleant, quæ revera mendacium continent. I.

Præceps Iudicium diligenter cavendum.

Evidétia prælucente de rebus nostro captui accommodatis judicetur.

Sub veritatis imagine facilè nos error decipit.

(Unde quæso explices Qualis anima sit) Huic Interrogationi mortalis Philosophia audacter responderet: Est actus Corporis Organici potentia vitam habentis, seù est materiæ forma quædam, ac perfectio; eo modo quo si de homine quæras, qualis sit, illico philosophorum vulgus responderet: Est risiblis. Qualitates profecto, & passiones, quæ animam cum Brutis, mortuisque corporibus confundunt, hominis dignitatem minimè redolent. Hinc Augustinus Christianæ, & veræ rationalis Philosophiæ magister Ethnicæ Doctrinæ rudem, & Carnalem sermonem contemnens, citra hæsitantiam respondet: Anima est similis Deo, In qua insignissima similitudine illustrior, & excellentior animæ proprietas effulget, cujus beneficio mutabilis Anima, divina, ac veluti immutabilis sit, atque singula Corpora summoperè excedit, & perfectione antecellit.

Qualis sit Anima, inquiritur.

Insignior Animæ proprietas est Deo assimilari.

Hanc autem imaginis perfectionem in Anima vigere, ipsa prælucen-

te

te ratione manifestissimè innotescit. Etenim quid magis Deum repræsentat, divinarumque perfectionum delineamenta in se expressius habet, quam Anima, quæ per excellentiam natura Deo similis ab Augustino nuncupatur? Nam, etsi quidquid in corporeo universo floret, ipsa etiam minutissima, subtiliora, & inconspicua corpora, Dei vestigium, & imagines sint, in quibus sui exemplaris, Duratio, Vis, Fæcunditas, Bonitas, Pulchritudo exprimuntur; attamen nobiliora Dei attributa, vita nempè libertas, Dominium, in dependentia, Felicitas in sola Anima adumbrantur, & mirum in modum exscribuntur. Idcirco Anima summi Archetypi typus, & effigies est in qua si animum convertas, ejus Auctorem splendidissimè, ac summa majestate expressum inspicies. Quo pacto autem Anima Dei imago, & similitudo dicatur, præclarè exposuit August. Lib. de Spir. & Anim. Cap. VI. Anima ad similitudinem totius sapientiæ facta omnium rerum in se gerit similitudinem, undè, & à Philosopho definita est: Omnium rerum similitudo. Habet siquidem in se vires, quibus omnia apprehendit, sive investigat, & omnibus similis existit, cum sit una. Et Lib. IX. de Trinitate. Cap. XI. docet his verbis, quo pacto Anima Trinitatis imaginem in se habet (& est quædam imago Trinitatis, ipsa mens, & notitia ejus, quod est proles ejus, & amor tertius, & hæc tria unum, atque una substantia) Et lib. de Ecclesiasticis Dogmat. Cap. LXXXVIII. ait: Animam ad Imaginem Dei creatam dici, quia sicuti Deus incorporeus rectè creditur, etiam incorporea anima esse credatur, ut Dei imaginem in æternitate, similitudinem vero in moribus exhibeat.

Anima divinæ Naturæ vestigium, præstantiusque Imitamentum est.

At hic quædam non levis dubitatio emergit. Si Anima a Deo facta est, similis Deo non est, quid quid enim factum est, Deo qui factum non est, simile esse non potest. At nullo negotio hanc dubitationem soluit Augustinus; cum deneganda non sit Deo potestas imaginem sui extrà se producendi, si hæc & ipsis hominibus conceditur, qui coloribus, aut marmore in tabula, aut statua similitudinem, & imaginem sui procreant. Quidquid factum est, Deo profectò æquale, seu perfectè simile esse nequit. Perfecta enim Dei similitudo & imago, Verbum est, ipsa nempè increata sapientia, in qua se perfectissimè expressum Deus intelligit, ubi exemplar, & imago eadem substantia sunt. At postquàm Deus semet ipsum in se exscriptum vidit, veluti ab æternitate egrediens, atque ad tempus se convertens liberrimè statuit, ac voluit se extra se in creatis rebus adumbrare, atquè insigniter delineare, quantùm finitæ naturæ conditio patitur. Quapropter quidquid factum est, eo ipso quod factum necessariò Deo simile est, nempe vestigium & repræsentatio Summæ Naturæ, quæ tantùm verè est, quæ, ut ità dicam, scopus, finis, & objectum in rerum constitutione ipsa sibi est. Quidquid finitum, & creatum est non ad se, sed ad aliud se perfectius tendit; non sui ipsius, sed perfectissimæ, & interminatæ substantiæ effigies, & imitamentum est. Etenim quidquid verè non est, sed tantùm per adumbrationem, & vestigium, limitato, & restricto modo est, nullo modo se ipsum repræsentat, sed solum id quod est, cujus imitamentum & repræsentatio est. Neque factum esset, aut fieri posset finitum, nisi sui exemplaris Imago quædam esset, aut fieri posset; nàm quidquid id quod est pro suo modo non repræsentat, nihil prorsus aut Chi-

Dubitat, qua ratione Anima similis Deo facta est.

Perfecta Dei Imago, Verbum.

Quidquid fructum est à Deo imperfecta quædam illius imago, ac similitudo est.

Quævis res finita infinitæ substantiæ vestigium & imitamentum est.

Quidquid infinitum, ac primævum Ens vel præsentare nequit nihil aut Chimæra est.

Chimæra eſt; ut Chimæra appellari optimè valeat quidquid ſui Auctoris ſeù ejus quod verè eſt, delineamentum, & effigies nequit eſſe; nàm ſi ejus quod verè eſt delineamenta, & veſtigia detraxeris, finita natura nihil eſt, cujus totum eſſe ad aliud eſt. Facta igitur Anima eſt & Deo ſimilis, cui ſi non aſſimilaretur, neque facta neque certa quædam ſubſtantia eſſet.

Novæ emergit dubitatio.

At denuò ſibi objicit Auguſtinus, licèt homines ſui imaginem faciant ut ſtatuam, aut picturam hujuſmodi tamen imagines corporeæ ſunt, quæ pereunt, atque occidunt, Deus verò immortalem Animam fecit. Idcircò non eſt Anima Deo ſimilis ſi ad illius ſimilitudinem immortalem ſui Imaginem non efformat.

Nullius tamen momenti hoc argumentum eſt. Etenim, ut diligenter advertit Auguſtinus, non eſt neceſſe ut homines immortalem ſui Imaginem faciant, ut Deo ſimiles dicantur; etenim non oportet, quod Imago poſſit, quidquid Archetypus, atque ſui Exemplar poteſt; quemadmodùm neque ipſa Corporis imago præſtare poteſt. quę corpus præſtat. Quamobrem quamvis Anima imaginem ſui immortalem procreare non valeat, attamen ob aliorum attributorum ſimilitudinem inſignis quædam Dei imago, jure meritò dicenda eſt.

Anima in ſuo quovis cogitandi modo ſe ipſum quodammodo inceſſanter progignit.

Ut magis autem hic Auguſtini locus illuſtretur, duo admoneo, primò non ſolum hominem ſui corporis, verùm etiam ſuæ Animæ ſimilitudinem quamdam procreare poſſe, imò quolibet inſtanti temporis dùm homo cogitat, in ſuo quovis cogitandi modo rationalis animæ Imaginem veluti diverſis coloribus adumbratam efformat; quæ quidem imago, ſpiritalis, ac vitalis quædam illius expreſſio eſt, at vix nata, evaneſcente cogitatione, perit.

In quavis ſuæ cogitatione ſe ipſum Anima intuetur.

Idcircò humana Mens veluti ſe ipſam inceſſanter intelligendo progignit. Etenim natura Animæ eſt ipſa conſcientia, nempè eſſe rem ſui ſuarumque operationum conſciam. Hinc cum dubitat, amat, intelligit, ſentit, imaginatur, harum actionum immediatè conſcia eſt, in qua conſcientiæ natura, tota cogitandi virtus, poſita eſt; quamobrem mens dubitans, aut amans in dubio, aut amore ſe ipſam conſciam, ſeù cogitantem neceſſariò videt, nequit enim videre ſuum amorem, ſeù eſſe ſui amoris conſcia, quin ſciat, atque intelligat ſe amare, ſeù quin videat ſe amantem, atque adeò ſe ipſam cogitantem. In ſuo igitur amore mens dum amat, ſui imaginem videt, ac veluti videndo procreat; quod ſi non videret, ſe amare non intelligeret, quapropter non amaret. Opus eſt igitur ut Animæ imago in amore, aut quavis alia cogitatione contineatur, quæ fuſius infrà explicabimus.

Deindè admoneo, quòd licèt falſum, aut incertum ſit Rationalem Animam in hac rerum conſtitutione propagari, ſeù adeò fœcundam eſſe, ut Anima ex Anima non autem ex Deo immediatè progignatur; attamen evidenter poſſibilis eſt aliqua finita, & creata mens tanta fœcunditate prædita, ut non ſolùm evanidas, atque, ut cum ſcholis loquar, accidentarias quaſdam ſui Imagines cogitando perpetuò procreet verùm etiam in ſubſtantialem quamdam ſui ſimilitudinem erupere valeat modo quo infrà ſuo loco exponemus.

CA-

CAPVT III.

TEXTUS.

I. AD. *Et hoc interim ſtatis eſt. Dic nunc, quanta ſit Anima.* Aug. *Qnomodo quæris, quanta ſit? Non enim intelligo, Vtrum ejus quaſi ſpacium latitudinis, vel longitudinis, vel roboris vel horum ſimul omnium requiras, an Quantum valeat noſſe velis. Solemus enim, quærere, quantus fuerit Hercules, ideſt in quot pedes ſtatura ejus porrecta fuerit, & item quantus vir fuerit, ideſt Quantæ potentiæ, atque virtutis.* Ad. *Vtrumque de Anima ſcire cupio.*

II. AUG. *Atqui illud ſuperius dici non poteſt, nec omninò intelligi de Anima. Non enim ullo modo, aut longa, aut lata, aut quaſi valida ſuſpicanda eſt Anima. Corporea iſta ſunt, ut mihi videtur, & conſuetudine Corporum ſic Animam quærimus ideoque benè præcipitur, etiam in myſterijs, ut omnia Corporea contemnat, univerſoque huic mundo renunciet, qui ut videmus, corporeus eſt, quis quis ſe talem reddi deſiderat, qualis a Deo factus eſt, ideſt ſimilem deo; Non enim alia ſalus animæ eſt, aut renovatio, aut reconciliatio authori ſuo. Quamobrem quanta ſit Anima ſecundum inquisitionem hanc tibi reſpondere non poſſum ſed poſſum affirmare, neque illam longam eſſe, nec latam, nec robuſtam, neque aliquid horum, quæ in menſuris corporum quæri ſolent. Et hoc cur exiſtimem, rationem tibi reddam, ſi placet.* Ad. *Placet verò, ac vehementer expecto, videtur enim mihi quasi nihil eſſe Anima, ſi nihil eſt horum.*

III. AUG. *Prius ergò ſi videtur oſtendam tibi, multas eſſe res, quas non poſſis dicere nihil eſſe, nec tamen in eis invenire aliqua hujuſmodi ſpacia, qualia in Anima eſſe, requiris; ut non ſolum non tibi ex eo anima nihil eſſe videatur, quod in ea non invenis longitudinem, ſive aliquid tale; ſed eo pretioſior, & pluris æſtimanda ſit, quòd nihil horum habet. Deindè utrum verè nihil horum habeat; videbimus.*

EX-

EXPOSITIO.

POstquàm undè, & qualis sit Anima explicaverit Augustinus, ad illius quantitatem ac magnitudinem perscrutandam (quod hujus tractatus scopus est, & argumentum) descendit. Quapropter hic quæritur, an Anima sit quanta. Ut autem ordinatius, atque sanius procederet, primò quæstionis terminos, seù extrema circumspectè exponere aggreditur. Etenim nihil vitandum magis, quàm vocum obscuritas, & amphibologia, seù nihil elaboratius observandum, quàm quid quęstionis nomina significent, primò, determinare. Hoc namque pacto inanes, & verbosæ vitantur disputationes, in quibus de vocibus, non autem de rebus contendimus. Hinc si extremorum connexio, aut oppositio per se nota est, sola, & accurata terminorum expositione quæstio planè soluta est. Si verò hoc non contingit, cùm videlicet non immediatè innotescit, an extrema invicem pugnent, aut connectantur, tunc dùm summa cura nomina expenduntur, facilis aperitur aditus ad id evelandum, quod in quæstione latet.

Quæritur an Anima sit quanta.

Ut expeditiùs enodetur quæstio accuratissimè voces exponere primum oportet.

Idcircò Augustinus distinguit quantitatem in quantitatem Virtutis pretii, ac potestatis, & in quantitatem molis, & extensionis. Nàm cum quæritur, quanta sit Anima, vel quanti pretii sit inquiritur, quanta nempè virtute, quanto robore, & potestate polleat, vel quantæ longitudinis, latitudinis, & altitudinis quantæ sit, seu quantùm anima longa, sit lata, atque profunda, quam postremam corporis mensuram, rethorum more potiùs quàm Philosophorum, robur corporisque validitatem frequenter Augustinus appellare solet. In quantùm fortasse corpus suas vires, & impetum exercere videtur non quia longum, & latum est, superficiebus nimirùm terminatum, sed quia profundum, & solidum est, in qua soliditate illius robur atque resistentia potissimùm collocatur.

Quantitas molis alteræ, altera virtutis.

Hac peracta divisione, fatetur Augustinus, cum quæritur, quanta sit Anima, tantùm venire magnitudinem virium, & potestatis, non autem molis, & corporeæ extensionis; quæritur enim; quanta sit vis, & energia, non autem longitudo vel latitudo, vel soliditas animæ, cum Anima, suaptè natura incorporea, insectilisque sit, ut nullo modo de ea quantæ extensionis sit citrà erroris suspicionem quæri valeat.

Cum quanta sit Anima quæritur, non molis, sed virium venit magnitudo.

Quapropter statuit Augustinus neque longam, neque latam, neque altam suspicandam esse animam, cum corpora, tantùm hujusmodi se habeant, quæ nullam profectò cognationem habent cum Anima, quæ alterius generis est, atque altioris ordinis infrà Deum suprà singula corpora collocata. Idcircò in Baptismate Ecclesia præcipit, ut Anima omnia corpora contemnat, atque mundo, qui corporeus est, renunciet. Contemnat anima corpora, nempe cum hæc infima, & infrà ipsam sint, illis tantùm utatur, haud fruatur, nam infima in usum, summa verò in fruitionem tradita sunt. Contemnit namquè rationalis animus corpora cum illis deterioris ordinis tanquam suo scopo non acquiescens, tantùm, ut eorum auxilio ad invisibilia elevetur, sagacissimè utitur, quo corporum contemptu Anima benè præparatur, ut ad

Corporea molè caret Anima insectilis, & inextensa.

Corpora contemnit, què illis utitur, haud fruitur.

bonum immutabile, quod ſummum, & infinitum eſt, notitia, & amore convertatur. Quo pacto ſpiritu renovari, regenerari, Deoque reconciliari dicimur. Quamobrem fatente Auguſtino, dum Corpora contemnit Anima, Deo verè ſimilis evadit; hoc enim modo illius amor amori Dei congruit, in qua amorum ſimilitudine, & convenientia noſtra ſalus, atque converſio poſita eſt. Nam dum Anima ordinato quodam amore ducta contemnit corpora, optimè comparatur, ut ſumma ſummo, infima infimo amore diligat, ex quò diligendi ordine utriuſque amoris humani, & divini ſimilitudo, & congruentia oritur.

Corporum contemptu Deo reconciliamur.

Cum igitur Anima omni corpore præſtantior, incorporea, & inextenſa ſit, ſolidè reſpondet Auguſtinus, nullo modo ſe poſſe ſatisfacere interroganti, quanta illa ſit, ſi quantitatis nomine corporea, ac diviſibilis venit extenſio, cujus omninò incapax eſt, tantùm enim ſe affirmare poſſe fatetur, Animam ſingulis Spatii dimenſionibus carere, ſeù neque longam neque latam, neque profundam eſſe, neque aliquid horum, quæ in corporum menſura ac magnitudine quæri ſolent, cujus rei firmam, & invictam rationem in medium adducere promittit Adeodato, qui ſummoperè hoc exoptare fatetur, cum exiſtimare conſuevit, nihil animam eſſe, ſi nihil ſit horum, nempè ſi dimenſionibus, & mole careat. Quibus verbis corruptam conſuetudinem judicandi atque cognoſcendi, corporum imagine prælucente, quàm hominum plebs retinere ſolet, innuere videtur. Adeò enim Anima corpora mente revoluere conſuevit, ſuaſque cogitationes phantaſiæ ſpectris, & corporeis imaginibus immiſcere, ut velut corpus facta, & tota in corpus immerſa ſe ipſam in corpore per corporis imaginem intueri tantummodò gaudeat, à qua ſi ſeparetur, veluti ſibi ignota, nullo pacto intelligere poſſe putat. Hinc adeò extraneum, & alienum ſibi amore, & conſuetudine coniunxit, ut ampliùs non valeat, ſine alieno ſe intelligere, & ſi ab illa extraneum detraxeris, ſui ideam atque notionem perire, & evaneſcere perperam opinatur. Ex quo improborum atquè corruptorum hominum lues, & lætale contagium originem traxit, qui cum ſe ſine corpore percipere poſſe negent, nullo negotio ſibi, & rudioribus quoque hominibus ſuaſerunt, Animam nihil eſſe, niſi corpus. Dùm enim pravo imaginandi modo extraneum cum anima tranſmutarunt, turpiter materialem, mortalem, brutis affinem, propè divinam, ac ſempiternam Animam effecerunt. Nequit enim animalis homo, qui nempè tantùm ſenſu, & phantaſia utitur, percipere, quæ ſpiritus ſunt; Etenim, ut præclarè fatetur Auguſt. Lib. de Utilitate credendi Cap. I. *Res eſt longè remota à vanorum hominum mentibus, qui nimis in hæc corporalia progreſſi, atque lapſi nihil aliud putant eſſe, quàm quod iſtis quinque notiſſimis nuntiis corporis ſentiunt. Et quas ab his plagas, atque imagines acceperunt; eas ſecum volvunt, & cum conantur recedere à ſenſibus, & ex earum mortifera, & fallaciſſima regula, infallibilia penetralia veritatis rectiſſimè ſe metiri putant.* In quem errorem de Deo cogitans ipſe met Auguſtinus turpiter incidiſſe his verbis conqueritur L. Confeſſ. Cap. I. *Clamabat violenter cor meum adverſùs omnia phantaſmata mea, & hoc uno ictu conabar abigere circumvolantem Turbam immundiciæ ab acie mentis meæ, & vix dimota in ictu oculi; ecce conglobata rurſus aderat, & irruebat in aſpectum meum, & abvubi-*

Nullæ corporeæ quantitate affectus eſt Animus, idcircò quantus ſit quantitate molis exponi nequit.

Dubitatur, an quod corporum tumore caret, ſit aliquid & à nihilo ſecernatur.

Error illorum, qui ſenſus, ac phantaſiam adhibens, ut ſincorporeas ac ſpirituales res, intelligant.

nubilabat eum ; ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogerer per ſpatia locorum ſivè infuſum mundo, ſive etiam extrà mundum per infinita diffuſum etiam incorruptibile, & incommutabile, quod corruptibili, & violabili, & commutabili præponebam. Quoniam quidquid privabam ſpatiis talibus, nihil mihi eſſe videbatur.

Ut igitur Auguſtinus hunc errorem refelleret, duo hic mirum in modum enititur demonſtrare, primò, multas eſſe res, quæ haud nihil, ſed aliquid profectò ſunt, in quibus nulla tamen reperiantur ſpatia, nempè nulla corporis dimenſio contineatur. Cùm enim hìc ſpatium nominat, idem ac ipſam trinam corporis dimenſionem intelligit, non enim loquitur de ſpatio in quo vulgò res materiales eſſe cenſentur, ſed de ſpatio quod in ipſis rebus corporeis involuitur. Quapropter ex hoc quod Anima ſpatio, & extenſione careat, non infertur nihil eſſe, ſed potius deducitur e ſe quid præſtantiùs ac pretioſius rebus extenſione, & ſpatio præditis. Deindè oſtendere aggreditur Animam loci dimenſionibus carere, ut neque longa, neque lata, neque ſolida ſit, cum tamen aliquid ſit longè corporibus excellentius.

In verum ſunt; verſitate plura ſunt quæ & ſi quantitate, & extenſione carent, verè tamen ſunt, rebuſque corporeis longè præclariora.

CAPVT IV.

TEXTUS.

AD. *Vtere quovis ordine, ac modo; Ego audire, & diſcere paratus ſum.* Aug. *Rectè facis: ſed volo, interroganti mihi reſpondeas. Fortaſsè ea quæ te docere conor, ipſe jam noſti. Credo enim, non te dubitare hanc arborem non eſſe omninò nihil.* Ad. *Quis hoc dubitaverit?* Aug. *Quid illud? Nunc dubitas, juſtitiam multo eſſe arbore meliorem?* Ad. *Ridiculum illud quidem eſt, quaſi verò ulla ſit comparatio.* Aug. *Liberaliter mecum agis. Sed illuc nunc attende, cum conſtet, ità hanc arborem eſſe deteriorem, quam eſt, juſtitia, ut nec comparanda quidem tibi videatur, & hoc lignum non eſſe nihil confeſſus ſis; placet nè tibi, ut ipſam Juſtitiam nihil eſſe credamus.* Ad. *Quis hoc demens crediderit?* Aug. *Rectè omninò. Sed fortaſsè Arbor hæc propterea tibi videtur eſſe aliquid, quod longa eſt pro ſuo modo, & lata, & robuſta, quæ ſi detraxeris, nihilerit.* Ad. *Ità videtur.* Aug. *Quid ergò Juſtitia, quam non nihil eſſe confeſſus es, imò quoddam longè divinius hac, longèque præſtantius, videtur tibi longa eſſe?* Ad. *Nullo modo mihi juſtitia, aut longa, aut lata aut tale aliquid cogitanti poteſt occurrere.* Aug. *Si igitur nihil horum eſt*

justitia, & tamen ipsa non nihil est, cur tibi anima nihil videtur, nisi ejus aliqua longitudo sit? Ad. *Age jam non mihi videtur ex eo nihil esse anima, quod nec longa, nec lata nec robusta sit, sed utrum verè ita sit nondum à te dictum esse scis. Fieri enim potest, ut multa sint magni estimanda, quæ istis careant, sed non continuò ex hoc genere animam esse, credendum puto.* Aug. *Scio istud nobis enodandum restare, & hoc me deinceps explicaturum promiseram; Verum quià res subtilissima est, & longè alios mentis oculos quærit, quam humana consuetudo in quotidianæ vitæ actibus habere solita est, admoneo te, ut per ea per quæ ducendum existimo, libens pergas, nec nostro quodam necessario circuitu defatigatus egrè toleres, aliquantò te tardiùs ad id quod cupis, pervenire. Nam priùs abs te quæro, Vtrum Corpus ullum putas esse quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem & latitudinem, & altitudinem?* Ad. *Quàm dicas altitudinem non intelligo.* Aug. *Illam dico, qua efficitur, ut interiora corporis cogitentur, aut sentiantur, si perlucet ut Vitrum: quam si demas corporibus, quantùm mea Opinio est, neque sentiri possunt, neque omninò corpora esse existimari. Hinc mihi volo, aperias, quid tu sentias.* Ad. *Prorsùs non dubito corpora omnia his carere non posse.* Aug. *quid illud potes cogitare, ista tria non esse nisi in Corporibus?* Ad. *Non intelligo quomodo alibi esse possint.* Aug. *Ergò Animam non putas esse aliud, quam Corpus?* Ad. *Si etiam Ventum corpus esse confitemur, negare non possum, corpus mihi Animam videri; nam tale aliquid eam esse cogito.* Aug. *Corpus quidem esse tam concedo, quam si mè de fluctu interroges. Nam nihil aliud quam istum aërem commotum ac agitatum Ventum esse sentimus, quod in loco tranquillissimo, & ab omnibus ventis quietissimo, vel brevi flabello approbari potest, quo etiam Muscas abigentes aere commovemus, flatumque sentimus. Quod cum evenerit occultiore quodam motu cælestium, vel Terrenorum corporum per magnum spatium mundi, ventus vocatur, ex diversis partibus mundi, vel Cæli nomina etiam sortitus. An tibi aliter videtur?* Ad. *Mihi verò nihil, & probabile esse accipio, quod dicis. Sed Ego Animam, non ipsum Ventum, sed tale aliquid esse, dixi.* Aug. *Dic mihi priùs,*

utrum

vtrum ipſum Ventum, cujus mentionem, feciſti habere aliquam longitudinem, latitudinem, & altitudinem ſentias. Deindè videbimus, utrùm tale aliquid Anima ſit, ut hoc modo etiam quanta ſit inveſtigare poſſimus.

EXPOSITIO.

Qua, dum Auguſtini Textus explanatur adverſus Scepticos Iuſtitiam haud apparentem, ſed veram, ac ſolidam virtutem eſſe, oſtenditur.

IN hoc loco acutiſſimæ, & ſolertioris Dialecticæ artificio, quod primò ſuprà propoſuit, demonſtrare enititur, nempè plura in rerum univerſitate elucere, quæ verè aliquid ſunt, & à nihilo ſecernuntur, ſpatiis tamen, & extenſione prorsùs denudata, imò & ſpatiis ipſis meliora. Hoc enim pacto ratiocinatur. Virtus Juſtitiæ melior profectò eſt arbore, cujus naturam plurimùm ſanè antecellit; at Arbor non eſt nihil, ſed aliquid; Eſt igitur Juſtitia aliquid, cum melior ſit arbore, quæ aliquid eſt. Antecellere namque perfectione id quod aliquo modo eſt, aliquid quidem eſt. Prætereà ſi Juſtitia nihil eſſet, & tamen melior arbore, id quod eſt, deterius eſſet nihilo: Idcircò non eſſet, ſed infrà nihilum pluſquàm nihilum eſſet, in quo ſumma involveretur abſurditas, at Juſtitiæ virtus, neque longa, neque lata, neque profunda eſt; nullam namque cognationem cum extenſione, & mole habet. Quapropter elucet in Univerſo aliquid quod extenſum non eſt, & tamen aliquid eſt, meliusarbore, quæ extenſa, & corporea eſt.

Iuſtitiam præſtantiorem arbore eſſe oſtenditur ab Auguſtino.

Iuſtitiæ virtus mole & quantitate caret. Florent in Fauni verſo res inextenſo corporeis naturis inſigniores.

Jam ad faciliorem intelligentiam hujus ratiocinii principales propoſitiones diligenter expendamus, Virtùs Juſtitiæ eſt melior arbore. Vt hujus propoſitionis veritas planiùs inoteſcat, atque nullus argutis ſophiſtarum cavillis locus detur, ad examinis trutinam primum quid Juſtitia ſit ſedulò, revocemus, ac deindè qua ratione arbor aliquid eſſe pariterque corpus cenſeatur, accuratè explicare curabimus. *Iam Iuſtitiam quid dicamus eſſe, ait Auguſtinus libro de libero Arbitrio capite 12. niſi virtutem, qua ſua cuique tribuuntur?* Nulla profectò nobis purior Juſtitiæ notio occurrit, hinc homo juſtus eſt, qui ſummo amore ſummum amat bonum; cætera verò propter illud, plus aut minùs juxtà majorem, aut minorem acceſſum finiti boni ad infinitum. Hoc pacto, quod ſuum eſt verè unicuique tribuit, res nempè diligens modo rebus amandis conſentaneo. Hæc eſt enim perfecta Juſtitia, docente Auguſtino libro de vera Religione *cap. 48. qua potius potiora, & minus minora diligimus*. Ex quo apertiſsimè colligitur creatam Juſtitiam immutabilis, & æternæ Juſtitiæ inſigniſſimam quamdam Imaginem eſſe, & Imitamentum, divina namque, ac ſempiterna Juſtitia in hoc tota ſita eſt, quod Deus unicuique perfectiſſimè tribuens, quod ſuum eſt, ſummo, neceſſariò, ac interminato amore ſe ipſum proſequatur; Cætera verò, quæ ab ipſo facta ſunt propter ſe ipſum arbitraria, & liberrima quadam voluntate velit, ac diligat, quæ ideò amat, quia ipſum imitantur, & tanquam ſui delineamenta repræſentant. Idcircò quod ſuum eſt, Deus ſibi, ſuis quoque operibus tribuit, unumquodque nimirum, ut rei natura expoſcit, amans

Auguſtinenſe ratiocinium accuratius expenditur.

Quid ſit Iuſtitiæ virtus aperitur.

Creata Iuſtitia immutabilis, & æternæ Iuſtitiæ imitamentum.

amans in quo summa æqualitas, summusque splendescit ordo. Jam superest ut quid arbor sit, diligenter explicetur, ut tandem Justitiam arbore meliorem esse, planè intelligamus. *Arbor aliquid esse dicitur, quia, ut Augustinus docet, longa est pro modo suo lata, atque robusta, quæ si detraxeris nihil erit.* Ideò igitur arbor aliquid est, quia corpus quoddam peculiare est, res nempè extensa pro modo suo; Etenim corpus in universum ipsa substantia trinè dimensa est; Corpus verò peculiare extensæ naturæ portio quædam est, peculiari modo dispositа, & configurata, quæ si spatiorum dimensionibus denudetur, si nempè longitudinem, latitudinem, ac profunditatem amiserit, in nihilum sanè resolvetur.

Corpus substantia est trina dimensione præditа.

Cum igitur Justitiam humano animo inhærentem intelligo, confestim intelligentiæ nostræ delineamenta, & vestigia quædam supremæ, & immutabilis Justitię sese offerunt, quæ re vera nihil aliud est, quàm summus, & ordinatus supremi conditoris amor, ex quo summa illius felicitas, ac tranquillitas oritur. Quapropter Justitia, quæ in creatis rebus elucet, æqualitas, & quidam amoris ordo est, quo cuique exacta quadam proportione servata, quæ sua sunt, tribuimus, modo quo suprà exposuimus. Cum autem Arborem concipimus, rem tantùm pro modo suo quantam, rem nimirùm mole, partibus, & extensione peculiari modo dispositam intelligimus.

Divinæ Justitiæ ipse Deus increatus summeque ordinatus Amor est.

Jam his jactis fundamentis ex ipsa met vocum expositione statim manifestissimè innotescit Justitiam meliorem esse Arbore. Etenim quod magis, & perfectius summæ, & infinitæ Naturæ perfectionem exprimit, melius eo quidem est, quod minus, atque obscurius illud repræsentat: Cum enim creatæ, ac finitæ rei natura, ut ita fatear, tota sit ad aliud se perfectius, profectò non mensuratur illius bonitas, ac perfectio, nisi habito respectu ad majorem, aut minorem representationem sui exemplaris, gratia cujus tantum est, & intelligitur, quo proindè posthabito, quid in Creaturis bonum, meliusque dicatur, nequit explicari, cum enim Creatura ratione sui, neque aliquid sit, aut aliquid esse intelligatur; nihil enim ex se est, sequitur ratione sui & ex se omni prorsùs perfectione, ac bonitate carere; caret namquè omni bono, id quod nihil est, secùs aliquid esset. Quod igitur finitum est, & gratia alterius, si ens infinitum, ad quod tendit majori vi, & clarius exprimit, melius altero finito bono nuncupatur; quia tamen perfectè, & plena quadam repręsentatione suum exemplar exprimere nequit, aliter ipse met Deus esset, qui tantum perfectissimam substantiam ac infinitam qua quà versum naturam plenissimè repræsentat, manifestissimè colligitur solum Deum Optimum esse, ut creaturis bonum tantùm & melius attribui, & aptari valeant.

Justitiam meliorem, præstantioremque arborem esse, demonstratur.

Videamus igitur an Justitia perfectius, & clarius suum Exemplar, quàm extensio corporea, seù Planta exprimat, ut indè citrà dubitationem, an verè Justitia Arbore sit melior, intelligamus. Justitia creata est vivida, ac spiritalis, quædam imago immutabilis Justitiæ, in qua summa Dei æqualitas, ac summus divini amoris ordo mirum in modum excribuntur; quapropter creata Justitia veluti quædam Portio, & limitatio divinæ Justitiæ est, quam restrictam ac participatam Justitiam, si ità explices, augeas, amplificet, ut terminos, ac confinia tollas, summam, & immutabilem ipsam Dei Justitiam intelliges, quæ

Perfectius Deum exprimit Justitia, quam Arbor.

nihil

nihil aliud, nisi simplex, ipsa Iustitia à limite, & termino abhorrens est, ut tota vis, totusque conatus in limite, ac confiniis auferendis consistat, ut ex humana ad Divinam Iustitiam gradum faciamus; idcircò creata Iustitia à termino & restrictione sejuncta in summam ipsam Dei perfectionem veluti abit, ac trasmutatur. Attamen non hujusmodi se habet Arbor, quæ remotiùs & obscurius suum repræsentat exemplar. Etenim cum Arborem intelligo, res quædam mole, & extensione prædita animo sese offert: quapropter ut Arbor est, seù ut extensa substantia est, nullo pacto suum exemplar exprimit, cui minime congruit extensio; res enim incorporea, purissimusque spiritus Deus est. Neque talis indolis extensio, seù corporea magnitudo est, ut si hæc augeatur, atque terminos demas, ut Iustitiæ virtuti contingit, divina substantia fiat, & intelligatur, nam ex adverso quò extensio, spatium, ac moles augentur, eò magis à sui Exemplaris Conditione recedunt, & removentur. Nam si Deo moles, & extensio absolutè adversantur, quò major extensio erit, eo validius cum Divina natura pugnabit, deindè quid quid corpus est, res nempè extensa, necessariò multiplex est, & magnopere ab unitate recedit, quod necessaria quædam corporum imperfectio est; imperfectum enim necessariò est, quod ad numerum accedens à simplicissima unitatis indole abhorret. Quo autem major extensio est, eo partium numerus augetur, atque major fit ab unitate recessus. Idcircò corpus crescendo quodammodo deficit, atque magis ab interminata sui exemplaris perfectione distare, ac recedere videtur.

Arbor non quia trine dimensa, sed quia aliquo modo est, divinam naturam repræsentat.

Corpus haud unitus, sed numerus est.

Quamobrem, ut intelligamus Arborem, seù corpus aliquod peculiare Deum exprimere, necesse est, ut extensione, spatiorumque mensuris rejectis penitusque semotis, corpus tantùm ut aliquid est, videlicet ut vestigium, & imitamentum Dei, quatenus est, concipiamus. Corpus enim, ut res extensa est, Incorporei, & inextensi Dei similitudo quidem non est, sed solùm divinam exprimit naturam in quantum restricto ac limitato modo esse, manere atque subsistere videtur: Proximius igitur, promptius, ac minus obscurè Deum exprimit, creata Iustitia, quàm Arbor: Idcircò Iustitia arbore melior est. Ex quo illicò evidentissimè infertur, verè Iustitiam aliquid esse. Quidquid enim Deus non est, non ob aliam rationem est, nisi quia pro modo suo exprimit, & repræsentat id, quod est; cum ergò hoc optimè præstet Iustitia, hæc verè aliquid est, quod clarius constabit, si Iustitia comparetur Arbori, qua sanè melior est. Impossibile enim est rem aliquam meliorem esse altera re, quæ est: ipsam tamen nihil esse; nihil enim nihilo deterius, & quod aliquo modo est, necesse est, ut perfectione, & virtute superet, id quod nihil est. Est igitur Iustitia aliquid, si melior Planta est. Attamen Iustitia verè extensa non est; nulla enim spatia in ipsa continentur. Etenim cum Iustitiam intelligo, animi quædam æqualitas, ac summè laudabilis ordo mihi sese offerunt, quæ adeò cum mole, & extensione pugnant, ut si illis spatia adderem, ac dimensiones, illicò illorum ideæ, ac notiones evanescerent, ac interirent. Nemo quidem cum Iustitiam cogitat, ad spatiorum mensuras convertit Animum, quia potius omninò separat, ac removet. Iustitia igitur verè aliquid incorporeum est arboris natura insignius, atque præclarius, & si mole, partibus

Necesse est, ut verè aliquid sit Iustitia, si hæc Arbore præstantior est.

Quod nihil est nullâ re melius appellari potest.

tibus, ac dimenſionibus caret. Quapropter floret, atque effulget in Univerſo res aliqua inextenſa, a corporis indole aliena, quæ ſit corpore pretioſior, dignior, longeque excellentior.

Si Iuſtitia verè aliquid eſt, oportet ut effulgeat aliquid inextenſum, extenſis tamen naturis inſignius.

Hic tamen quædam occurrit dubitatio, quam potiſſimùm hæſitantis Pyrronis ſectatores nempè ſceptici ſubminiſtrarunt. In dubium enim vertunt, an Iuſtitia melior, ac perfectior Arbore dicenda ſit. Etenim adhuc ſublite eſt, an verè extrà noſtras Ideas, hominumque judicium eluceat res perfectior, aut melior altera; nam potius, ajunt, hujuſmodi diverſitas atque perfectionis exceſſus unius rei ſuprà alteram ſita eſſe videtur in quadam apparentia, quæ à moribus atque opinione originem trahat, ut nihil verè ſit altero melius, ſed tantum nobis videatur. Nam quod perfectius quibuſdam Gentibus apparere ſolet, deterius ab aliis exiſtimatur, hinc prout mores, tempora, & opiniones mutantur, majori, vel minori perfectione, viliores, aut pretioſiores eædem res putari, ac videri ſolent, Idcircò poſſet aliquis citrà rationis injuriam in dubium revocare, an Iuſtitia melior ſit Arbore; qui enim ſpecioſiſſimo virtutis nomine præocupatus ex patrio more Iuſtitiam veluti quid magnum, ac divinum in prętio habendum cogitare conſuevit, Juſtitiam meliorem Arbore eſſe putabit. Qui autem ex adverſo cum Epicuro ſomnians, carnali cuidam, ac mortali, ut ita fatear, Philoſophiæ turpiter addictus, virtutum nomina veluti inania figmenta ſpernit, Arborem profectò Juſtitiæ preferet, ſolida nimirùm ac plena corpora vacuis nominibus, & commentitiis rebus meliora eſſe cenſebit. Quæ dubitatio roboratur, ſi inſuper advertamus, Juſtitiam eſſe virtutem quandam incertam, inconſtantem, prorſuſque dubiam. Etenim nequit firma, ac certa Regula decerni, atque ſtatui quodnam verè appellandum ſit juſtum, & æquum, quodnam verò iniquum, & injuſtum, nam juxtà diverſa temperamenta, diverſos mores, ac prejudicatas infantię opiniones eadem numero hominum operatio juſta, aut iniquè indifferenter videri poteſt: Hinc quod ab uno hominum genere, ut virtus, atque ſumma æquitas laudibus extollitur, & approbatur, ut vitium, atque damnabilis injuſtitia ab altero reprehendi ſolet. Non eſt igitur tàm inconcuſſum, tamque evidens Juſtitiam meliorem eſſe Arbore, ut id rationabiliter in dubium verti non valeat; Quapropter Auguſtini Ratiocinatio claudicat, & evidentię robore minimè pollet.

An Iuſtitiæ perfectio, ac dignitas vera, an potius apparenſis, in dubium revocatur.

Hujuſmodi tamen Scepticorum argumentatio nullam ſanè vim habet, nulloque negotio diluitur. Quod ut expeditius præſtem, primò, evidentiæ, ac firmiſſimæ demonſtrationis vi Scepticos cogam ad affirmandum in Vniverſo verè citrà apparentiam, & opinionem rem altera meliorem elucere, ut deinde concedere Juſtitiam verè planta meliorem eſſe debeant. Idcircò quæro à Scepticis, an ſenſus voluptatis verè doloris ſenſu melior ſit? Reſpondebunt fortaſſe voluptatem non eſſe, ſed tantùm meliorem dolore videri. Poteſt igitur voluptas dolore deterior eſſe, ut Animantium bonum ſit dolor, voluptas verò malum, idcircò dolor ad tuendum, ac beandum, voluptas verò ad deſtruendum, atque infelix reddendum animal ordinari, ac comparari poteſt. Attamen quid monſtroſius, quid ſtultius dici poteſt? Hoc enim pacto voluptas bonum

Scepticorum doctrina confutatur.

Voluptatem dolore meliorem eſſe, intelligimus haud gnaramus.

num una, & animantis malum esset, quid quæsò magis bonum, quàm voluptas, quæ ipsum Bonum est; appetitus namque, ac desiderii scopus, & meta est, adeò Animæ consentanea, ut bonum nihil aliud præter voluptatem esse videatur? Eadem ratione dolor malum itidem, & bonum esset. Quid malum, quàm dolor, qui ipsum profectò malum est? Quod si voluptas tantum apparenter dolore melior est, mutent quidem, si possunt, hujusmodi apparentiam, atque arbitrariam opinionem, ut dolorem appetant, à voluptate verò abhorreant. Quapropter si sedulò se ipsos consulant, apertissimè intelligent, voluptatem dolore meliorem esse, nempè citrà dubitationem voluptatem à dolore, ut bonum à malo secernent. Eodem pacto quis nisi mentis inops dicet, visionem non revera cæcitati antecellere, sed tantùm hac videri meliorem? Profectò nemo seriò dubitare potest, an id, quod est, defectu, ac privatione deterius sit.

Nomine voluptatis, interior quædam Animæ quies, ac sinceræ tranquillitas haud turpis sensuum, & Carnis titillatio hic venit maximeque detestanda Voluptas dolore, viso cæcitate melior est.

Deindè duæ propositiones in medium afferantur, quarum prima sit: scio, me existere, dum cogito; altera, dubito, an lux sit corpus, aut modus corporis. Iam harum propositionum, seù cognitionum prima verè, & citrà apparentiam melior secunda est; nam prima prorsus evidens, clara, & indubitata est; altera verò quamvis certa, & manifesta sit ratione cogitationis, quæ dubitatio dicitur, attamen si illius spectetur objectum, obscura est, atque ignota; etenim licet sciam, & intelligam, me dubitare de vera, & genuina natura lucis, cum dubito, tamen lucis natura incerta mihi est, & inevidens. Quapropter in prima propositione cognitio pariter, & res, seù, ut ajunt, objectum; in secunda verò cognitio tantum clarissimè innotescit; attamen cognitio ex omni parte clara, & evidens melior, ac perfectior profectò est cognitione, quæ aliqua obscuritate, & incertitudine laborat. In utroque tamen exemplo major, aut minor perfectio, & excellentia sanè desumitur penes majorem, aut minorem repræsentationem perfectionum, quæ sunt in Exemplari, cujus creatæ rei operationes imago, ac vestigium sunt. Idcircò magis exprimit divinam perfectionem voluptas, quam dolor; nam prima est summæ felicitatis imitamentum, altera verò potius dicenda est nihil, & defectus, cum felicitati, atque bonitati adversetur. Pariter cognitio quaqua versum evidens, clara omninò, ac certa, quia propius accedit ad perfectionem intelligendi, quæ in divina Mente fulget, quam cognitio ex parte inevidens, & obscura, ideo una alterà melior non videtur, sed vera est. His Expositis.

Altera accedit adversus Scepticos Argumentatio.

Opinioni scientia præstat.

Aggredimur demonstrare Justitiam non videri, ut scepticis arridet, sed verè esse arbore meliorem, atque insigniorem. Hoc enim pacto ratiocinamur, ideò melior in se est, & citrà apparentiam voluptas iolore, & ex jam expositis propositionibus prima perfectior est secundà, quia harum rerum una perfectius, atque insignius Divinam perfectionem exprimit, quàm altera; attamen jam apertè demonstravimus Iustitiam clarius, atque distinctius supremam, ac perfectissimam Naturam exprimere, quàm Arbor. Est igitur, non videtur Arbore melior Iustitia; quapropter omni posthabita apparentia in creatarum rerum Universitate, & Bonum & Meliùs florent, atque vigent. Postremò Iustitiam veram, ac sinceram animi virtutem esse, non videri, firmum

Iustitia arbore melior est, haud videtur

Iustitiam verum, ac genuinam virtutem esse adversus scepticos ostenditur.

& inconcussum est; nam Justitia, Augustino docente, ipsemet amor ordinatus est. Amorem autem ordinatum insignissimum humanæ mentis ornamentum esse non putatur, sed verè, ac citrà dubitationem scitur, & intelligitur, cum haud putemus, sed intelligamus in amore nostro ordinato summæ, ac interminatæ Justitiæ effigiem, ac delineamenta splendidissimè contineri, ut suprà invictè ostendimus. Quamobrem non ex more, consuetudine, atque præjudicata quadam vulgi opinione aliud justum, iniquum aliud appellamus, sed purissima atque ingenita ratione prælucente, exemplarem, atque primævam supremi numinis Iustitiam consulentes, alterum ab altero secernimus, cum divina Iustitia norma, atque firmissima regula sit, qua omni semota dubitatione, Iustitiam in nobis, ac virtutem ab iniustitia, & vitio separamus. De qua re susius, & validius in nostris Dissertationibus sermonem habebimus. Melior igitur Arbore Iustitia est, longè nempè divinior, ac præstantior; atque adeò elucet in Vniverso res mole, atque extensione denudata, corporeis substantiis insignior, ac pretiosior; quapropter ex hoc, quod Anima partibus, spatiorumque mensuris careat, atque prorsùs in extensa sit, non ideò nihil esse, dicenda est, imò ex hoc capite aliquid esse, corporibusque quàm maximè præstare, indubitanter affirmandum est. Attamen opponit sibi Augustinus, non ideò nihil esse anima dicenda videtur, quia extensione caret, sed demonstrandum est, an verè anima talis indolis sit, ut omni spatio, & corporea quantitate careat, modo quo de Iustitia visum est. Etenim contingere quidem potest, ut plura in Vniverso eluceant longè præstantiora, quæ à corporum dimensionibus abhorreant, inter quæ tamen nullo modo annumeranda sit Anima, in quo sanè totius controversiæ nodus, & cardo est. Augustinus hanc dubitationem pro viribus enodare studens, primùm admonet, nè difficillima atque operosa involutæ rei disquisitione terreamur: idcircò nos hortatur, ut attentissima animi perceptione penitiores animi recessus perlustrantes, severissimi examinis laborem minimè formidemus, cum tàm insignis, ac summoperè proficua veritas, animæ nempè immaterialis natura & immortalitas manifestissimè nobis patere nequeat, nisi per longos circuitus, ac molestas ratiocinationum series animus defatigetur, atque summa attentionis vi acies intelligentiæ roboretur, cujus attentionis defectu & ob laboris fugam homines suæ naturæ obliti adeò se ignorarunt, ut diviniorem, atque æternam sui partem, corpoream, & mortalem, turpiter efficerent. Deindè quæritur ab Augustino, utrum corpus ullum in rerum universitate esse putemus, quod pro modo suo aliquam non habeat longitudinem, latitudinem, & altitudinem? Quærit namque an corpus aliquod intelligi valeat, quin illicò res trinè dimensa intelligatur. Ut hunc solueret nodum, cum satis perspicuas corporis affectiones longitudinem, & latitudinem esse arbitretur, solius profunditatis, seu altitudinis clariorem notionem inquirit. Hinc subtiliter admonet, altitudinem esse id, ratione cujus corporis viscera, & interiora cogitantur, aut sentiuntur, ut cùm corpus veluti vitrum pellucet, in pellucido namque corpore illius interior pars sensu percipitur. Explanata autem altitudinis natura quæstioni satisfacit Augustinus dicens, nullum corpus longitudine, latitudine, atque altitudine carere

Ex hoc; quod Animus in extensus affirmetur, haud nihil sed verè aliquid extensis, corporeisque rebus præstantius esse intelligitur.

Quæritur an verè inter incorporeas res annumerandus sit Animus?

Qui latentes veritates investigare exoptat, severi examinis attentionisque laborem non reformidet.

An percipi possit corpus quin trina dimensione gaudere intelligatur?

carere posse, cum nullum existat corpus, quin tribus hujusmodi dimensionibus polleat, quæ dimensiones, nisi in corpore intelligi, ac inveniri nequeunt,

Pluves Animam Aerem, aut Ventum esse perperam imaginantur.

Ergò animam non putas esse aliud, quam corpus, in hoc loco, ut expeditius verum detegatur, dubitare exorditur Augustinus, an Anima sit aer, aut ventus, aut aliquid aeri, & vento simile. Etenim pluribus videtur nihil aliud esse Anima, quàm tenuissima quædam aura, & ventus organico corpori infusus. Cùm autem ventus verè inter corpora annumeretur, & Anima corpus esse dicenda est, quam sub venti, & auræ forma concipimus. Etenim non desunt qui falso censeant animam ex subtilissimis, atque maximè concitatis partibus componi, ut nihil aliud, nisi quidam tenuissimus, summeque volatilis flatus sit. Cùm enim ex præjudicata infantiæ opinione & consuetudine quadam judicandi ope sensus, & phantasiæ, res concipere non valeamus, nisi sub corporis imagine, & nulla congruentior imago occurrat indolem animæ nobis exhibens, quàm ea, quæ ab aere, flatu, atque aura depromitur, ideò nullo negotio Animam, ut aerem, ac ventum imaginamur, & sæpissimè ventum esse putamus.

Ut Animam ventum minimè esse, ostenderet Augustinus, ventorum Indolem, ac originem paucis quidem sed solidè, summoque ingenio exponit.

Huic autem dubitationi primò occurrit Augustinus concedendo ventum corpus esse; quapropter ventum aquarum fluctibus comparat, ideoque fluctum aeris appellat. Est enim ventus aer ipse commotus, atque agitatus, sicuti fluctus aquarum est ipsa aqua se movens, ac fluens. Quod sanè experimur cum brevi flabello aerem summè tranquillum, & quietissimum commovemus, & agitamus. Tunc enim ventus quidam, ac flatus sentitur, qui ipse met commotus aer est. Hic autem flatus, cum evenerit ex quodam occulto motu corporum cælestium, aut terrenorum per immania Mundi spatia excurrens ventus nuncupatur, qui ex diversis mundi Plagis erumpens, diversa apud Nautas nomina sortitus est.

Nihil aliud est Ventus nisi ipsemet aer commotus, & agitatus.

Cum autem nihil aliud sit ventus, nisi fluctus aeris, seù ipsum aereum corpus fluens, Adeodatus respondet, se non putare verè Animum ventum esse, sed aliquid vento simile, attamen illum ulterius interrogat Augustinus, an cum ventum concipimus, animo res longa, lata, atque alta confestim sese offerat, quod sanè concedit Adeodatus, cum nihil reperiatur, quod longius, latiusque per elementaris mundi spatia excurrat, quàm aer, qui cum fluit, & commovetur, ventus appellatur.

CAPVT V.

TEXTUS.

AD. *Quid hoc Aere longius, & latius, & altius facilè inveniri poteſt, quem commotum, ventum eſſe nunc abs te mihi perſuaſum eſt?* Aug. *Rectè dicis. Sed num quidnam Animam tuam putas eſſe, niſi in corpore tuo?* Ad. *Ita puto.* Aug. *Inſtrinſecus tantùm, ut tanquam aquam utrem impleat, an tantum forinſecus velut tectorium, an, & intrinſecus, & extrinſecus eam eſſe arbitraris.* Ad. *Hoc ſentio, quod ultimum requiſiſti. Nam niſi eſset intrinſecus, nihil in viſceribus noſtris vitale haberetur, niſi eſſet extrinſecus non etiam in cute leviter poſsis ſentire pungentem.*

II. Aug. *Quid ergò amplius, quæris, quanta ſit anima, cum videas eſſe tantam quantum ipſa ſpatia corporis patiuntur.* Ad. *Si hoc ratio docet nihil amplius requiro.*

III. Aug. *Recte facis nihil quærere amplius, quam docet ratio. Sed hæc ratio videtur ne tibi firmiſsima.* Ad. *Quando aliam non invenio videtur. Suo enim loco quæram, quod me multum movet, utrum hæc figura eadem maneat cum e corpore exceſserit; nam hoc inter diſcutienda ultimum me poſuiſse memini. Sed quoniam de numero animarum quærere ad quantitatem mihi videtur pertinere, non eſſe hoc loco prætereundum exiſtimo.*

IV. Aug. *Non incongruè exiſtimas, ſed prius de ſpatio ejus, quod me adhuc multum movet, explicemus, ſi placet, ut etiam ego aliquid diſcam, ſi tibi jam ſatisfactum eſt.* Ad. *Quære ut vis; nam tua iſta ſimulata dubitatio dubitare me veriſsimè facit de hoc ipſo, quod jam peractum eſſe præſumpſeram.*

V. Aug. *Dic mihi quæſo te utrum ea, quæ appellatur memoria, non tibi nomen inane videatur?* Ad. *Cui hoc videri poteſt.* Aug. *Animæ hanc eſſe arbitrarii an corporis?* Ad. *Et hinc dubitare ridiculum eſt. Quid enim exanime corpus meminiſſe aliquid credi, aut intelligi poteſt.*

VI. Aug. *Meminiſti nè tandem urbis Mediolanenſis?* Ad. *Valde*

àè memini. Aug *Nunc ergò quia ejus factamentio est recordaris quanta, & qualis sit?* Ad. *Recordor sanè, ac nihil recentius, atque integrius.* Aug. *Hunc ergò cum oculis eam non videas, animo vides?* Ad. *Ità est.* Aug. *Meministi etiam, quanto spatio terrarum hinc à nobis absit.* Ad. *Ità & hoc memini.* Aug. *Vides itaque animo etiam ipsam locorum distantiam?* Ad. *Video.*

Aug. *Cum igitur anima tua hìc sit, ubi corpus, nec ultrà spatium ejus porrigatur, ut superior Ratio demonstrabat. Undè sit, ut illa omnia videat?* Ad. *Per memoriam hæc fieri puto, non quod illis locis sit præsens.* Aug. *Imagines ergò illorum locorum memoria continentur.* Ad. *Ità sentio: nam & quid ibi nunc agatur, ignoro, quod utique non ignorarem, si Animus meus usque ad ea loca porrigeretur præsentiaque sentiret.* VII.

Aug. *Verùm mihi videris dicere, sed certè istæ imagines corporum sunt.* Ad. *Ita necesse est, non enim aliud sunt urbes, terræque, quam corpora.* VIII.

Aug. *Nunquam nè intuitus es parva specilla, aut nunquàm in pupilla oculi alieni faciem tuam vidisti.* Ad. *imò sæpè.* Aug. *Cur multò brevior, quàm est apparet.* Ad. *Quid enim, velles aliud, quàm ut prò modo speculi videretur?* Aug. *Necesse est ergo imaginis corporum si parva sunt corpora, in quibus apparent, parvas apparere.* Ad. *Necesse omninò.* IX.

Aug. *Cur ergò cum tam parvo spatio sit Anima, quàm corpus est ejus, tam magnæ in ea possunt exprimi imagines, ut & urbes, & latitudo terrarum & quæque alia ingentia apud se possit imaginari? Volo enim cogites paulo diligentiùs, quanta, & quàm multa memoria nostra contineat, quæ utique anima nostra continentur, qui ergò fundus est? qui sinus? quæ immensitas? quæ possit hæc capere, cum & eam tantam, quantùm est corpus, superior ratio docuisse videatur.* Ad. *Non invenio, quid respondeam, nec satis explicare possum, quantum me ista moveant, & multum me ipso derideo qui superiori rationi tàm citò consenseram, ut ex isto corporis modo quanta sit Anima, terminarem.* X.

Aug. *Non ergò jam tibi tale aliquid videtur, qualis ventus est.* Ad. *Nullo modo. Nam etiam si aer iste, cujus quasi flatum* XI.

flatum ventum eße probabiliter creditur; universum istum mundum posit implere, innumerabilis tales tantosque mundos secum Anima imaginari potest, quas imagines quo spatio contineat suspicari non possum. Aug. *Vide ergò nè melius sit, eam credere ut superiùs dixeram, nec longam, nec latam, nec altam, sicut mihi de Justitia concesseras.*

XII. Ad. *Facilè assentirem nisi me plus conturbaret, quò rursùm pacto tantorum spatiorum imagines innumerabiles nulla sua, & longitudine, & latitudine, & altitudinem capere possit.*

EXPOSITIO.

I. *Deceptum vulgus Animam in corpore veluti aerem exporrigi putat.*

VUlgus hominum arbitratur adeò substantiam animæ in corpore diffundi, & explicari, ut tota, atque in corpore tantùm humano detineatur; Hoc autem triplici modo contingere posse videtur. Primò ut solam corporis interiorem, solidamque partem implens extimam illius superficiem, ac extremam partem minimè pervadat, ut aqua in vase contenta, quæ dum vasis interiora occupat, illius extremitates externasque partes nullo modo permeat. Deindè tin sola exteriori, & extima parte se diffundens, interiora corporis neutiquàm perlustret, ut tectorium, & integumentum. Tandem Anima dici potest utroque modo intus, & foris in corpore claudi, & contineri.

II. *Si Anima in corpore tanquam Halitus explicaretur, tanta profecto esset quantum est corpus quod illam continet.*

In hoc loco juxtà præjudicatam rudiorum hominum opinionem affirmatur, animæ substantiam effundi, & explicari utroque modo in corpore; Intrinsecus namque cum corporis interiora vitam, energiam, & motum ab Anima se in illis effundente accipiant; & extrinsecus, cùm ità Anima per cutim, quæ veluti corporis extima superficies est, exporrigatur, ut quaqua versùs leviter etiam hæc pungatur, sentiat illicò, atque percipiat anima. Juxta quem pravum, ac distortum modum judicandi de Animæ substantiæ in corporibus effusione, & expansione, jam Animæ quantitas confestim innotesceret; Tanta enim esset, ac tantæ extensionis, quantum esset corpus, in quo continetur, idcircò nihil ampliùs ad propositam quæstionem enodandam requireretur, si hoc docet Ratio. Quibus postremis verbis admonemur tunc sensuum, ac phantasiæ auctoritati assentiendum esse, cum quod sensus, & phantasia docent, purgatissimum, ac summè verax purissimæ Rationis testimonium approbat.

Tunc judicandum cum evidens & purgata Ratio cogit assensum.

III. *Rationis evidentia non à sensu sed a purissima intelligentis hauritur.*

Nihil sanè rectius, ac sanius, quàm quiescere, sistere, ac ulteriùs inquirendo non procedere cum illuxerit Ratio. Ratio autem, quæ menti quietem conciliat, omnemque dubitationem abigit, ipsa clara, & distincta rei notio ab intelligentia quidem haud à sensu atque imaginandi facultate hausta est; in qua tanto fulgore res eluceat, ut assensum cogat, cui nemo citrà ingeniti luminis injuriam aliquandò contradicere

valeat. Quod tunc profectò contingit cum judicandi libertate veluti prorsus impedita, dissentiri, aut judicium cohibere minimè valemus. Idcircò optimè hic asseritur quiescendum esse cum rationis lumen accesserit; Attamen non videntur negligenda verba, quæ sequuntur (sed hæc ratio videtur ne tibi firmissimè, &c.) Admonemur enim, ne rationem cum opinione confundamus. Ratio cogit assensum; ideò firmissima est, ut nulla dubitatione concuti aut flecti valeat. Opinio verò simulata, ac personata quædam ratio est, adeò infirma, ut possit tandem vacillare, ac sub dubium cadere. Ideò Augustinus Adeodatum interrogat, an sit opinio, in obscura quadam, ac confusa mentis notione latens, an ipsa vera, & inconcussa Ratio in claris, & distinctis intellectus ideis vigens, ac involuta, quæ hujuscemodi animæ effusionem in corpore doceat.

Vera Ratio a falsa diligenter secernatur.

IV.

Non incongruè existimas (cum in hoc tractatu agatur de Animæ quantitate) congruum & opportunum quidem est primò expendere, an anima à corpore sejuncta eamdem figuram retineat, ac magnitudinem, qua afficitur, cum est corpori copulata, si extensam, ac corpori configuratam esse fingamus: deindè numerus animarum quærendus est, quot nempè sint animæ, cum numerus species quædam sit quantitatis. Attamen quia id quod summopere mentem humanam excruciat, multumque latet, sit, scire, ac detegere, an verè extensio aliqua, & locale quoddam spatium insit animæ, ut verè illius substantia in corpore extendatur, ideò, aliis dubitationibus omissis, in hanc rem potissimùm incumbendum esse præclarissimè docet Augustinus.

In id potissimùm incumbit Augustinus, ut detegat, an corporea magnitudine constet, Anima.

V.

Memoria summa quædam potestas, & longè insignior facultas est, quæ mirum in modum animam perficit & exornat, quæ non corporis sed quædam animæ affectio est. Corpus namque, in quo nullam operationem anima exercet, neque aliquandò meminisse, aut intelligere potest. Etenim cum recordamur, verè cogitamus, si in reminiscentia conscientiæ, & perceptionis natura necessariò continetur, qui namque reminiscitur, de re cujus recordatur, cogitat, ac se reminisci verè scit, & intelligit. Solus autem animus, haud corpus suarum operationum conscius ac intelligens est. Quid autem verus caracter, & natura memoriæ sit, in sequentibus, Augustino duce, accuratè explicabimus.

Non corporis, sed Animæ insignis quedam potestas Memoria est.

VI.

Unusquisque experitur se recordari, animoque videre, ingentissima etiam corpora, ipsamque locorum distantiam, quàm anteà corporeo oculo prospectavit. Dupliciter enim humanus animus videt, primò veluti in ipsa corporea, & materiata imagine, quam resilientium radiorum pennicillo colorant, & adumbrant in oculi fundo, seù reticulari tunica externa corpora, & tunc externis oculis videre dicimur: Secundo modo cum in idea, & imagine, in ipsis animæ penetralibus, sensuum occasione procreata, corporeas res intuetur, quod propriè animo videre dicitur.

Cum reminiscimur, absentes res animo intuemur.

VII.

Salutaris quidem, ac ingeniosa dubitatio, quæ ad errorem evellendum viam sternit. Si anima ità in corpore clauditur, & effunditur, ut ullius spatium nullo pacto porrigatur, undè quæso fit, ut etiam clausis oculis, absente re, Anima locorum distantias, amplissimaque corpora intelligentiæ aciæ videat? Sanè in imaginibus, quæ in memoriæ

Anima dum corporum absentium recordatur, illorum imagines tantum complectitur.

moriæ finu reſervantur, illa intuetur, cum non ſit illis rebus præſens; nam ſi corporibus, quorum reminiſcitur, anima verè adeſſet, procul dubio eam, quæ in locorum intervallis, ac diſtantiſſimis corporibus abſolvuntur, atque contingunt, neutiquam ignoraret, ſed ſciret, quod experientiæ adverſatur; Non videt igitur animus, cum reminiſcitur, externa corpora, quià illis intimè præſens eſt, cum verè ubi illa ſunt ipſa non ſit, ſed quia in memoriæ theſauro illorum poſſidet imagines, in quibus abſentia corpora, quæ jam ſenſus effugiunt, percipit, ac videt.

VIII. Cum reminiſcimur, & animo neutiquam oculis corpora proſpicimus, inſunt animo corporum imagines, cum locorum intervalla, & ea, quæ animo revoluimus, corpora ſint; Quidquid autem animo corpus repræſentat, corporis imago, ac quædam ſimilitudo eſt. Hinc Auguſtinus memoriæ imagines non corporeas, ſed corporum appellat. Aliud enim eſt imaginem corpus exhibere, aliud eſſe corpoream. Imago, quæ in fundo oculi procreatur, cum verè extenſa ſit, & extenſam rem repræſentet, & corporea, & corporum imago dicenda eſt. Quæ verò imagines in Animæ receſſibus, ac fundo deliteſcunt, & corpora animo offerunt, corporum delineamenta & ſimilitudines quidem ſunt; at incorporeæ, omnique extenſione denudatæ, qualis & ipſemet Animus eſt.

IX. *Specilla ſi parva ſunt, parvas quidem nobis imagines rerum exhibent.* Specilla, & quæcunque expolita Corpora, in quibus externa, quæ objiciuntur corpora videmus, profectò juxtà majorem, aut minorem ſui molem, & quantitatem majora, aut minora corpora nobis repræſentant. Hoc pacto in magno ſpeculo magna etiam corpora apparent, quæ eo decreſcere, ac minui obſervamus, quò minora fiunt ſpecula, ac decreſcunt. Idcircò cum noſtram faciem in alieni oculi pupilla intuemur, hæc parva juxtà breviſsimam pupillæ molem nobis exhibentur. Ratio quæ hìc adducitur eſt, quia nequit aliter oculus videre, ut opus ſit parvas, ac breves corporum imagines apparere, ſi parva, ac brevia ſint corpora.

Ut autem qua ratione hoc verè perficiatur intelligamus, admoneo. Cum in hoc loco, Auguſtinus ait, parvas imagines in parvis ſpecillis apparere, uſus eſt hac voce, Imaginis, ut vulgarium hominum captui ſe ſe accommodaret, atque expeditiùs dubitanti ſuaderet, Animam minimè extenſam, ac in corpore tanquam in loco explicatam eſſe. Ex præjudicatis namque Infantiæ opinionibus orta eſt illorum doctrina, qui cenſent in ſpeculis haud ipſamet corpora; ſed corporum tantum imagines, ac ſimilitudines videri, ut non meam faciem in alieni oculi pupilla, ſed illius imaginem intuear. Nam cum in Specillis non contineantur corpora, quæ proſpicimùs, ideo putamus à corporibus quamdam ſui ſimilitudinem, ac ſpeciem in ſpecilla immitti, ut non ipſum corpus, ſed illius potius imaginem in ſpecillis videamus. At ſanè in errorem incidimus, cum haud imagines, ſed ipſas met res in ſpecillis oculis percipiamus, quorum auxilio, ut ſcholarum verbis utamur, ipſummet objectum, non objecti imago animo ſeſe offert. Etenim cum extrà ſpeculum Lunam, exempli cauſa in firmamento intuemur, Lunam, non imaginem Lunæ videre dicimur, quia Luna eſt, quæ ſuo lumine ad nos evibrato, ac multifariam refracto, opticos nervos afficiens,

Refellitur illorum error, qui putant ſe in Specillis haud res, ſed rerum imagines inſpicere.

ciens, animam ad sui visionem excitat. Cum igitùr directè, ut scholæ loquuntur, ex Luna ad oculum lunare lumen pertingit, & evibratur, Lunam, non illius imaginem prospectamus.

Expenditur qua ratione Corpus in speculis videatur.

Jam expendamus qua ratione Lunam videamus, cum illam in speculis intuemur. Lunaris globus suos radios recto tramite in speculum immittit; quod postquam illos exceperit, atque ob luminis resilientiam ad oculum deindè trasmiserit, in oculi fundo, seù reticulari tunica Lunæ imago quædam inumbratur, atque oculus eodem prorsus modo afficitur, quo affectus est, dum in ipsum Luna lumen directè immisit. Idcircò speculum dum lunarem lucem imprimit in oculum, lunaris corporis vicem gerit, nam lumen reflectendo haud absimili modo retinam afficit. Hinc Luna dupliciter fundum oculi commovere, & afficere potest: Primò directè cum nempè per summè pellucidum aerem quaquaversum lumini pervium è Firmamento ad nos usque lumen suum ejaculatur: Altero modo contingit, cum reflexè oculum agitat: nimirum cum primò radios in speculum immittit, qui deindè ad oculum recurrentes, reticularem tunicam movent, adeò ut juxtà constantissimas Dioptricæ, ac Catoptricæ leges eodem pacto, quo fundus oculi à luna directè irradiante afficitur, afficiatur pariter cum specillorum ope reflexè commovet oculum. Quamobrem manifestissimè liquet in utroque casu nos haud imaginem Lunæ, sed ipsam Lunam inspicere, ut ipsa visio, seu perceptio occasione luminis agitantis oculi fundum in Anima excitata, vera, ac vitalis imago corporum externorum sit.

Aperitur primo cur in specillis parvis, parva appareant corpora: deinde Animam haud in organo sed in semet ipsa externa intueri corpora demonstratur.

Hinc obiter ad clariorem hujus rei notitiam duo hic aperiam. Primò causam cur specilla pro modo suo, ut cum vulgò loquar, rerum imagines exhibeant, cur nempè juxtà majorem, aut minorem specillorum extensionem, ac magnitudinem majores, aut minores appareant corporum imagines. Deindè explicabimus, an Anima in imagine corporea, quæ in reticulari tunica coloratur, an potius in semet ipsa, in suis scilicet spiritalibus, & incorporeis notionibus, ac ideis ipsamet amplissima corpora atque immanes locorum distantias inspiciat etiam cum externarum rerum præsentia, & impressione oculi feriuntur.

Quo pacto in reticularem tunicam res externe suam imprimens imaginem, explanatur

Circa primum nullo negotio causa detegetur, si ex opticis advertamus animam corporeis oculis videre corpora, cum hæc oculos movent, cum nempè in oculi fundum suam imprimunt imaginem. Hæc autem imago ex parte corporis externi nihil aliud est, nisi motus quidam radiorum, qui dum ex rerum externarum superficie ad oculum resilientes in oculi penetralibus, ac fundo multifariam conjunguntur, separantur, refranguntur, juxtà Dioptricæ leges aliquam portionem retinæ, quæ opticorum nervorum quædam ordinata expansio est, in pluribus punctis validè feriunt, atque movent.

Hic autem luminis motus in retina vigens, atque, ut ità fatear, modificatus, dum per opticorum nervorum tubulos propagatus, & undulosa quadam motione oscillantium spirituum ad nervorum usque originem in cerebro transmittitur, ex naturæ institutione, mutuum quoddam commercium inter Animam, & corpus decernentis, confestim in Anima quædam excitatur perceptio quę ipsamet corporum externorum visio, & spiritalis quædam imago est.

Quapropter quò hujusmodi impressio in oculi fundo peracta major

aut minor est, seù quòd major, aut minor Retinæ pars afficitur, eò major, aut minor corporum imago in oculi fundo emergit. Cum autem ex opticæ legibus, & ex modo, quo radii ex specillis ad oculos resiliunt, specula majora majorem reticularis tunicæ portionem, minora minorem afficiant, apertissimè innotescit, cur in parvo speculo parva, in magno verò magna corporis appareat imago, ut specula pro modo suæ magnitudinis, ac molis nunc majora nunc minora nobis externa corpora repræsentent.

Quo major Retinæ pars abexternis corporibus afficitur, eò majora corpora apparent.

Jam superest, ut accuratè pervestigemus, an cum externa corpora reflexi, ac refracti luminis ope oculorum fundum agitant, tunc Anima corpora, locorumque intervalla videat in imagine corporea, quæ ipsa retinæ impressio ac motio quædam est, an potius hæc in semet ipsa, in spiritali nimirum, & incorporea perceptione intueatur? Cum acerrima quadam animi perceptione tum arduam, tamque operosam quæstionem expendissem, tandem intellexi valdè allucinari, & à veritate deflectere eos, qui ruditer putant animum inspicere res externas in corporea imagine. Falluntur profectò: Primò quia censent extra animæ perceptionem verè in fundo oculi depictam corporum imaginem esse suis coloribus, ac luce inumbratam, cum tantum ex parte corporis hæc imago, simplex motus, & quædam opticorum nervorum affectio sit. Colores autem, & lux haud extrà Animam in corpore, sed extrà corpus in Anima tantummodò contineantur, ut infrà pro re nata demonstrare conabimur. Deindè toto cælo aberrant, quia etiam si concedamus in oculi fundo verè corporum visorum imgines colorari, & adamussim, ut vulgò creditur, delineari; adhuc tamen falsum erit, animam ingentissima corpora ac spatiorum intercapedines in ipsa materiata & corporea imagine, non verò in semet ipsa, suisque spiritalibus Ideis inspicere; quod hoc pacto demonstramus. In fundo oculi coloratur, & efformatur materiata visorum corporum imago, eadem ratione, ac lege, qua juxtà Perspectivæ documenta in telis imagines inumbrantur, aut modo, quo ob radiorum projectionem procreari solent in optica illa machina, quæ obscurum cubiculum ab Italis appellari consuevit. Jam cum ad has imagines animum convertimus, non videmus externa corpora, locorumque distantias juxtà veram, ac legitimam illorum extensionem, ac magnitudinem; sed multò longè minora, ut ingentes naves & sexcenta alia vastissima corpora brevissima appareant. Quò igitùr imago ex radiorum projectione procreata major, aut minor erit, etiam majus, aut minus externum corpus inspicietur. Cum autem in fundo oculi eadem lege corporum visorum imagines absolvuntur, qua juxtà Opticæ, & Perspectivæ leges in obscuro cubiculo perficiuntur, necessariò sequitur, quod si dum lumen oculos afficit, ad corporeas imagines in reticulari tunica inumbratas anima se converteret, atque in illis externa corpora intueretur, profectò ipsamet ingentissima corpora, immanesque locorum distantias haud magnas, sed breves valdeque angustas videret. Etenim cum oculi fundus reticularis nempè tunica valdè brevis, & angusta sit, breves, ac valdè contractas, & ipsas corporeas imagines esse necesse est. Quapropter singula corpora brevia, atque angustissima nobis apparerent, quod minimè consonat experientiæ. Non videt igitur anima ingentissima corpora, locorumque distantias in imagine

Animæ immania corpora, ac amplissimas locorum distantias haud in corporea imagine cernit.

corporea, quæ in oculi fundo floret, ac procreatur, sed potius in semet ipsa, in sua nimirum perceptione atque vastissimo intelligentiæ sinu, modo in dissertationibus explicando.

Cur ergò tam parvo spatio sit anima. Oh quam præclarè, & subtiliter, ut incorpoream ostenderet Animam, suum argumentum hìc prosequitur Augustinus? Si anima, ait, tàm brevis, & angusta est, ut velùti sui corporis extremitatibus coercita ultrà corpus suum neutiquàm exporrigatur. Qui fieri potest, ut in ea tam magnæ, tam amplæ, ac ingentes imagines exprimantur, quæ ampliſſima corpora, immensasque locorum intercapedines animo offerre, & repræsentare valeant? Cùm enim reminiscimur, immania etiam corpora & longissima intervalla imaginamur, animoque videmus, quorum enormes imagines ipsemet immensus animæ sinus complectitur, cum verè in memoria, quæ insigniſſima quædam animæ facultas est, contineantur. Qui enim fundus? quæ immensitas quæ summa hæc capacitas in Anima est? quo capere ipsius mundani Emisphærii, ac maximè distantium corporum ampliſſimas imagines valeat? Si anima tam longa, lata, & alta est, ut est corpus suum in quo continetur. Non posset sanè si tam breve, ut ita loquar, atque contractum, spiritale rerum ræpræsentativum speculum esset, quantum corpus, in quo clauditur, est, tam vastas amplasque imagines ampleti, & continere, nam deesset illi fundus ac sinus, undè caperentur, & reponi possent.

In corporea quidem est Anima si tot immanium corporum, ac immensorum spatiorum imagines memoria complectitur.

Non ergò jam tibi Anima tale aliquid videtur, qualis ventus est?

In hoc loco subtiliter admonet Augustinus, quod etiam si concedamus ventum adeò expansum, & effusum esse, ut Universum istum mundum implere, & occupare possit, tamen augustior quidem, atquè contractior erit, quam Anima, cujus fundus tam immensus, tamque immanis capacitas, ut innumerabiles, & ampliſsimos mundos imaginando, ac reminiscendo capere valeat. Tanta namque illius memoriæ vis, ac incomparabilis magnitudo est, ut in illa interminatæ extensionis, qua corporeus universus præditus est, vividisima quædam imago lateat. Non est igitur Anima ventus, aut aliquid illi simile, si vento capacior, atque incomparabiliter major est. Idcircò non tanta est, quantum suum corpus est, secùs haud magna, & immensa; sed tantùm quæ brevia, & pusilla sunt, cùm imaginatur, ac reminiscitur, videret.

Animus neutiquam ventus est.

CAPVT VI.

TEXTUS.

I. Aug. *Inveniemus hoc fortaſſe quantum licet, ſi prius diligenter diſcutiamus hæc tria, ideſt longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Itaque enitere cogitare longitudinem, quæ adhuc nullam latitudinem aſſumpſerit.* Ad. *Nihil poſſum tale cogitare. Si enim filum Araneæ in Animo conſtituero, quo nihil exilius ſolemus videre, occurrit mimi etiam in eo tamen, & longitudo per ſe, & latitudo, & altitudo quæ qualeſcunque ſint, eſſe, tamen negare non poßum.*

II. Aug. *Non uſque quaque abſurda eſt reſponſio tua, ſed certè cum tria iſta in aranea filo eſſe intelligis, diſcernis hæc, & quid inter ſe differant, noſti.* Ad. *Quid ni quid differant, noſcam? An aliter potui videre nihil horum de eſſe huic filo?* Aug. *Quo igitur Intellectu hæc diſcrevisti, hoc potes etiam ſejunctis aliis ſolam longitudinem cogitare, ſi nec aliquod corpus voluas animo. Nam quodcunque fuerit his omnibus, non carebit. Incorporeum eſt enim, quod te nunc intelligere cupio; nam ſola longitudò non niſi intelligi animo poteſt, in corpore inveniri non poteſt.*

III. Ad. *Jam Intelligo.* Aug. *Ergò iſtam longitudinem ſi quaſi ſecare cogitatione per longum velis, vides, profecto non poſſe. Nam ſi poteſt, ineſt etiam latitudo* Ad. *Manifeſtum eſt.* Aug. *Hanc igitur longitudinem meram, & ſimplicem ſi placet, lineam vocemus; hoc enim nomine à doctis multis appellari ſolet.*

IV. Ad. *Voca quidquid vis, non enim mihi de nominibus laborandum eſt, cum res aperta ſit.* Aug. *Benefaci, & non ſolum approbo, verùm etiam moneo, ut ſemper rerum curam magis quam verborum te habere delectet. Sed linea iſta, quam jam, ut opinor, bene intelligis, ſi porrigatur ſive ex una, ſive ex utraque parte, quàm in longum porrigi poteſt, cernis nullum eſſe finem. An ad hoc contemplandum minus valet acies mentis tuæ.* Ad. *Contemplor omninò, ac nihil facilius.*

E X-

EXPOSITIO.

INveniemus hoc fortaſſe.) Nihil ſanè ſenſibus obvium magis magiſque patens, quam corpus, res nempè trinè dimenſa. Quæcunque enim oculis, aut tactu ſentimus, longa, lata, atque alta eſſe percipimus, ut nihil tangere, aut videre poſſit Homo, quin in ſpatijs quaquà verſum diffuſum, & exporrectum ſentiatur. At nihil profectò Intelligentiam fugit, ac latet magis, quam corporis ſpatiorumque dimenſionum natura, quàm profectò longo circuitu, ſummoque labore, irrito tamen conatu, præcipua Philoſophorum pars inveſtigare, ac ſedulò explorare aggreſſa eſt. Quid namque in quotidiano ſermone frequentius, quam ſenſilium rerum longitudinem, latitudinem, aut altitudinem metiri, determinare, varijſque nominibus exprimere; Attamen quid obſcurius, & explicatu difficilius, quàm ut ſanum Philoſophum addecet, explanare, quid hujuſcemodi dimenſiones ſint? An cogitatione ſejungi valeant, in ſoliſque corporibus reperiantur? An ſpatijs verè congruant, & aptentur? An à primævo corporis attributo ſejungantur, an potius corpus conſtituant, ut neque ratione à corpore diſſociari valeant?

Quo ſenſibus manifeſtior, eo noſtræ intelligentiæ corporis indoles obſcurior eſt.

Quapropter, ut ſolertiſſimus Auguſtinus Animam incorpoream, & inextenſam eſſe ulterius oſtenderet, aggreditur accuratiſſimè primæva & illuſtriora corporum attributa exponere, quid nempe ſint longitudo, latitudo, altitudo, quas diligentiſſimè diſcutere, exorditur. Idcircò veluti nos admonet, ſumma diligentia expendendas eſſe etiam voces, quibus obvias, ac notas res eſprimere ſolemus, magnum ſanè, ac mirum compendium ut expeditius quæſtiones enodentur, vitetur error, veritas illuceſcat, potiſſimum in accurata nominum expoſitione poſitum eſſe videtur. Ad hoc autem obtinendum primum hìc ſtatuit Auguſtinus, quod quamvis totum Animi conatum adhibeamus, nullo pacto valeamus cogitatione revolvere longitudinem, quæ ſimul latitudinem, & altitudinem non habeat. Attenuemus namque extenuemus imaginationis vi, quantum vires ſuppetunt, exiliſſimum ipſum Araneę filum, ſemper tamen animo occurret illius longitudini conjuncta latitudo, latitudini altitudo adnexa. Quamobrem nulla ſub ſenſum, & imaginationem cadere poteſt longitudo, quæ ſimul lata, & alta animo non offeratur.

Ut Queſtiones expeditius enodentur, accurate primum voces exponantur.

Senſus & Phantaſia nequeunt corporum dimenſiones mutuo ſejungere.

Non uſquequaque abſurda eſt Reſponſio tua.) II.

In hoc loco præclariſſimè docet Auguſtinus, quod etſi ſentiendi, & imaginandi poteſtas corporum, ſpatiorumque dimenſiones ſingulas invicem copulatas ſemper, & neceſſario percipiat, ut nequeat in longitudinem tendere, quin illam identidem latam, profundamque inſpiciat, attamen intelligendi facultas, humana nimirum ratio unam dimenſionem ab altera ſeparat, ac veluti intelligendo ſecernit: Etenim in quo hujuſmodi dimenſiones differant, Mens optimè noſcit. Quod profectò apertiſſimè liquet, ſi advertamus hominis Intellectum Geometriæ ratiocinia exercentem, evidenter oſtendere, atque ſumma claritate intueri quamplures affectiones competentes nudæ longitudini, nempè lineę, quæ nullo pacto latitudini, ſeù ſuperficiei congruunt. Diſcernis

nit igitur, ac verè distinguit longitudiem à latitudine, ut nunc lineas, nunc autem superficies, prorsus à cogitatione eliminato corpore, percipiat Animus. Corpus ergò cum necessariò trinè dimensum sit longitudine videlicet latitudine, & altitudine gaudens, manifestum erit nullam corpoream longitudinem existere, quin pariter lata fuerit, & alta, Cum idcircò Intellectus nudam longitudinem à cæteris dimensionibus dissociatam videt, tunc haud corpus, sed incorporeum potius aliquod agnoscit. Non est igitur nuda longitudo, latitudine carens in corpore, sed tantum in Intellectu efflorescit, non sentitur, sed purè intelligitur.

Nuda longitudo haud sensu, sed sola capitur intelligentiæ.

Elucent igitur in Intellectu juxtà Augustinum res, quæ nullo pacto per sensus, aut imaginationem transierunt; linea namque à superficie, corporeve sejuncta, neque in sensu, neque in Phantasia, sed in sola intelligentia viget; Quamlibet enim lineam sentiamus, quovisque modo imaginemur, latitudine, & altitudine prædita animo occurrit; Quapropter simplex Linea, nuda nempè longitudo adeò sensum, & phantasiam effugit, ac in solo Intellectu regnat, ut omninò corruat illud scholarum principium, Nihil esse in Intellectu, quin prius fuerit in sensu, cui pluribus in locis solidè, atque subtiliter refragatur Augustinus, qui planissimè docet plura in Intelligentia elucere, quæ sensum, & phantasiam omninò latent, quæ nimirum nullo pacto à sensu, & imaginandi potestate percipi valent, quod, Augustino duce, solidè in nostris Investigationibus ostendemus.


Elucent in Intellectu quædam rerum imagines, quæ nullo pacto a sensis, & imaginatione orsum ducunt. Iuxta Augustini doctrinam Falsum est, nihil esse in Intellectu quin prius fuerit in sensu.

III.

Jam Intelligo.

Hic admonemur, nudam longitudinem, quæ tantum intelligentia capitur, Geometrarum videlicet lineam, nullo pacto posse secundum longitudinem secari, ut veluti secundum longitudinem duplex fiat extensio, etenim linea tantum in transversum dividi patitur, secus & lata esset, quod ab intelligibilis lineę natura, ut ostensum est, maximoperè abhorret. Quod, ut clarius percipiatur, sit exempli causa, simplex, & nuda longitudo A. B., jam hæc nequit ab extremitate A. ad alteram extremitatem B. secari, ut secundum longitudinem veluti in duas æquales longitudines A. B., C. D. scindatur; Hac enim ratione non

Simplex longitudo ex una tantum parte scindi potest.



simplex longitudo esset, sed etiam polleret latitudine.

Idcircò tantum secari potest in transversum, nimirum in punctis G. P. O., in tres nimirum, quatuor, pluresque partes, infinita, & inexhausta quadam divisione, nulla enim Intelligentiæ longitudo occurrit, quin infinities sectilis intelligatur.

Longitudo latitudinis expers linea nuncupatur; Haud sensilem sed intelligibilem lineam Geometriæ cultores contemplantur. Geometra corporum dimensio nos sejungens neutiquam Fallitur.

Hæc autem simplex, solique Intelligentiæ patens longitudo, Linea ab Augustino nuncupatur. Huic doctrinæ sanior quidem Geometria assensum præstat, quæ apertè docet, lineam esse longitudinem latitudinisexpertem. Neutiquàm sensilis, sed intelligibilis Linea est, idcircò non quæ sub sensum, & Phantasiam, sed quę sub nudam cadunt intelligentiam, Geometria contemplatur, in qua purissima speculatione minimè fallitur; etenim non docet hæc extrà animi notiones in rerum vniversitate efflorere nudam longitudinem latitudine, & altitudine destitutam, quod veritati sanè non congruit, cum extrà intellectus Ideas in rebus corporeis adeò altera dimensio alteri copuletur, ut nulla sit extrà corpus

pus longitudo, seù nulla reperiatur longitudo, quæ latitudini, & altitudini conjuncta non sit, solida pariter, ac corporea. Tantum Geometriæ cultor statuit, verè Intellectum ea, quæ sensus in corpore confundit, distinguere, ac discernere, ut hic longitudinem a latitudine, & altitudine differre manifestissimè intelligat; Quapropter longitudinem ità nudam, & simplicem intuetur, ac speculatur, ut illam intelligendo à cæteris sejungat dimensionibus, corpore à cogitatione prorsus ablegato. In qua re profecto nulla occurrit deceptio, cum enim de linea recta, aut parabolica, aut spirali, aut hyperbolica, aut Ellyptica, aut tandem circulari aliquam peculiarem, & insignem affectionem Geometriæ facultas ostendit, nudam, ac simplicem quamdam lineam à latitudine, & altitudine omninò separatam tunc cernimus animo, secus demonstratio rueret, ac nullam vim haberet.

Voca quidquid vis.)

Arbitrariæ nominum definitio.

Nominum definitio arbitraria est; Etenim cum nomina, seu voces nullam ex se proportionem habeant cum rebus, animique notionibus, quas ex hominum arbitratu exprimunt, ut possint unam potius, quàm alteram rem indicare; manifestissimè infertur, unicuique licere pro suo placito, significationem vocibus imponere. Idcircò redargui nequit Geometra, cum simplicem longitudinem Lineam appellare, sibi complacet, quod potissimùm præstat, ut obscuritas, atque confusio in sermone vitentur; valdè namque confert ad expeditam quæstionum solutionem, primùm diligenter exponere voces, quibus ratiocinantes utimur, nempè aperire, quibus notionibus, quibusque rebus obstricta sint nomina, quæ in sermone adhibemus, quod cum Matheseos cultores studiosè observaverint ideò ratiocinationum certitudine, perspicuitate, utilitate, longè vulgares Philosophos superarunt, quorum tenebrosa Ars à vocum amphibologia, & confusione quadam potissimùm suas hausit caligines.

Quam turpe rerum scientiam negligere, ut nimium voces excolamus.

In hoc Textu animo diligenter volvatur salutare Augustini monitum (*Semper rerum curam magis, quam verborum te habere delectet*) Utinam tam insigne præceptum corruptus, ac pravus nostræ ætatis Genius magni penderet, & ad usum compararet, profectò haud verborum pompa, inania, & inflata quædam nomina, tanta cura, tantoque temporis dispendio quærerentur, quæ aut nihil significant, aut confusam, & obscuram quamdam tantum continent notionem? sed res potius excolerentur, quarum notitia, nequaquam nominum hominem sapientiorem faciunt. Qui vocibus potissimum studet, haud sapiens esse, sed videri tantum exoptat; frequentissimè enim ventosa vocabula, vocum, non rerum artem colunt, qui haud veritatem inquirunt, sed aures allinire curant, ut audientium animos in sui pertrahant admirationem. Idcircò voces propter res diligamus, res autem propter se ipsas, rebus voces famulentur, non vocibus res inserviant, nam ut res faciliùs detegamus, ac detectæ cæteris aperiantur, sermonis usus fuit nobis à natura præcipuè concessus. Quamobrem pudeat nos contempto fine in mediis acquiescere, res nimirum contemnere, ac negligere, ut stultorum existimationem nobis conciliemus, qui vacuo nominum, ac vocum vento pascuntur.

Voces propter res, res autem propter se ipsas diligamus.

Hoc tandem caput ingeniosè claudit Augustinus, quærens an si Linea

nea ex una, vel utraque parte protrahatur, secundùm extensionem, quam habet, juxtà nempè longitudinem exhauriri adeò valeat, ut ulterius dividi minimè patiatur. Negativè respondet. Nulla enim concipi potest. Linea, quin infinitò porrigi posse intelligatur, semper enim quęvis data linea ulterius protrahi, & distendi potest; Quod Geometrarum petitioni respondet, quamvis nimirùm datam lineam infinitè producere. Hinc nequit humanus Intellectus adeò lineæ finem, ac terminum imponere, ut illam cogitatione aliquandò ulteriùs producere nequeat. Adscribat enim terminum, ac confinia Lineæ, si potest, jam hic terminus punctum erit, in punctum enim linea desinit; attamen utique potest extrà datam lineam punctum aliud concipi? Duobus autem Punctis intellectis confestim ex puncto altero ad alterum lineam, distantiam videlicet secundùm simplicem longitudinem protractam intelligimus, quapropter & ipsa Linea jam terminata ulterius à sua aliqua extremitate produci posse intelligeretur, in quo rerum pugna involuitur, nam linea finem haberet, ut dicitur, & termino unà careret, cum ulteriùs porrigi possit. Nequit igitur concipi Linea adeò suis compræhensa terminis, ut non sit semper ulterioris expensionis capax. Hoc autem non tantùm intelligibili, & incorporeæ lineæ, verum etiam & corporeæ lineæ congruit; Etenim mundanæ extensionis natura talis indolis est, & potestatis, ut limites nullos, nullaque confinia patiatur, sed infinita quadam suarum dimensionum explicatione gaudeat, ut pro re natain nostris Investigationibus demonstrare conabimur.

Quovis linea infinitè porrigi potest.

Mundana ex. tensio termino caret.

CAPVT VII.

TEXTUS.

I. Aug. *Vides ergo etiam nullam figuram posse fieri, si nihil agatur aliud, quàm ut illa linea porrigatur.* Ad. *Quam dicas figuram, nondùm intelligo.* Aug. *Figuras interim voco, cum aliquod spatium lineâ, lineisve concluditur, tanquam si circulum faceres, aut quatuor lineas finibus suis sibimet jungeres, ita ut nullius finis ab alterius copulatione liber esset.* Ad. *Quid dicas figuram, jam me videre arbitror, sed utinam tàm viderem, quò ista tendant, aut quid ex his effecturus sis, ut ego quod de Anima requiro, sciam.* Aug. *Hoc initio te admonui & postulavi, ut patienter ferres aliquantum circuitum nostrum, quod item quæso ut facias.*

II. *Non levis res quæritur, non facilis ad cognoscendum; Nosse enim hoc planè, ac tenere volumus, si fieri potest. Aliud est enim, cum authoritati credimus, aliud cum rationi. Authori-*

thoritati credere magnum compendium est, & nullus labor: Quod si te delectat, poteris multa legere, quæ magni, & divini viri de his rebus necessariò quæ videbant, & salubriter imperitioribus quasi nutu quodam locuti sunt, credique sibi voluerunt ab iis, quorum animis, vel tardioribus, vel implicatioribus alia salus esse non posset. II

Tales enim homines, quorum profectò maxima multitudo est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillimè decipiuntur, & in varias noxasque opiniones ita labuntur, ut emergere indè, ac liberari, aut nunquam, aut ægerrimè queant. III.

His ergò utilissimum est excellentissimæ authoritati credere, & secundùm hoc agere vitam, quod si tutius putas non solum nihil resisto, sed etiam multum approbo. IV.

Si autem cupiditatem istam refrenare non potes, quæ tibi persuasisti ratione pervenire ad veritatem, multi, & longiores circuitus tibi tolerandi sunt, ut non ratio te adducat. V.

Nisi ea quæ sola ratio dicenda est, ideſt vera ratio, & non solùm vera, sed ita certa, & ab omni similitudine falsitatis aliena, si tamen ullo modo hæc ab homine inveniri potest, ut nullæ disputationes falsæ, aut verisimiles ab ea te possint traducere. Ad. *Nihil jam præproperè desiderabo, agat, ac ducat Ratio, quò vult, dummodò perducat.* VI.

EXPOSITIO.

Vides ergò etiam nullam figuram fieri posse.) Hic dubitationem proponit Augustinus, an una Linea satis sit ad corporum figuras procreandas. Ut nodus solvatur, primò quæritur, quid sit figura, & statuitur, figuram esse spatium lineâ, vel lineis comprehensum. Lineâ terminatur spatium, cum curva quadam lineâ in se ipsam circumflexa clauditur, ut Circulus, definit verò spatium in plures lineas, cum pluribus comprehenditur lineis, quæ invicem suis finibus, punctis nempè, in quæ desinunt, copulantur, ut Triangulum, in quo tres rectæ lineæ ita extremis punctis conjunguntur, ut tres absolvant angulos; Hinc & si Linea curva in se ipsam circumflexa claudere spatium valeat, atque adeò figuram progignere, attamen hujusmodi vis minimè uni rectæ conceditur, quæ nisi aliis rectis lineis associetur, nulla ratione spatium comprehendere potest. Quapropter nisi plures rectæ lineæ adsint, nulla sanè figura in lucem emerget. I

Figura aut curva, aut rectis lineis clauditur.

Non levis res quæritur non facilis ad cognoscendum.

Quid quæso investigatu gravius, majorisque momenti, quam Animæ nostræ natura? cujus causa vel solius, vel maximè vera, si qua est Religio, constituta est, ut fatetur Augustinus Lib. de utilitate credendi Cap. 7. Attamen si non tantum omnis Religio, verum & ipsa vera, summeque divina Religio, quæ in Orthodoxa Ecclesia viget, ab immortali, & sempiterna Animæ natura, veluti ex fonte proficiscitur, quoddam magnum oportet Animam esse, cujus gratia est, quod maximum, rerumque summa apud nos est, nempè Religio.

Causa Religionis rationalis Animæ.

Quamvis tamen gravissima res sit Anima, nihilominus valdè arduum, ac operosum est, illam fortunato eventu investigare, quam quidam carnales homines, quid ipsa sit, minimè detegere curant, aliqui verò non ità quærunt, ut eam invenire valeant; Animam namque inquirunt non intus sed de foris, haud ubi est, sed inter extranea corpora, ubi verè non elucet animus, qui si a se ipso recesserit, se ipsum nunquam inspiciet. Quæ distorta, ac prava Animæ indolem investigandi ratio adeò apud homines invaluit, ut non tantum difficilè, verum etiam veluti impossibile, sinceram humanæ mentis notionem assequi posse, videatur. Inquam rem animadvertens, arduam atque multum operosam animæ inquisitionem appellat Augustinus, qui tamen apertè facillimam esse docet, si corporeis imaginibus rejectis, Animus a phantasmatibus sejunctus in se recedens, se ipsum in semet ipso intueatur.

Perperam non pauci Animæ naturam investigant.

Benè quærentibus facile indolem animæ innotescit.

Idcircò difficilis est anima ad cognoscendum, nisi ut oportet, investigetur. Etenim si Animus se ipsum in semet ipso prescrutetur, nullo negotio sui naturam deteget, quod tamen nunquam assequetur, si se ipsum extrà se ipsum in extraneis rebus explorare studebit.

Nisi Animus ad se redeat se ipsum intuerì nequit.

Duplici tamen medio uti possumus ad Animæ naturam aperiendam, auctoritate nimirum, & ratione, attamen ut hic ab Augustino admonemur, aliud est cum auctoritati credimus, aliud cum rationi. Duplex enim via nobis, Augustino docente, ad veritatem rimandam aperitur, auctoritatis altera, altera Rationis: Vtrique tamen credere dicimur; Credimus auctoritati, cum ob solum dicentis testimonium rebus assentimur, credimus autem Rationi, cum intelligendo assensum præstamus. Idcircò non omnis qui credit, intelligit, omnis autem, qui intelligit, credit, quod fusius in nostris Investigationibus prosequemur. Auctoritati tamen credere magnum compendium est, & nullus labor; Non omnis tamen auctoritas firmissimè sequenda est, sed tantum ea, quæ divina est, cui se primum totum obstringere ad Rationem illustrandam, ac perficiendam per brevis, ac regia quædam via est, idcirco præclarissimè Augustinus Libro de Utilitate Credendi Cap. primo, acriter increpat Manichæos temerè, ac sacrilegè invehentes in eos qui catholicæ fidei auctoritatem sequuntur, antequam ratione, id quod credunt, perlustraverint, qui nimirum, humano posthabito ratiocinio, ad veritatem intuendam credendo præmuniuntur, ac illuminaturo præparantur Deo: Frequentissimè enim tutius, ac salubrius est auctoritate potius, quam Ratione ad verum inspiciendum præparari, quod mirum in modum tardioribus, & implicatioribus hominibus conferre videtur. Etenim, ut docet Augustinus, ignaris, stultisque hominibus valdè salutare, ac tutum est, ut rationis via posthabita, sanctissimorum Patrum doctrinam,

Animæ natura aut ratione aut authoritate nobis manifestatur.

Tardioribus hominibus magis prodest authoritas, quam Ratio.

& au-

& auctoritatem sequantur, qui Summi Numinis afflatù res divinas in suis codicibus explicarunt, hac enim ratione optimè propriæ saluti consulent; qui enim tardo, & hæbeti ingenio laborat, incapax est attentionis, atque operosæ investigationis ferre laborem, qui verò præjudicatis vulgi opinionibus irretitum, ac ob tumultuarium, & tenebricosum quoddam spuriæ eruditionis genus veluti implicatum ingenium habet, non minus, ac qui prorsus desipiunt, per rationis viam ad verum evelandum nunquam perveniet, imò difficilior est veritatis inquisitio implicatioribus ingeniis, quam tardioribus, nam magis veritatis inventioni, & investigationi nimius motus, & impetus exuberantis, ac implicatæ sophistarum doctrinæ officit, quam lentus tardioris, ac pigrescentis ingenii ad verum explorandum accessus.

Veritatis inquisitio difficilior ac periculosior implicatioribus quam tardioribus ingeniis est.

Tales homines si velint.)

III.

Qui summa mentis perspicacia, & acuminè neutiquam pollent, sed languido, aut implicato ingenio laborant, cum ad verum investigandum haud auctoritatem, sed rationem adhibent, facillimè simulata quadam veritatis imagine in errorem impelluntur; nam facili negotio verum cum verisimili, scientiam cum opinione confundunt, ut sæpè haud veritatem, sed illius tantùm larvam, ac umbram exosculentur. Idcircò in mortiferas, ac noxias opiniones labuntur, dum præcipiti judicio ob quamdam veluti invincibilem inconsiderantiam à fucata quadam veritatis similitudine falli patiuntur.

Quam facilè veritatis imago nos decipiat.

Quid ergo utilissimum est excellentissimè auctoritati credere)

IV.

Non cuilibet, sed insignissimæ auctoritati tantum fides præstanda est; Insignior autem auctoritas est; aut quæ firma, ac summè vera est, nempè Divina, aut non à corrupto, & ingenio luxuriante scriptore, sed à sanctissimis, & divinis viris orta est, quorum castissimum Testimonium, ut morum, ac vivendi regulam sibi comparare non tantùm insciis, verum etiam & ipsis eruditis hominibus maximè utile, ac salubre esse, demonstrat Augustinus Lib. de Ord. Cap. IX. ad discendum, inquit, dupliciter ducimur Auctoritate, atque Ratione, tempore auctoritas, re autem Ratio prior est: Aliud est enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur; Itaque quamquam Bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior, ratio verò aptior eruditis, tamen, quia nullus hominum nisi ex imperito peritus fit, nullus autem imperitus novit, qualem se debeat præbere docentibus, & quali vita esse docilis possit; evenit, ut omnibus bona magna, & occulta discere cupientibus, non aperiat, nisi Auctoritas januam, quam quisque ingressus sine ulla dubitatione vitæ optimè præcepta sectatur.

Non cuivis sed insignissime tantum Authoritati prestemus assensum.

Fide & authoritate ad Scientiam & rationem præparemur.

Si autem Cupiditatem istam.)

V.

Tanta siquidem in nobis est sciendi cupiditas, tamque in nobis abditas rerum causas investigandi validus appetitus, ut difficilè, aut nulla ratione frænari, ac temperari valeat. Infinitò namque atque immenso veluti furore ad verum notitiâ amplectendum ducimur. Hinc cum sciendi desiderium infinitum in nobis sit, dum verum detegere exoptamus, sanè immensi sumus. Immensam autem, atque interminatam in nobis sciendi cupiditatem esse, quis dubitat? Etenim haud veritates aliquas peculiares, seu limitatum Verum investigare appetimus, sed Verum ip-

Sciendi appetitus immensus.

sum perfectissimum sine ulla limitatione, ac restrictione intueri, ingenito quodam desiderio exardescimus, quod maximè innotescit, si advertamus nullam specialem veritatem, aut ex Geometria, aut ex Arithmetica, aut qua vis alia humana disciplina depromptam sciendi sitim in nobis explere, ut ulterius non sitiamus, ad alias, altioresque veritates perscrutandas, ardentissima quadam cupiditate contendentes. Quapropter infinita, ac propè divina mens nostra est, dum totum, ac infinitum verum intelligere appetit, & anhelat. Idcircò veluti ad id quod fieri nequit, atque impossibile est, voluntate, & amore tendimus. Impossibile namque est finitam Mentem, infinitum verum, intelligentia capere, cvm igitur humana mens omne verum, quidquid nempè citrà limitationem intelligi potest, nulla ratione compræhendere valeat, secus illimitata, & infinita foret, profectò ad impossibile tendit, totum & infinitum verum notitia assequi exoptans. Non ideò tamen irritus, rationique dissentaneus hujus humanæ mentis inexplebilis, ac interminatus verum venandi appetitus dicendus est, cum ad terminum atque metam, ad quam sua tendunt desideria, nunquam pervenire possit; etenim quamvis verum infinitum unico mentis obtutu intueri non possimus, id tamen successivè, ac paulatim adeò inspicere, & assequi valemus, ut ad notitiam nostram infinitè augendam, ac summo vero approximandam, perpetuò aspiremus.

Humanæ mens ad infinitum utrum incessanter aspirat.

Mentis humanæ ad infinitum verum appetitus haud irritus & rationi dissentaneus est.

Humana cognitio infinite augeri potest.

Attamen & si nullos in nobis limites veritatis investigandæ cupiditas habet, nihilominus noster intelligendi modus adeò tenuis est, ac imbecillis, ut longissimi circuitus, laboriosæ nimirum conclusionum series tolerandæ sint, ut veritatem prospero successu perscrutemur. Summoperè namque nos latet veritas, quod potissimùm contingit, quia humanæ mentis acies non adeò valida est ac robusta, ut purissimum veritatis lumen ferre valeat, hujusmodi tamen veritatis radios tandem interiori oculo teneret, ac toleraret, si ei mendax sensus, ac dolosa phantasia densissimas errorum tenebras non offunderet, quas summoperè tumultuantium affectuum caligo auget. Quamobrem si sensus, imaginatio, ac perturbati affectus silerent, ut tantùm purissima Rationis vox audiretur, & si imbecillis, ac valde elumbis humana est Intelligentia, attamen aut rarò decipæretur, aut sanè quantum fieri potest ad verum intelligendum præpararetur. Adest sanè in nobis verum investigandi virtus, at sæpissimè modus, quo verum invenire oportet, infeliciter delitescit. Hinc præclarè Augustinus hìc non tantùm non repræhendit, imò mirum in modum extollit, ac laudat eos, qui ingenito sciendi furore perciti, ratione verum explorare student, cum veritas a nobis inveniri valeat, si acerrima quædam animi attentio accesserit; talisque indolis sit humana Intelligentia, ut illam veritas non omninò lateat, imò in ipsa splendissimè habitet, atque regnet. Quod incomparabilis noster Doctor exponit Lib. de Utilitate Credendi, sæpe intuens, inquit, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tàm perspicacem non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærendi modus lateret.

Quid maximè veritatis inventioni obsit aperitur.

Sileant sensus & imaginatio, ut interiorem Veritatis vocem audiamus.

Humanam intelligentiam minime latet veritas.

Nisi ea, quæ sola Ratio dicenda est.)

VI. Nihil in hominum ore Ratione frequentius. Sæpissimè enim de Ratione loquimur, ad Rationis Tribunal, cum disputamus, recurrimus, Ra-

Rationem, ut noſtrorum judiciorum normam, primamque regulam veneramur, ut nihil apud nos abſurdius atque monſtroſius, quàm rationi apertè repugnare, rationi non ſuffragari, haud cedere, ſed adverſari. Quilibet enim dum propriam ſuſtinet ſententiam, rationem magiſtram habere contendit, nec ob aliam cauſam alteri contradicere audet, niſi quia rationem ab alio oppugnari exiſtimat, & quod maximè deplorandum eſt, cum larvata quadam veritatis imagine ducti in errorem incidimus, a ratione duci, ac ferri putamus, neque opinaremur, aut falſum pronunciaremus, niſi rationem nobis favere, arbitraremur.

Singuli ferè homines de ratione loquuntur, quid autem ratio verè ſit, panciſſimi intelligunt.

Quamvis tamen homines frequentiſſimè de ratione ſermonem habeant, ſinceram, ac genuinam rationis indolem, ac naturam non adeò intelligunt, ut illam ſæpiſſimè non deturpent, atque præpoſterè concipiant; Ita enim veram cum falſa ratione homines, turbato ordine, atque ſacrilega, & perverſa quadam confuſione miſcuerunt, ut aliqui omnia ſive ad contemplationem veritatis, ſive ad vitæ uſum ſpectantia, dummodo aliqua veriſimilitudine, & fraudolenta probabilitate fulciantur, rationabilia, ratione nempè prælucente, inveſtigata, ac peracta affirmare non erubuerint, apud quos & ipſum mendacium cum ſub veriſimilitudinis imagine perſonatum, veritatis ſpeciem præſefert, rationabile, juxta videlicem rationem excogitatum eſſe videatur. Qui error tantus eſt, tamque pernicioſa, ac virulenta hujuſmodi rerum confuſio, ut vix falſum à vero, honeſtum à turpi cum maxima naturalis, & moralis ſcientiæ jactura diſcerni valeat. Vt autem tantùm vitemus malum, accuratiſſimo, ſeveroque examine adlaborandum eſt, ut veram, ac legitimam à ſpuria, & falſa ratione ſecernamus, ne falſæ, aut veriſimiles diſputationes à caſtiſſima, & firma ratione nos traducant. Etenim non ſolùm ab apertè falſis, verum etiam à veriſimili cavendum eſſe, admonet Auguſtinus, imò magis veriſimilia quàm apertè falſa metuere debemus; nam rarò, aut nunquàm falſum, cùm manifeſtum eſt, nos ad aſſenſum trahit, frequentiſſimè verò nos ſeducit, cum in veriſimili, ac larvata quadam ratione ſubdolè deliteſcit. Quid autem ſit ratio falſa, aut incerta, quid vera, & certa, & quo pacto ad errorem vitandum diſcerni valeant, in noſtris inveſtigationibus fuſius aperiemus.

Cavendum eſt ne veram cum falſa ratione confundamus.

CAPVT VIII.

TEXTUS.

I. AUg. *Deus hoc faciet, qui aut de ſolis talibus rebus, aut certè de his maximè deprecandus eſt. Sed ad rem, quam inſtitueram redeamus. Nam ſi & quid ſit linea, & quid ſit figura jam tibi notum eſt, dic quod abs te quæro, ideſt, utrùm putes ullam figuram fieri poſſe, ſi linea ex utraque parte, aut ex altera per infinitum ducatur.* Ad. *Nullo modo fieri id poſſe confirmo.* Aug. *Quid igitur agendum eſt, ut figuram faciamus?* Ad. *Quid niſi, ut illa linea infinita non ſit & ducatur in circulum, ut ex alia parte ſe contingat? Non enim video quomodo aliter poſsit ex una linea concludi aliquod ſpatium, quod niſi fiat ſecundum tuam deſcriptionem figura non erit.*

II. Aug. *Quid ſi rectis lineis figuram facere velim, poteſt fieri, ut de una linea fiat, an non poteſt?* Ad. *Nullo modo.* Aug. *Quid duabus?* Ad. *Nec hoc quidem.* Aug. *Quid tribus?* Ad. *Video poſſe. An ſiulla tibi adverſetur ratio, de hac ſententia devocabit?* Ad. *Planè ſi quis mihi hoc falſum eſſe monſtraverit, nihil erit quod me ſcire poſſe confidam.*

III. Aug. *Nunc ergò illud reſponde, quomodò tribus lineis figuram feceris.* Ad. *Cum ſe finibus jungunt.* Aug. *Quid ubi ſe jungunt, non ne tibi videtur angulus fieri?* Ad. *Ita eſt.* Aug. *Quot ergò angulis hæc figura conſtat?* Ad. *Totidem quot lineis.* Aug. *Quid ipſas lineas pares conſtituis an impares?* Ad. *Pares.* Aug. *Quid? Anguli tantundem omnes patent, an eſt alius alio contractior, vel apertior?* Ad. *Etiam ipſos pares eſſe video.* Aug. *Poteſt nè fieri, ut in figura, quæ tribus rectis paribus lineis facta ſit, impares anguli ſint, an non poteſt?* Ad. *Nullo prorſus modo.* Aug. *Quid ſi rectis lineis, tribus, ſed imparibus figura conſtet, poſſunt etiam in iſta pares eſſe anguli, an aliud intelligis?* Ad. *Omninò non poſſunt.*

EX-

EXPOSITIO II

Dic quod abs te quæro.

I.

Hic ſermo eſt de Linea recta, quæ ſummo geometra Archimede docente, breviſſima eſt omnium Linearum eoſdem terminos habentium, ex qua aut in plura ſegmenta diviſa, aut in ſe ipſam circumflexa, rectilineę, circulareſque figuræ procreantur. Hæc autem Recta linea, ſi ſecundum dimenſionem, quam habet, nempè longitudinem infinitò protrahatur, cum nullum claudat ſpatium, nullam ſanè progignet figuram, quæ ſpatium quaquaverſum terminatum eſt. Idcirco ut clarius Auguſtini doctrinam intelligamus, triplicem motum in linea recta ſecernere, & imaginari liceat; Primum motum appello motum longitudinis, cum nimirum linea in longum excurrit ſecundum extenſionem, qua pollet, cujus motionis ope haud figuram, ſed lineam facit: Alterum dicimus motum Rotundum, cum videlicet Linea recta altera ſui extremitate quieſcente, ita circa illam altera extremitate ſemovente revoluatur, ut tandem ad primum ſui veſtigium pertingens, planum ſpatium claudat, quæ plana ſuperficies hoc motu rotationis producta, Circulus appellatur. Neceſſe autem eſt Lineam rectam, quæ circum agitur, non eſſe infinitam, ſecus nullus circulus propigneretur, etenim Linea infinita cum termino careat, nunquam claudere poteſt circulare ſpatium, ad quod perficiendum extrema requiritur circumferentia, inquam circularis area deſinit, idcircò ut ex lineę motu profluat circulus, opus eſt, ut linea recta ſit finita, ſuoſque limites habeat.

Linea recta ſi ſi infenite protracta, nullam tamen procreat figuram.

Tripliciter rectam lineam moveri poſſe intelligimus.

Ex recta linea tantum finita circulus progigni valet.

Deinde rectę lineę motum transverſalem, ſeu lateralem nuncupamus, cum hæc non movetur ſecundum longitudinem, neque rotunda motione, ſed in tranſverſum ad acquirendam rectam altitudinem, qua caret, ſeu ut veluti per aliam rectam lineam perpendicularem ſemovens in latitudinem tendat, ut fiat ſuperficies. Cum autem hoc pacto finita, atque recta linea cietur, ſingulas planas figuras quatuor lateribus clauſas generat, ſi citrà ſui decrementum in rectam altitudinem aſſurgat, quemadmodum dum uniformi quodam motu decreſcendo excurrit, cuncta Triangulorum genera parit. Quapropter dum recta Linea motu longitudinis progreditur, ſe ipſam tantum auget, in rotundum fluens procreat circulum, qui cum ſe habeat, ut ingenioſe admonuit Archimedes, veluti Polygonum infinitorum laterum, in quo nempè infinita planarum figurarum genera, quæ rectilineę, ac multilaterę à Geometris appellari ſolent, exactiſſimè citrà confuſionem continentur; iure meritò linea recta dum circumacta rotunda motione circulare ſpatium efficit, dici poteſt procreatrix omnium planarum figurarum, non tantum quæ rectis lineis clauduntur, verum etiam, quæ curvis lineis terminantur, ut ſunt Parabola, Hyperbola, & Ellypſis, quę ex Conici corporis ſectione ortum ducunt, quæ conicę figuræ non minus quam triangula, aut quadrata in circuli poteſtate continentur, quod ſi Analyticę, ſeu Algebraicæ Artis cultores diligenter animadverterent, auxiliante circulo, ſolidarum æquationum labore poſthabito, expeditius innumera problemata ſolverent.

Qua ratione ex lineę rectę motu circulus, & cetere plane figure ortum ducant.

Circulus infinitis veluti lateribus conſtat

In circulo omnes plane figure quodammodo continentur.

Solo circulo quevis ſolida problemata analytico accedente calculo ſolvi poſſunt.

Quid

Quid si rectis lineis figuram facere velis.)

II. Ut Geometriæ figuræ absolvantur, ut jam demonstrdaimus, non satis est una recta Linea, neque duæ sufficiunt, etenim ȳ A uas rectas lineas jungas, ut non indirectum jaceant, in eodem tamen puncto se tangant, neutiquam figuram, sed angulum efformabunt. Attamen si tres Rectæ Lineæ suis extremitatibus invicem copulentur, confestim emerget triangulum, quod nihil aliud est, quam plana figura tribus lineis comprehensa, nam dum duæ lineæ rectæ non in directum jacentes, se in eodem puncto tangunt, oritur angulus; attamen si tertia quædam accedat linea, qua claudatur spatium, dum hæc utraque sui extremitate, aliarum extremitatibus adnectitur, duos alios gignit angulos, undè in lucem prodit triangulum, quod omnium planarum figurarum, quæ rectis lineis comprehenduntur, simplicissimum est, nequit enim intelligi figura plana rectilinea, quæ paucioribus quam tribus rectis lineis circumscribatur, etenim nisi tres rectæ lineæ adsint, nulla figura rectilinea cogitatione revolvi potest.

Prima figura plana, quæ ex rectarum linearum contactu emergit Triangulum est.

Triangulum rectilineum tribus lineis comprehenditur.

Hæc autem tanta claritate intuetur Augustinus, ut nullo pacto posse incertitudinis, & erroris redargui, affirmare non vereatur, in quo loco Mathematicarum Propositionum, certitudinem, ac firmitatem exagerare videtur, Mathesis enim certitudine, & evidentia cæteras disciplinas antecellit, idcirco per excellentiam apud Græcos idem sonat mathesis, ac doctrina, quasi sola ipsa ob summam suorum principiorum evidentiam, ac soliditatem doceret. Quid enim certius, atque manifestius Geometricis, atque Arithmeticis Elementis? quæ ad figurarum, numerorumque affectiones spectant, quæ si in cubium verti possent, profectò omnis claudicaret, ac rueret scientia, nihilque firmiter à nobis posset intelligi, quod est omninò a Veritate alienum.

Mathesis certitudine & evidentia singulas humanas artes antecellit.

Nihil mathematicis veritatibus apertius.

Nunc ergò illud responde.)

III. Ut suprà explanavimus, cum triangulum tribus rectis lineis suis extremitatibus ac finibus se mutuò tangentibus comprehendatur, necessariò sequitur tribus lateribus, tribusque angulis constare. Jam si singulæ rectæ lineæ, quibus triangularis superficies clauditur, sint invicem æquales, illicò emerget Triangulum quod latinè æquilaterum, græcè Hisopleuron appellatur, in quo & singulos angulos mutuò æquari necesse est. Etenim ut Geometræ manifestissimè ostendunt, in triangulo æquilatero singuli anguli qui æqualibus lateribus objiciuntur, sunt inter se æquales, ut laterum æqualitas necessariò angulorum æqualitatem trahat. Ad quod intelligendum sufficiunt attenta animi perceptio, & accurata quædam vocum expositio, quapropter sequentem propositionem firmat Augustinus, videlicet, si singula trianguli latera sunt æqualia, & æquales singulos angulos esse, oportere.

In triangulo equilatero non modo latera, verum & singuli anguli invicem æquantur.

Si in Triangulo latera sunt æqualia, & mutuo equati angulos oportet.

C A-

CAPVT IX.

TEXTUS.

SEd dic quæso, quænam tibi figura melior videatur, & pulchrior? Eanè quæ paribus, an quæ imparibus lineis conſtat. Ad. *Quis dubitat eſſe meliorem in qua æqualitas prævalet?* Aug. *Ergo inæqualitati æqualitatem præponis.* Ad. *Neſcio utrum quiſpiam non præponat.* I.

Aug. *Vide nunc in figura quæ tribus angulis paribus perfecta eſt, quid in ea ſit angulo contrarium, id eſt, ex altera parte contrapoſitum, utrum linea, an angulus.* Ad. *Lineam video.* Aug. *Quid ergo ſi & angulus angulo, & linea lineæ contraria non ſit, non nè fateris, æqualitatem eſſe potiorem in ea figura in qua id accidit?* Ad. *Fateor quidem, ſed quemadmodùm id fiat tribus lineis, omninò non video.* Aug. *Quid quatuor lineis? poteſt ne hoc fieri?* Ad. *Prorsùs poteſt.* Aug. *Melior eſt igitur figura, quæ quatuor lineis rectis paribus, quam quæ tribus conſtat.* Adeod. *Melior certè, ſiquidem magis in ea æqualitas valeat.* II.

Aug. *Quid ergò iſtam, quæ quatuor rectis paribus lineis conſtat, cenſes ne poſſe etiam ità fieri, ut non anguli omnes in ea pares ſint, an non putas?* Ad. *Video poſſe.* Aug. *Quonam modo?* Ad. *Si duo contractiores, duo apertiores ſint.* Aug. *Vides nè etiam quemadmodum & ambo contractiores, & ambo apertiores ſibi contrarii ſint?* Ad. *Ac veriſsimè, atque apertiſsimè.* III.

Aug. *Servatam igitur, & hic quanta ſervari potuit cernis æqualitatem: Cernis enim profectò fieri non poſſe, ut cum quatuor paribus lineis figura perficitur, non aut omnes, aut certè, vel bini anguli pares ſint, quoque tamen paria ſunt ſibi contrario reſpondere.* Ad. *Cerno, & firmiſsimè teneo.* IV.

Aug. *Nihil ne te movet etiam in his rebus tanta, & tam inconcuſſa quædam juſtitia?* Ad. *Quonam modo?* Aug. *Quia nihil ut arbitror, dicimus eſſe juſtitiam niſi æquitatem. Æquitas autem ab æqualitate quadam videtur appellata, ſed quæ in hac virtute æquitas, niſi, ut ſua cuique tribuantur? Porrò ſua cuique niſi quadam diſtinctione tribui non poſſunt. An aliter putas?* Ad. *Manifeſtum eſt, & prorſus aſſentior.* V.

Aug. *Quid distinctionem? Arbitraris ne esse ullam, si omnia paria sint, ut nihil omninò inter se differant.* Ad. *Nullo modo.* Aug. *Ergò justitia servari non potest nisi in rebus, in quibus servatur, sit quædam, ut ita dicam, imparilitas, & dissimilitudo,* Ad. *Intelligo.* Aug. *Cum igitur fateamur istas figuras, de quibus agimus inter se esse dissimiles. illam scilicet, quæ tribus, & hanc quæ quatuor angulis constat, cum ambæ paribus lineis fiant, nonnè videtur tibi quædam retenta justitia, ut illa, quæ habere non potest parilitatem contrariorum, inconcussam teneat angulorum æqualitatem, in hoc vero, quia tanta est contrariorum congruentia, illa lex angulorum admittat nonnullam inæqualitatem? Hoc ergò cum me multum moverit, quærendum ahs te visum est, quonam modo ista veritate æquitate, æqualitate, delectere.* Ad. *Jam cerno quid dicas, & non mediocriter admiror.* Aug. *Age num, quia inæqualitati æqualitatem jure præponis, nec quisquam omninò est, ut opinor, humano sensu præditus, cui non id videatur, quæramus, si placet, figuram in qua summa æqualitas inveniri queat, quæcumque enim erit, cæteris sine dubitatione præferetur.*

EXPOSITIO.


Eo perfectior est Figuræ quò majori pollet æqualitate. Triangulum æquilaterum cæteris Triangulorum speciebus excellit.

Ed dic quæso, &c.) Hic ingeniosè quæritur inter Triangulorum, aliarumque figurarum species, quænam figura sit altera melior, ac pulchrior; Ea nè, quæ æqualibus lateribus, an quæ inæqualibus clauditur, ac terminatur? Et citrà dubitationem respondetur, meliorem & perfectiorem eam esse in qua magis viget, ac prævalet æqualitas. Idcircò Triangulorum præstantissimum est Triangulum æquilaterum, in quo, & latera, & anguli invicem æquantur. Deindè succedit Triangulum Isosceles, seù æquicrure, duobus æqualibus lateribus tantùm gaudens, quod melius est Triangulo scaleno, in quo nulla laterum, & angulorum æqualitas elucet. Major autem, aut minor figurarum perfectio a majori, aut minori æqualitate pendet. Equalitas enim est veluti vis, ac robur non tantum figurarum, verùm etiam & totius rerum Vniversitatis, quæ æqualitatis potestate, ac virtute regitur, ac sustinetur. De qua re fusè agemus in nostra dissertatione de summa Aequalitatis virtute. Hinc optimè docet Augustinus, æqualitatem anteponendam esse inæqualitati, quæ defectus quidam est, atque deflexio à perfectione & natura æqualitatis.

Universi Pulchritudo ab æqualitate pendet.

Aug. Vide nunc in figura &c.) In Triangulo H ita posito, & vides nagu-

anguli non opponuntur angulis, aut lateribus latera, sed oppositа ratione, nam angulus A. B. C. opponitur lateri A. C. & latus B. C. opponitur non lateri, sed angulo B. A. C, & sic de aliis. Idcircò angulus lateri, latus angulo dissimili, & inæquali quadam ratione respondet, in quo sanè species quædam inæqualitatis, ac dissimilitudinis involuitur. Quapropter indubitatum est, magis elucere æqualitatem, atque rerum congruentiam in figura ubi latus lateri, angulus angulo respondet. Etenim angulorum, & laterum similis, ac perfecta corrispondentia æqualitatem quamdam involuit. Hec autem major æqualitas, quæ abest à triangulo, in figura quadrilatera summoperè floret, nam ut patet, in expositо quadrilatero P. latus A B opponitur lateri D. C. latus B. C. respondet lateri A. D. angulus vero B angulo D. angulus A angulo C. ex diametro opponitur.



In Triangulo latus angulo, hic lateri opponitur.


Quedam inequalitatis ratio viget in triangulis, que minime in figura regnat Quadrilatera.

In Plano quatuor lineis comprehenso Angulus, angulo, lateri latus respondet.

Jam si figura Quadrilatera æqualibus lateribus comprehensa triangulo æquilatero comparetur, profectò insignior, ac perfectior eo dicenda est ob majorem æqualitatem, cujus particeps est. Siquidem figura quatuor æqualibus lineis circumscripta & laterum æqualitatem, & æqualem, ut ita dicam corrispondentiam habet contrariorum, laterum nimirum, & angulorum, qua æqualitate caret Triangulum æquilaterum; in quo tametsi latera sint æqualia, contraria tamen non æqualiter sibi respondent, ut dictum est.

Qvadrilaterи equilaterum excellentius est triangulo.

Aug. Quid ergò istam &c.) Figura quadrilatera etiam si constet quatuor latetibus æqualibus non ideò necessum est, ut etiam singuli ejus anguli invicem æquentur. Nam acceptis quatuor rectis lineis æqualibus, potest ex illis pro arbitrio efformari Quadratum, aut Rhombus: emergit quadratum, si adeò invicem suis finibus copulentur, ut singuli anguli sint recti, nimirum ex lineis, quæ mutuò ad perpendiculum cadunt efformati; si verò ità lineę jungantur, ut nullus angulus sit rectus, sed duo acuti, duo verò obtusi, qui invicem opponantur, tunc oritur Rhombus, ut vides in sequenti Quadrilatero P, cujus singula latera A. B. B. C. C. D. D. A. sunt invicem æqualia, anguli verò oppositi A. & C. angustiores, sive acuti, B. & D. apertiores, sive obtusi. Hi enim anguli quamvis non omnes invicem æquentur, oppositi tamen anguli sunt æquales, angulus scilicet acutus A. æquatur angulo acuto C, obtusus verò D. æqualis est oppositо, & obtusо B. Quapropter planè liquet ex eo quod ad Quadrilaterum constituendum quatuor rectę lineę invicem jungantur, non oportere etiam, & singulos angulos æquales esse, tantum opus est, ut anguli qui opponuntur, mutuò æquentur. Idcircò omnium laterum æqualitas in Quadrilatero non trahit secum necessario æqualitatem angulorum, ut patet in Rhombo; secus verò in Triangulo æquilatero, ubi laterum æqualitas summa quadam necessitatè æqualitati angulorum adnectitur, ut intelligi nequeat Triangulum æquilaterum, quin tribus æqualibus angulis constare pariter concipiatur.



In quadrilatero ex laterum equalitate non arguitur necessario singulorum angulorum equalitas.

Qua ratione Quadratum à Rhombo fecer. natur.

Aug. *Servatum igitur &c.)*

Plurimum in equilatero Triangulo & Rhombo viget æqualitas.

In Triangulo æquilatero, & figura quatuor lineis rectis æqualibus circumscripta, elucet tota æqualitas, cuius utraque dissimilis figura capax est. Etenim ex hoc, quod figura plana tribus æqualibus lateribus comprehendatur, necessario oritur, ut in tres æquales angulos idemdem desinat, ea tamen lege, ut non angulus angulo, aut latus lateri, sed inæqualitate, & dissimilitudine quadam angulus lateri, latus angulo opponantur. In figura vero Quadrilatera, & æquilatera, ut se habet Rhombus, ex eo quod singula latera sint invicem æqualia, necessariò sequitur, angulos oppositos invicem æquari, non autem oportet, ut singuli mutuò æquentur, sed opus est, ut æqualiter, & conformiter, si fas est dicere, anguli angulis, latera lateribus respondeant.

Aug. *Nihil nè te movet &c.)*

In Geometricis figuris quedam Justitiæ equalitas effulget.

Præclarè hic admonet Augustinus inconcussam quamdam Iustitiam in expositis figuris Rhombo scilicet, & Triangulo æquilatero effulgere. Justitia enim nihil aliud est, quam æquitas, hæc autem ipsamet æqualitas est, in cujus natura sita est integra Iustitiæ perfectio. Nam Justitia Virtus est, qua cuique rei, quod suum est, tribuitur, quod profectò absolvi non potest, nisi duo simul eluceant, æqualitas nempè, & distinctio, seù dissimilitudo, nisi enim res diversæ, & dissimiles sint, mutuam æqualitatem servare non possunt, quæ quodammodo inæqualitati rerum, nempè distinctioni, & dissimilitudini admiscetur. Quod evidenter innotescit in expositio exemplo. Nam ut vidimus in Rhombo, æqualitas singulorum laterum, non trahit secum singulorum angulorum æqualitatem, sed tantum eorum, qui invicem opponuntur. Attamen necessariò adnectitur cum æquali, & simili corrispondentia contrariorum; Siquidem ut ostensum est in Rhombo, angulus angulo, latus lateri respondet. In Triangulo verò æquilatero adeò potens est laterum æqualitas, ut etiam, & singuli anguli eis oppositi æquales fieri cogantur; huic tamen pulcherrimæ æqualitati inæqualis, ac dissimilis contrariorum habitudo & correspondentia copulatur. Jam Rhombum, & Triangulum æquilaterum invicem comparemus, sanè distinctio ac dissimilitudo in his figuris continetur; Nam Rhombus quatuor rectis lineis æqualibus, tribus verò tantum triangulum æquilaterum comprehenditur: En dissimilitudo, & distinctio. Quià verò in utroque laterum regnat æqualitas, æquales, ac similes invicem dici possunt, hac lege tamen, ut ex qua parte in utraque figura deficit, & recedit æqualitas, ex alia verò parte veluti refocillata resarciatur æqualitas, & compensetur, ut tandem quodammodò æquilibrium, seu momentorum, & excessuum æqualitas in utraque figura celebretur; Etenim si Triangulum æquilaterum excedit Rhombum ex eo quod laterum æqualitati conjunctam necessario singulorum angulorum æqualitatem complectitur, Rhombus tamen etsi singulos angulos æquales minimè habet, attamen ejus singulorum angulorum inæqualitas compensatur ab æquali, & simili contrariorum habitudine, quæ deest in Triangulo æquilatero. Idcircò hujusmodi figuræ adeò æqualiter invicem sese excedunt, ut quæ perfectio deficit in una, in altera effulgeat, ex quo quædam Justitia, ac perfecta æqualitas in his figuris consurgit: Quod mirum in modum humanam Intelligentiam

Animus æqualitatis elegantia allicitur.

allicit

allicit, & ad se trahit; Nihil enim majori voluptate humanum Animum perfundit, quam hujusmodi æquitas, aut æqualitas, aut retenta Justitia, quæ non tantum in figuris, verum etiam & in singulis rebus elucet, ut solidè, & abundèostendemus, dum de Aequalitatis vi, & potentia in nostris investigationibus agemus.

CAPVT X.

TEXTUS.

AD. *Placet verò, & qua ista sit, scire cupio.* Aug. *Prius ergò responde, utrum tibi illarum figurarum, quarum jam quantum satis videbatur facta mentio est, ea videatur excellere, quæ quatuor lineis paribus, totidemque angulis paribus constet. Namque ut vides, in hac & linearum æqualitas, & angulorum est, & quod in illa, quæ tribus lineis paribus clauditur, non inveniebamus, adest huic parilitas contrariorum, nam linea linea, & anglus angulo est, ut cernis, contrarius.* Ad. *Ita verò est, ut dicis.* Aug. *Habet nè summam æqualitatem, an aliter tibi videtur? Nam si habet, frustrà ut institueramus, aliam quærimus: Si autem non habet, volo id ipsum mihi abste demonstretur.* Ad. *Videtur mihi habere, nam ubi & anguli pares, & lineæ pares sunt, ubi deprehendam inæqualitatem non video.* Aug. *Ego aliud sentio. Nam recta linea donec veniat ad angulos, summa æqualitate prædita est; sed cum ex diverso latere alia conjungitur linea, & angulum facit, non nè censes, hoc ipsum esse inæquale? An tibi figuræ pars, qua linea clauditur cum illa parte, quæ angulo concluditur, congruere videtur æqualitate, aut similitudine?* Ad. *Nullo modo. Et me pudet temeritatis meæ, eò enim ductus sum, quod & angulos in ea pares inter se, & latera cernerem: sed quis non videat eorum laterum ab angulis magnam differentiam?* Aug. *Accipe aliud inæqualitatis apertissimum indicium: Certè enim cernis vel illam figuram triangulam paribus lineis constantem, vel istam quadratam habere aliquid medium.* Ad. *Cerno planè* Aug. *Quid ab eodem medio cum lineas ad omnes figuræ partes ducimus, pares nè tibi*

ducì

duci lineæ videntur, animpares? Ad. *Impares prorsùs, nam longiores eas necesse est esse, quas in angulos ducimus.* Aug. *Ista in quadrata quot sunt, & quot in triangula?* Ad. *Quatuor hic, tres ibi.* Aug. *Quid minimæ omnium, quæ rursum, & quot sunt in figura utraque?* Ad. *Totidem scilicet eæ, quæ in media latera ducuntur.* Aug. *Verissimè mihi videris dicere, neque hìc opus est diutius immorari, ad id enim quod volamus satis est. Nam & magnam æqualitatem hic servari, ut opinor, vides, & tamen nondum ex omni parte perfectam.*

EXPOSITIO.


In quadrato summam æqualitatem minimè floreret duplici ter ostenditur.

In hoc capite Augustinus totus est in explicando, quænam figura ea sit, in qua maximè floret, ac regnat æqualitas, quæ nempè cæteris præstantior, insigniorque censenda sit. Idcircò postquam ostenderit, Triangulum æquilaterum, ac Rhombum haud perfectam, & plenam redolere æqualitatem, ad quadrilateram superficiem se convertit, quam geometriæ cultores Quadratum appellant, quod est figura plana quatuor lineis, ac quatuor angulis invicem æqualibus constans. Quærit ergò Augustinus, an in quadrato perfecta, & absoluta splendescat æqualitas, nam cum in quadrato, & singula latera, singulique anguli mutuò æquentur, in eo summam æqualitatem contineri videtur. Attamen contrarium docet, nos admonens, neque in quadrato summam emicare æqualitatem, quod duplici ratione ostendit. Primò sic ratiocinatur. Dum Linea recta brevissimo tramite in longum excurrit, perfecta gaudet æqualitate; nam adeò æquè ac perfectè versùs eamdem metam illius puncta fluunt, & secundum longitudinem extenduntur, ut nulla prorsùs incongruentia, aut dissonantia in hoc punctorum fluxu contingat. Quapropter meritò linea recta brevissima omnium linearum eosdem terminos habentium, Archimede docente, dicitur. Attamen cum unius rectæ lineæ extremitati alterius rectæ lineæ extremitas connectitur, ut neutra indirectùm jaceat, angulus prodit, in cujus verticem rectæ lineæ incurrentes inæqualitatem quamdam pariunt, ut utraque linea a sua summè æquabili rectitudine quodammodò recedens, curuari, & a breviori via deflectere videatur, quæ inæqualitas, atque dissimilitudo in quadrato plano quidem involuitur, cum angulis constet quadratum, & in quovis angulo, ut exposuimus, inæqualitas quædam contineatur. Hinc majori æqualitate quadratum pollet ex ea parte, quà recta linea comprehenditur, quàm ubi angulus procreatur, in quo recta linea aliquantulum a sua maxima æqualitate removere videtur.

Angulus in quadrato Inæqualitatis indicium est.

Deindè aliud inæqualitatis indicium ab ipso Quadrati centro subtiliter desumit Augustinus. Accipiatur, ait, in quadrato punctum medium, quod sanè centrum Circuli in quadrato inscripti, aut circumscri-

ſcripti, ut Geometræ loquuntur, eſt. Jam ex hoc centro lineæ rectæ ducantur, quarum aliæ quadrati latera pertingant, aliæ verò in angulorum vertices deſinant, ut in appoſita figura videri poteſt, in qua Quadratum P, inſcriptum eſt circulari figuræ H, cujus circumferentia tranſit perquatuor puncta O, C, A, B, quæ ſunt vertices angulorum quadrati, linea recta R, O, ducta eſt à centro ad verticem anguli, recta verò R, M, à centro protracta in quadrati latus incurrit. Jam manifeſtiſſimè patet ex ipſa met conſtructione, Lineam rectam R, O, quæ eſt radius circuli H, majorem eſſe recta linea R, M, in latus quadrati incidente, ſuperatur enim à radio, R, O, exceſſu M, S. ex quo ſequitur non adeò in quadrato undique latera illiuſque perimetrum æquè, & uniformiter eidem centro, ſeù puncto medio conſonare ac reſpondere, ut perfecta quaquà verſum in quadrato ſervetur æqualitas, cum Lineæ, quæ in angulos deſinunt, longiores ſint iis, quę ad latera uſque extenduntur, quod in cæteris figuris planis rectilineis, quas polygonas ſeù multilateras figuras Geometrę appellare conſueverunt, contingit, in quibus angulorum numerus æqualitatem, partiumque conſonantiam turbat. Non floret igitur ſumma æqualitas in Quadrato, atque adeò Quadratum non eſt omnium planarum figurarum preſtantiſſimum.



CAPVT XI.

TEXTUS.

AD. *Omninò video, & quæ illa figura ſit, quæ ſummam æqualitatem habeat, noſſe vehementer expecto.* Aug. *Quàm cenſes niſi eam, cujus & extremitas ſibi concors eſt undique, nullo angulo æqualitatem perturbante, & à cujus medio ad omnes extremitatis partes pares lineæ duci poſſunt?* Adeodatus. *Jam ut opinor, intelligo, nam illam figuram, quæ una linea in circulum ducta terminatur, mihi videris deſcribere.* Auguſtinus. *Rectè intelligis. Nunc itaque illud conſidera, cum ſuperior Rutio docuerit lineam in ſola longitudine intelligi, nec quidquam latitudinis uſurpare, & ideò per longum*

quà

quà ducitur dividi non poße, utrum tibi videatur figura quelibet ſine latitudine inveniri. Ad. *Nullo modo*. Aug. *Quia ipſa latitudo? Poteſt nè longitudinem non habere, quamvis latitudo ſola ſit, quemadmodum ſuperius longitudinem, ſine latitudine intelleximus an non poteſt*. Ad. *Video non poſſe*. Aug. *Vides ergò etiam illud, niſi fallor, quod latitudo ab omni parte dividi queat, linea verò per longum non queat*. Ad. *Manifeſtum eſt*. Aug. *Quid ergò putas pluris habendum, quod dividi poteſt an id, quod non poteſt?* Ad. *Profectò id quod non poteſt*. Aug. *Præponis igitur lineam latitudini. Nam ſi quod dividi non poteſt, præponendum eſt, præponamus neceſſe eſt etiam id, quod minus dividi poteſt. Latitudo autem ex omni parte dividitur, longitudo verò non niſi ex diverſo, nam per longum diviſionem non admittit. Eſt ergò latitudine præſtantior. An tu aliter exiſtimas?* Ad. *Iſta prorſus Ratio cogit fateri, ut dicis*. Aug. *Iam quæramus ſi placet, utrum ſit aliquid in iſta ratione, quod omnino non queat dividi, erit enim hoc multo etiàm, quàm illa linea melius; Nam lineam cernis ex diverſo innumerabiliter ſecari poße, itaque tibi ipſi hoc inveniendum dimito*. Ad. *Ego illud puto non poſſe dividi, quod medium in figura ponebamus, unde in extrema linea ducuntur. Nam ſi dividitur, longitudine aut etiam latitudine carere non poteſt. Sed ſi longitudinem ſolam habet, non jam unde ducuntur linea, ipſa linea eſt. Si verò etiam latum eſt, aliud deſiderat medium, a quo in extrema latitudinis linea ducantur. Vtrumq; autem hoc ratio reſpuit. Id erit igitur, quod dividi nequeat*. Aug. *Rectè dicis. Sed non nè tibi aliquid tale videtur etiã illud, undè linea ducitur, etſi figura nondum ſit, cujus medium intelligamus? Illud enim dico lineæ principium, a quo incipit longitudo, quod volo ſine ulla longitudine intelligas. Nam ſi longitudinem intelligis, nequaquam profectò intelligis, unde ipſa incipit longitudo*. Ad. *Tale omnino*. Aug. *Hoc ergò, quod jam te intelligere video, potentiſsimum omnium eſt, quæ demonſtrata ſunt. Siquidem hoc eſt, quod nullam divisionem patiatur, & punctum vocatur, cum medium tenet figuræ; ſi autem principium lineæ eſt, vel lineis, aut etiam finis vel cum omninò aliquid notat, quod ſine partibus intelligendum ſit, nec tamen obtineat figuræ medium ſignum dicitur. Eſt ergò ſignum nota ſine partibus. Eſt autem punctum nota mediũ figuræ teneus*

Ita

Ita fit, ut omne punctum etiam signum sit, non autem omne signum punctum videatur. Volo enim de his nominibus inter nos convenire, ut minus inter disputandum circumloquamur, quanquam plerique punctum appellent, non quod omnis figuræ medium, sed quod solius circuli vel pilæ tenet, tametsi minus nobis de vocabulis laborandum est. Ad. *Assentior.* Aug. *Vides certè etiam quantum valeat. Nam ab ipso incipit linea, ipso terminatur, & figuram rectis lineis nullam videmus fieri posse, nisi ipso angulus claudatur. Deindè undecunque secari linea potest, per ipsum secatur, cum ipsum omninò nullam in se admittat sectionem. Nulla linea lineæ nisi per ipsum copulatur. Postremò cum cæteris planis figuris, nam de altitudine adhuc nihil diximus, eam præponendam ratio demonstraverit, quæ circulo clauditur propter summam æqualitatem, quæ alia ipsius æqualitatis moderatio est, quam punctum in medio constitutum? Multa de hujus potentia dici possunt, sed adhibeo modum, & tibi ipsi cogitanda plura permitto.* Ad. *Sanè ut videtur, non enim me requirere pigebit, si quid fuerit obscurius, cerno autem mediocriter, ut puto magnam hujus signi esse potentiam.*

EXPOSITIO.

CUm in capite præcedenti admonuerit Augustinus neque Trianguium æquilaterum, neque Quadratum summa æqualitate gaudere, tandem in hoc capite exponit, quænam sit figura, in qua perfectè, ac summè natura æqualitatis regnat, & in medium circularem superficiem affert, cujus circumferentia cum nullo angulo perturbetur, plena perfruens æqualitate, undique sibi concors est, æquè a puncto medio, seu à centro se removens; hinc singulæ illius partes eadem distantia æquè elongantur à centro. Hæc autem maxima concordia, atque insignis æqualitas, qua singulæ peripheriæ partes eadem lege medium Punctum respiciunt, oritur ex ipsa met circuli structura, & genesi. Siquidem si Linea recta circa sui extremitatem immotam, seu quiescentem, altera extremitate se movente, in orbem revoluatur, circularem figuram procreat, cujus circumferentia ab eadem recta Linea circà se ipsam rotundo motu se torquente descripta, undique æquè distat ab eodem centro in quo immota genetricis Lineę extremitas quiescit, idcircò quaquaversum circulus, prorsus inæqualitate semota, æqualitatis elegantiam redolet, ac pulchritudinem.

Inter planas figuras solus Circulus summà gaudet equalitate.

Circuli natura explanata, quærit deindè Augustinus, utrum possit

concipi, & existere figura sive plana, sive curva, quæ cum sit lata, longitudine tamen careat? Et respondet, negando posse latitudinem exui longitudine, nam quidquid latum est, & longum esse oportet. Siquidem linea ut fit, & intelligatur, omninò abjicit à se latitudinem, nàm cum sit finis, & extremitas superficiei, rei scilicet extensæ juxta longitudinem, ac latitudinem, nequit quidem esse lata, Superficies verò, seu figura aut plana ut quadratum, aut curva ut sphærici corporis extremitas, ut existat, & concipiatur, indiget longitudine, seu linea; nam secundùm duplicem dimensionem exporrigitur, ac mensuratur. Idcircò Linea etsi potest dividi secundum longitudinem, attamen prorsùs insectilis est, secundum latitudinem, qua illa prorsus caret. Plus igitur dividi potest superficies quam linea; nam quod & in longum, & in latum scinditur, ac secatur, majorem divisionem amplectitur, quam id, quod in longum tantum dividi potest.

Linea minus dividi potest quam superficies.

His jactis fundamentis sequens Axioma statuit Augustinus. Quod insectile seu divisionis omninò incapax est, perfectius, & excellentius est eo, quòd divisionem patitur, ac sectile est. Præponit ergo sectilibus rebus insectiles naturas, in quibus haud dispersa, sed tota in unum collecta illarum virtus est, hoc autem manifestissimum esse sapienter existimat, ideoque non curat attentius hoc aperire, atque ostendere, sed tanquam apertissimum pronunciatum, quavis rejecta dubitatione, in medium adducit. Siquidem, ut fusè, ac demonstrativa methodo in nostris Investigationibus aperiemus, norma, & firmissima regula, quarerum perfectio mensuratur, penis quàm nimirùm excessus, aut defectus perfectionis rerum accipitur, est vis, & conatus ad Unitatem, ut quæ ad illam proprius accedunt, perfectiora sint iis, quæ minus ad eamdem unitatem tendunt, hinc imperfectio, imbecillitas, defectus, & impotentia Numero, robur verò, perfectio, & virtus ab Vnitate profluunt; Cum igitur sectiles nature numeri, seu multitudinis rationem involuant, quod verò insectile est, unitatis perfectionem insigniter redoleat, planè liquet, insectiles naturas anteponendas esse rebus, quæ partium multitudine constant, & in partes dividuntur, quod enim à partium numero, ac divisione alienum est, excellit, ac præstat ei, cujus natura in multitudine posita ab unitate recedit. Si ergò manifestum est, insectile sectiles res antecellere, evidens pariter erit, rem eò perfectiorem esse, quo magis a divisione, partiumque numero removetur, atque adeò, quod minus dividi potest, perfectius est eo, quod majorem divisionem subit, nam res, quæ minus dividitur, simplicior est, ac præstantius imitatur unitatem, secus verò quæ majoris divisionis est capax, cujus natura magis composita, minusque ut ità dicam, unum est: Ex quò confestim indubitanter infertur, lineam præponendam esse superficiei; nam superficie præstantior est linea. Linea siquidem tantùm secundum longitudinem in transversum dividi potest, adeòque simplicior superficie, quæ magis composita est, & non tantum secundum longitudinem, verum etiam & latitudinem secari potest. Idcircò cum Linea propiùs unitati approximetur, quam superficies, quæ magis vergit ad numerum, sequitur, lineam superficiei antecellere, ac omninò præferendam esse.

Insectile sectilibus naturis prestantius.

Eo perfectiores res, quò magis Vnitatem æmulantur.

Vis ab unitate, a numero verò profluit imbecillitas.

Exponitur ratio cur id quod dividi nequit: sectiles antecellat naturas.

Eo perfectiores quò minus dividi potest.

Linea superficie melior est.

Attamen videamus, prosequitur Augustinus, an in rebus extensis, & men-

& menſuræ obnoxijs præter Lineam eluceat aliud lineà perfectius, longeque præſtantius, quod nimirum partes, ac diviſionem penitus a ſe rejiciens, ac omni dimenſione carens, nullo pacto menſurari, ac dividi valeat, dum autem in circulum animum convertit, in illius centro, quod quærebat, jam ſe inveniſſe lætatur. Circuli centrum, ſeu Punctum medium locum in circulo tenens, inſigniſſimum quoddam & verum unitatis imitamentum eſt; Nam ſimpliciſſima res Punctum eſt, mole, partibus, magnitudine ſpoliatum. Etenim nullam longitudinem amplectitur, ſed eſt principium, ac initium omnium linearum rectarum, ſcelicet radiorum, qui à centro Circuli ad ejuſdem circumferentiam ducuntur, quod autem Linearum initium eſt, nudę nempè, & indiviſibilis longitudinis extremitas, longitudine carere opus eſt, ſecus linea, ſeu ipſamet longitudo, haud lineę ſeu longitudinis initium & extremitas eſſet, atque intelligeretur, nequit enim concipi longitudine præditum id, a quo longitudo incipit, & in quod tandem veluti in ſui extremitatem abit. Si autem Punctum omninò longitudine caret, neceſſe eſt, ut etiam latitudinem, & altitudivem ſeù profunditatem a ſe rejiciat, nam cum linea neque lata, neque profunda ſit, ipſius tamen initium ſit punctum à longitudine abhorrens, ſequitur Punctum nulla prorſus dimenſione gaudere, ſed omninò inſectile eſſe, & inextenſum, idcircò punctum, cum nullam, diviſionem patiatur, perfectius ac melius eſt linea, quæ ſectilis, & extenſa eſt, ſecundum longitudinem.

Punctum omninò inſectile & incorporeum eſt.

Punctum minimè longum eſt, ſi longitudinis extremum eſt.

Cum igitur corpus ſecari poſſit ſecundum longitudinem, latitudinem, ac profunditatem, ſuperficies ſit tantum ſectilis in longum, & in latum, diviſibilis verò ſecundum longitudinem linea, nullam autem diviſionem ſubeat punctum, manifeſtum erit, corpus ut potè maximè diviſionis capax, omnium imperfectiſſimum eſſe, perfectiorem ſuperficiem, quæ minus dividitur, huic præſtare Lineam, quæ minorem diviſionem patitur, omnium verò inſigniſſimum, ac potentiſſimum Punctum eſſe, quod ſi medium locum figurarum tenet, ut circuli, Trianguli &c. centrum, ſi linearum initium, & extremum eſt, Punctum dicitur, cujus natura ſita eſt in hoc, ut ſit ſignum ſeu nota quædam in rebus extenſis, ac corporeis, partibus omninò carens, nam in quavis quantitatis continuæ ſeù exteſionis parte, ſive hæc linea ſive ſuperficies, ſive corpus fuerit, punctum deſignari poteſt, ac elucet.

Quanta perfectione, quantaque vi polleat Punctum, aperitur.

Sicuti autem Punctum, quia Linearum initium eſt, longitudine caret, haud abſimili ratione, quia ipſum in quavis figura medium tenet locum, neceſſe eſt, ut etiam latitudinem a ſe rejiciat, nam ſi latum eſſet, tanquam ſuperficies, aut figura conciperetur; Quapropter Punctum medium aliud complecteretur, ex quo in ſuperficiei latæ extremitates lineę rectæ ducerentur, atque adeò non ipſum Punctum eſſet medium, ſed altero medio indigeret, ut ad illius extrema lineę protrahi poſſent, quod omninò Ratio reſpuit. Non eſt ergò neque latum, neque longum Punctum, idcircò neque altum, cum altitudo quæ ſolis corporibus competit, longitudinem, ac latitudinem præſupponat, quibus ſi caret Punctum, oportet ut etiam altitudine deſtituatur. Deinde tam altitudo, quam longitudo, & altitudo, quæ conjunctæ corporum molem efficiunt, ut rectæ lineę ad perpendiculum ad angulos ſcilicet rectos,

Punctum latitudine caret.

Punctum ſingulas corporis dimenſiones a ſe rejicit.

seu æquales cadentes intelliguntur, atque adeò illarum principium est punctum, in quod singulæ incurrunt, seque mutuò tangunt; id autem unde initium quævis dimensio capit, sanè dimensione, cujus principium, & extremitas est, omninò caret.

Punctum & lineæ, & superficiei naturæ dignitate præstat.

Si ergò Punctum nullam dimensionem continet, sequitur nulla ratione secari posse, atque adeò & linea, & superficie perfectius esse, longèque præstantius. Nam quia Linea minus dividi potest, quàm superficies, rectè infertur, lineam meliorem esse superficie, quod enim minus dividitur, præstantius est eo, quod majori divisione afficitur; Si ergo ab omni divisione, ut potè ex omni parte insectile, punctum abhorret, & superficie, & lineà perfectius punctum erit, quod juxtà mentem Augustini propriè puncti nomen obtinet, cum in figuris, ut Circulo, & Quadrato, medio loco gaudet, quod etiam, ut diximus, centrum figurarum nuncupatur; cum verò linearum initium est, aut lineas conjungit, signum dicitur, nimirum nota quædam, & designatio in rebus extensis, ac quantis, partibus carens, idcircò non omne signum est Punctum, cum videlicet medium locum in figuris non tenet, omne verò punctum est Signum, nota nempè sine partibus; Hoc pacto si ejusdem circuli Centrum ut medium figuræ partibus denudatum intelligas, punctum appellatur. Si vero tantum concipiatur, ut initium in quod rectæ lineę seù radij eiusdem circuli desinunt, signum propriè dicendum est, quod tamen in nominum, ac vocum quæstionem resolui ipsemet fatetur Augustinus.

Punctum signum est, notam scilicet sine partibus.

Quam autem rectè ac solidè Punctum signum, seu nota sine partibus ab Augustino appelletur, apertissimè patet, si puncti naturam diligenter Animo revoluamus; Nam Punctum semper in quantitate continua vigere, & commorari intelligimus, in rebus enim quantis, & corporeis tanquam in sua sede regnat; attamen licet in quantitate contineatur Punctum, ipsum nihilominus nullo modo quantum, aut extensum est, sed prorsus insectile partibusque carens, cum aut medium figurarum aut linearum nexus, finis, aut initium sit; quamvis verò incorporeum, & inextensum sit Punctum, intelligi tamen nequit quin Animum inducat in notitiam aut lineę aut figuræ, quarum, aut initium, aut medium est, idcircò cum alterius rei notitiam Punctum in animo excitet, meritò signum nuncupatur; Signum enim dicitur quidquid præter notitiam sui, in alterius rei cognitionem animum ducit. Dici etiam Punctum signum potest, quia nulla est Pars in quantitate, nullus est in rebus corporeis locus, quo insectile Punctum intelligi, ac designari non valeat. Nam in quavis sive Lineę sive superficiei, sive rei solidæ parte Punctum concipere oportet, quod aut lineas conjungat, aut lineis cæterisque corporum dimensionibus initium, terminum, aut centrum præstet. Etenim nullum corpus finitum intelliges, quin superficiem, in quam illud abit, percipias, superficies autem neutiquam Animo deprehendetur, nisi cadat sub cogitationem linea, quà illa initium capit, sivis tandem lineam intelligere, opus est, ut concipias Punctum, a quo Linea incipit, aut in quod definit, atque adeò nisi designetur in corpore punctum, a quo simplex longitudo ortum ducit, profectò nullam corporùm dimensionem intelliges. Quamobrem cum nullus sit in rebus extensis locus, in quo designare, ac notare non valea-

Quam rectè signi nomen Puncto tribuat Augustinus.

Nullus in Quantitate corporea locus, in quo non eluceat Punctum.

leamus Punctum, manifestè deducimus Punctum, signum, ac notam aliquam esse fine partibus, quæ necessariò in quantitate regnet, ac floreat veluti quantitatis initium, & origo, licet à se ipso quantitatis indolem omninò reijciat.

Postquam autem quid sit Punctum ingeniosè, ac scitè explanaverit Augustinus, quanta potestate, quantaque vi, & virtute Punctum polleat, deindè aperire & ostendere enititur. Etenim à Puncto incipit Linea, quæ nullo pacto esset, nisi Punctum, a quo originem trahit, eluceret; Præterea nulla figura rectis lineis comprehensa construi & vigere potest, nisi recte lineę in quas illa definit, invicem adnectantur, ut angulum efficiant, attamen quo pacto angulus procreari, & emergere possit: nisi punctum in figura existeret, quo recte lineę copulentur, quæ nisi in Punctum commune incidant, angulum profectò non progignent, idcircò Puncto semoto singulas figuras interire, & evanescere oportebit.

Quantùm Punctum valeat explanatur.

Præterea nequit Linea secari, nisi Punctum adsit, in quo secetur, nam nequeunt duæ simplices longitudines mutuò secari, ut duo circulorum arcus, aut duæ lineę rectæ, quin se tangant in eodem Puncto, in quo sectio, & contactus absoluntur, attamen etsi auxiliante Puncto invicem secantur Lineę, Punctum tamen nullam sectionem patitur, & omninò indivisibile est. Ulterius ut duæ lineę rectę invicem copulentur, oportet, ut illicò occurrat Punctum, quod illas conjungat, mutuoque connectat.

Linea, singulæ quoque figuræ a puncto vim & existentiam capiunt.

Postremò ex Puncto excellentia, atque maxima perfectio circuli supra cęteras planas figuras profluit; siquidem non ob aliam causam circulus singulis planis figuris antecellit, nisi quia summa æqualitate pollet, eo enim perfectior est figura, quo major in ea floret æqualitas. Attamen quęvis in circulo æqualitatem moderatur, ac sustinet nisi Punctum in centro constitutum, quod dum atque quaquaversum à se singulas circumferentiæ partes removet, insignissimam circuli æqualitatem procreat, cujus fons, & origo Punctum est. Quo posthabito, & percunte, totam circuli æqualitatem interire, & in nihilum solvi necesse est. En quam potens, quàmque validum est Punctum, ut ab illo tota figurarum vis, ac præstantia ortum ducat; cujus Puncti robur, & potestas potissimum oritur ex eo quod maximè ad unitatis pulchritudinem accedit Punctum, quod in rebus extensis se habet veluti unitas, nam sicuti in quantitate discreta, seu numero intelligibili, quam Arithmetica contemplatur, unitas, quæ omnem divisionem, ac multitudinem a se excludit, est radix, & principium numeri, seu multitudinis; eodem pacto in continua quantitate, etsi inextensum, & insectile Punctum est, ex ipso tamen tanquam a fonte extensio omnis ortum ducit.

Summa circuli Equalitas emanat a Puncto.

Punctum insignissimum Unitatis imitamentum.

Ex Puncto initium capit Extensio.

Idcircò non tantum ferè singulas perfectiones unitatis arithmeticæ, quæ numerorum nempè radix est, redolet Punctum, verum etiam suprà ipsam unitatem excellere videtur, ut si fas est dicere, magis unum Punctum, quam una ipsa unitas dicenda sit. Unitas non est numerus, at ab ea Numerus omnis profluit, pariter, & punctum non est dimensum, ab eo tamen singulæ dimensiones proficiscuntur. Etenim à Puncto profluit Linea, a Linea oritur superficies, a qua tandem corpus emanat. En quo pacto Origo, & initium trinæ dimensionis

Punctum arithmetice unitati mirum in modum excellere videtur.

Punctum corporis origo ac principium. A puncto addendo ad corpus descendimus.

sionis Punctum est. Quod si imaginemur mediante motu in longum punctum explicari, linea emergit, hæc autem in transversum expansa, & fluens fit superficies, quæ si intumescat in altum, trasmutatur in corpus. En qua ratione veluti componendo, seu addendo a puncto trina Dimensio exordium capit.

In punctum corpus resolvitur.

Jam si corpus altitudinem exuens contrahatur, in superficiem redit, quæ contracta secundum latitudinem extenuatur in lineam, hæc tandem longitudinem a se abjiciens, in punctum definit. En quo pacto separando in punctum, veluti numerus in uuitatem, resolvitur extensio. Quod sanè præclarum quoddam exemplum utriusque methodi tum analyticæ, tum compositivè, sive inventionis, & doctrinæ nobis exhibet.

Punctum si in se ipsum ducatur, non parit nisi punctum.

Prætereà unitas si in se ipsam multiplicetur, non augetur, sed eadem immutata manet, unum namque in unum multiplicatum dat semper unum; eodem modo punctum si ducatur in punctum non dat extensum, sed Punctum, cum enim Punctum sit partibus, & extensione omni destitutum, neque contrahi, neque augeri potest, nam nihil nisi partibus, & extensione polleat, minui, aut crescere potest. Hinc quovis modo accipiatur Punctum, ut multiplicationis sive Arithmeticæ, sive Geometricæ praxis præcipit, punctum quantum libet in se ipsum multiplicatum, non nisi Punctum procreabit. Jam expendamus, qua ratione dici posset, Punctum adeo robustum, & insigne esse, ut Arithemeticam unitatem virtutè excedat, seu unitate, quæ in numero elucet, melius sit, ac perfectius. Ut hoc obtineamus, sequenti modo ratiocinamur. Unitas si in se ipsam multiplicetur, sanè non gignet nisi se ipsam, nempè unitatem, attamen si sibi addatur unitas, non unitas, sed numerus emergit; etenim si unitati unitas addatur, non oritur unitas, sed binarius numerus profluit, atque adeò dum unitas se ipsam sibi addit, quodammodò à suæ naturæ perfectione recedens, in numerum imperfectiorem convertitur. Secus verò se habet Punctum, cui si punctum, imò & innumera addantur puncta, non plura puncta, sed tantum unum punctum prodit; Hinc dum infinitæ Lineæ invicem secantur, cum necessariò in eodem puncto communi se secent, ut sanior edocet Geometria, tunc ex infinitis punctis linearum, quæ in idem punctum incidunt, simul additis, non infinita, sed unum tantùm punctum consurgit; quapropter minorem mutationem patitur punctum, quàm unitas, atque adeò unitate punctum immutabilius, ac perfectius appellari potest.

Unitas unitati si addita dat numerum, haud unitatem.

Punctum additum puncto, non extensum sed punctum gignit.

Ex infinitis punctis simul coniunctis unicum emergit punctum.

Additionis ope, nullam mutationem patitur punctum, secus verò unitas.

Unitas dum additur, aut subducitur, numerum turbat.

Ex puncti additione, aut subtractione nullam mutationem patitur extensio.

Insuper detracta unitate à numero binario, hic illicò perit, in unitatem definens addita verò binario, non binarius, sed ternarius ab eo diversus oritur, idcircò unitas numeris addita, aut è numeris detracta, numerorum speciem evertit, ac deturbat; qua imperfectione quidem caret Punctum, quod sive Lineam Lineæ adiungens, lineis additur, sivè lineas separando, ac dividendo, a linea detrahatur, Lineæ natura eadem constantissimè manet, ut neque in punctum aliquando definat, neque in alteram degeneret naturam. Concludamus ergo cum Augustino, in rebus corporeis, & extensis nihil reperiri, Puncto magnificentius ac potentius, a quo integra corporis substantia, & vim, & originem capit.

C A-

CAPVT XII.

TEXTUS.

AUg. *Nunc ergo illud attende, cum & quid sit signum, & quid sit longitudo, & quid sit latitudo perspexeris, quid horum tibi videatur alterius, & cujus indigere, sine quo esse non possit.* Ad. *Video, quod latitudo longitudine indigeat, sine qua prorsùs intelligi non potest. Rursùs longitudinem cerno latitudine quidem non indigere ut sit, sed sine signo illo esse non posse. Illud autem signum per semet ipsum esse, & nullius horum indigere manifestum est.* Aug. *Ita est ut dicis, sed diligentius considera, utrùm latitudo verè undique secari queat, an alicunde nec ipsa sectionem possit admittere, quamvis plus admittat, quam linea.* Ad. *Nescio prorsus undè non possit.* Aug. *Credò te non recordari, nam nescire istud nullo modo potes, quare commonefaciam te isto modo. Certè enim latitudinem sic intelligis, ut cogitatione tua de altitudine nihil usurpes.* Ad. *Sic omninò.* Aug. *Accedat igitur huic latitudo, & responde jam utrum etiam aliquid acceserit, quò magis undique secari queat.* Ad. *Mirè omninò admonuisti. Nunc enim video non solum desuper, aut ex inferiori parte, sed à lateribus quoque admitti posse sectionem, nihilque omninò remansisse, undè non queat penetrare divisio. Quare manifestum est & latitudinem exhis partibus secari non posse, per quas surrectura est altitudo.* Aug. *Quoniam tibi igitur, si non fallor, & longitudo, & latitudo, & altitudo nota est, quæro utrum possint deesse duo superiora ubi aderit altitudo.* Ad. *Sine longitudine qnidem video esse non posse altitudinem, sine latitudine autem potest.* Aug. *Redi ergò ad cogitationem latitudinis, etsi eam quasi jacentem animo figuraveris, erigatur in quodlibet latus, tanquam si eam velles per tenuissimam rimam, ubi se clausæ januæ jungunt educere. An nodum intelligis quid velim?* Ad. *Intelligo quid dicas, sed non dum fortasse quid velis.* Aug. *Illud scilicet ut respondeas utrum sic erecta latitudo videatur tibi migrasse in altitudinem, & latitudinis jam nomen, descriptionemque amisisse, an adhuc maneat latitudo, quamvis ita sit collocata?* Ad. *Videtur mihi altitudo esse facta.* Aug. *Re-*

I.

cor-


cordarisne, obsecro, quemadmodum altitudinem definieramus? Adeod. *Recordor planè, & me jam sic respondisse pudet. Nam etiam hoc modo quasi erecta latitudo sectionem per longum versus deorsum non admittit, quare nulla in ea possunt interiora cogitari quamvis medium, & extrema cogitentur. Secundum autem superiorem demonstrationem altitudinis, quam feciſti ut recordarer, nulla est omninò altitudo, ubi nihil intus cogitari potest.* Aug. *Rectè dicis, & sic te omninò meminisse cupiebam. Quamobrem illud jam volo respondeas, utrum falso verum anteponas.* Ad. *Jam hic dubitare, incredibilis dementia est.* Aug. *Dic ergo, quaeso te. Numquid nam vera Linea est, quæ per longum secari potest. Aut vera latitudo, quæ cum erecta est, ut diximus, sectionem per longum deorsum versus admittit.* Adeod. *Nihil minus.* Aug. *Unquam nè igitur oculis istis corporeis vel tale Punctum, vel talem Lineam, vel talem latitudinem vidisti.* Ad. *Omninò nunquam. Non enim sunt ista corporea.* Aug. *Atqui si corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur, oportet, Animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum, corpusve non esse, an tu aliter existimas?*

EXPOSITIO

Hactenus aperuit Augustinus quid sit punctum, quid linea, quidve superficies, in hoc tamen capite accuratius quodnam horum sit potentius, ut minimè altero indigeat, investigare, & explanare exorditur. Quidquid autem in hoc capite continetur, ad omnem obscuritatem, & confusionem adimendam, sequenti modo exponere liceat.

Tribus dimensionibus corporis natura absolvitur.

Quo pacto quævis corporis dimensio mensuretur exponitur.



Tribus dimensionibus, seù mensuris tota corporis substantia absolvitur, quæ singulæ tribus rectis lineis ad æquales angulos, seù ad perpendiculum se invicem tangentibus indicari, & decerni solent. Exempli gr. sit corpus cubicum X, sex nempè quadratis mutuò æqualibus circumscriptum, & ad idem punctum B intelligantur protractæ tres rectæ lineę A B., BC, B R, hac lege, ut ad normam seù ad perpendiculum invicem cadant, angulos scilicet æquales, sive rectos efficiant. Jam Geometræ his tribus rectis lineis utuntur ad statuendum quanta longitudine, latitudine,

tudine, & altitudine expositus Cubus X constet, cum hæ rectæ lineę sint brevissimæ omnium Linearum quæ ab eodem Puncto communi duci possunt, & semper eædem constantissimè maneant, atque adeò pro vera corporis mensura accipi possint, & debeant. His autem rectis lineis indifferenter uti potest Geometra, vt vel longitudinem, vel latitudinem, aut altitudinem corporis X metiatur, quævis enim apta est ad indicandum, quam longum, quam latum, aut altum sit corpus, attamen si una harum linearum accipiatur pro determinanda longitudine, altera indicabit latitudinem, postrema verò altitudinem, sive corporis soliditatem ostendet. Idcircò si sumatur recta linea A B., ut statuam, quantæ longitudinis sit corpus X; linea recta B. C, latitudinem, B R verò altitudinem, seu profunditatem indicabit, & vicissim, singulæ tamen hæ rectæ lineę simplices ac merę longitudines sunt, quarum nulla lata, aut robusta est, sed tantum quanta sit latitudo, aut corporis profunditas indigitant. Quapropter cùm absolutè enunciatur latitudo, non venit in allato exemplo simplex longitudo, seù ipsamet recta linea B. C, sed tota superficies quatuor rectis lineis comprehensa, nempè quadratum B, A, P, C, longum, pariterque latum, cujus latitudinis mensura est recta Linea B, C, longitudinis verò recta linea A B. Nomine igitur longitudinis linea, latitudinis superficies, altitudinis, seu profunditatis corpus propriè venit, ut longitudo, scilicet Linea, præcedat superficiem, hæc verò prior sit corpore.

Corporis dimensionum quenã longitudo, quenam vero latitudo, aut altitudo nuncupanda sit, Hæ suitur.

Siquidem ut Linea sit, non oportet ut pariter sit, & intelligatur superficies, quæ existere, ac percipi potest, quin vigeat, & percipiatur corpus. Linea namque cum sit simplex longitudo, est prorsus insectilis secundum latitudinem, qua caret; superficies verò etsi linea indiget, cum sit longa, attamen cum nullam habeat altitudinem, illius latitudo nullo pacto ulterius secari potest secundum corporis profunditatem, adeòque superficies ut sit neutiquàm indiget corpore, idcircò corpus, quia trinè dimensum est, nisi Linea, & superficies adessent, illicò interiret, superficies etiam periret nisi in ea contineretur Linea; Ut verò Linea sit, ac sub intelligentiam cadat, neque corpore indiget, neque superficie. Est igitur Linea excellentior ac potentior superficie, hæc vero majorem vim, & perfectionem habet, quam corpus. Quidquid enim ab alio pendet, deterioris conditionis eo est, a quo pendet; quæ cum ità se habeant, statuendum citram dubitationem est, punctum, in quod definunt lineę rectæ corporis dimensiones indicantes, esse omnium robustissimum, ac perfectissimum; Etenim adeò per semet ipsum est, ac subsistit, ut neque corpore, neque superficie, neque lineà indigeat. Hæc autem major, aut minor perfectio a majori, aut minori, aut nulla divisione ortum ducit; Nam Punctum cum prorsus inextensum sit, & insectile, ideò nulla corporis dimensione indiget, idcircò & linea, & superficie, & corpore dignius, ac melius est. Linea quamvis in transversum secundum longitudinem secari valeat, attamen insectilis est & inextensa quò ad latitudinem, & altitudinem, atque adeò cum linea, excepto puncto, præ cęteris a divisione abhorreat, superficiei, & corpori antecellit. Superficies verò, ut quadrata facies cubici, seu exagoni corporis X, potest quidem dividi in longum, &

Linea neutiquam a corpore, aut a superficies pendet.

Corpus imperfectius superficie.

Punctum a nulla corporis dimensione pendet, sed per se metipsum est.

latum nimirum ex utraque parte, qua extenduntur duę rectæ lineę A B, B C, nullam tamen altitudinem habet, quapropter nequit in altum secari, nam quamvis concipi possit, quod in inferiori parte jacens per altitudinem B R, assurgat vsque ad Punctum B., veluti in corpus expansa, seù corporis soliditatem progignens, reverà tamen semper ut simplex superficies atque externa corporis facies altitudine carens accipienda est; Nam altitudo, sive soliditas est pars interior corporis, cujus viscera, & interiora altitudine comprehenduntur, quę in corporibus opacis, seu tenebrosis, ut sunt metalla, tantum intelligentia, in pellucidis verò ut Vitrum, sensu etiam percipiuntur. Superficiei verò auxilio solum extimam corporis faciem inspicimus, quæ cum sit corporis extremitas, ac terminus, nullo modo profunda, sivè alta est, secus ipsummet corpus, ac ipsamet soliditas, haud corporis ac soliditatis extremitas esset. Idcircò altitudo, corporis scilicet plenitudo, & soliditas, cum pro extremitate habeat superficiem, hujus verò terminus sit Linea, sequitur altitudinem triplicem amplecti divisionem, etenim, & longitudine, & latitudine gaudet. Est igitur ex quavis parte sectilis altitudo, seù corporis soliditas, atque adeò linea, & superficie imperfectior. Hinc Puncto veluti ex diametro Corpus adversari videtur; Nam cum Punctum ut potè prorsus insectile omnem divisionem a se rejiciat, corpus ex adverso divisionem, quantum fieri potest, patitur, ut nulla in eo eluceat pars, quam penetrare nequeat divisio, est enim ex omni parte divisibile; Quapropter maximè à puncti perfectione recedit corpus, præ cæteris verò dimensionibus accedit linea, medium tamen locum obtinet superficies, inter lineam quodammodò & corpus collocata.

Quenam corporis dimensio altitudo dicatur, decernitur.

Corpus quaquaversum sectile est.

Ex rebus jam explanatis infert Augustinus, veram lineam insectilem esse secundum longitudinem, quia latitudine caret, veram superficiem altitudine carere, nam in altum nulla ratione secari potest, verum tamen punctum, signum sine partibus, & omninò insectile esse, quia omni dimensione privatur. Idcircò docet, haud sensibus, aut phantasiâ, sed nuda tantum intelligentiâ, ac solis ut ità dicam interioribus oculis Rationis, veras lineas, superficies veras, verumque Punctum a nobis concipi posse, etenim quidquid sensibus, & phantasiæ repræsentatur, trinè dimensum, ac ex omni parte sectile est; Nam hujusmodi organicæ animæ facultates lineam latam, superficiem profundam, punctum longitudini adnexum necessariò percipiunt; nequeunt namque separare alteram corporis dimensionem ab altera, quæ vis dimensiones corporis discernendi, soli competit Intelligentiæ, nam hæc dum a latitudine sejungit longitudinem, lineam veram intelligit; Cum autem latitudinem ab altitudine distinguit, in veram superficiem cogitando incurrit, ac tandem signum quavis corporea dimensione purgans, seu a moris, partibusque comercio dissocians, Verum Punctum concipit. Verum igitur punctum, linea vera, & vera superficies res incorporeę sunt à corporis scilicet natura diversæ. Quidquid enim corporeum est, tribus spatiorum dimensionibus absolvitur, ut nisi res aliqua longitudine, latitudine, & altitudine polleat, corpus dici nequeat; Attamen verum punctum quavis dimensione caret, vera linea solam amplectitur longitudinem; superficies vera licet longa, & lata sit, a se tamen omninò rejicit altitudinem. Quapropter incorporea hæc dicenda sunt, cum aut

Vera linea soli innotescit animo.

Quidquid sensibus obversatur, trine dimensum est.

Vera linea corpus non est, atque sensum effugit.

nullam,

nullam, aut unam, aut duplicem tantum dimensionem patiantur, quod nullo modo congruere potest corpori, in quo longitudo latitudini immiscetur, latitudo vero connectitur altitudini, Punctum singulis corporis mensuris adjungitur.

Ex hoc autem quod verum Punctum, vera linea, & superficies vera sint res incorporeę, quæ sensum, ac phantasiam effugiunt, ostendere conatur Augustinus, humanum Animum incorporeum esse, & inextensum, hoc enim pacto solidè, & acutè, ratiocinatur; Ut Animus corporea percipiat, nempè ut lineas, ac superficies falsas, Puncta quoque falsa, seù corporea videat, corporis oculis utitur, mira enim quadam rerum cognatione factum est, atque naturæ legibus institutum, ut Animus non possit cernere corporea, nisi auxiliante corpore, quamobrem opus est, ut corporis organa adhibeat, si corporeas lineas, aut superficies, aut corporescentia Puncta percipere velit, corporea enim corporeis, seù organicis Animæ facultatibus respondent, corpoream autem Animæ potestatem appellamus eam, quæ corporeo organo ad suum exercendum munus utitur; Si igitur eadem rerum harmonia, atque consonantia servanda est, statuere cogimur incorporeis incorporea congruere, nimirum animum incorporea cogitandi virtute incorporeas res tantum intelligere posse, ut Animus nullo sensu, nulloque corporis organo, sed tantum se ipso utatur, ut quę a corporis indole abhorrent, percipiat; idcircò incorporeus dicendus est Animus, seu à corporis natura sejuncta, prorsusque insectilis dicenda est intelligendi potestas, cujus ope incorporeas, & insectiles naturas cogitatione revoluimus, quæ incorporea animi facultas nullo a se diverso indiget, sed sibi satis est, ut veras lineas, verasque superficies, & incorporea puncta videat, ubi quæsò hæc incorporea videt Animus, si in semet ipso non videt? Forsan in sensibus, aut in ipsis corporibus? Neutiquam. Nam quidquid vel sensu compræhenditur, aut in corporibus delitescit, verè corporeum, seù trinè dimensum est. Oportet igitur, ut videantur in eo quod incorporeum est, hoc sanè ipsemet Animus est, seù ipsamet Intelligendi potestas, qua rationalis Anima à corporum societate se separans, incorporea cernit. Etenim si ut corpora sentiat Anima, corpus confestim occurrit, cujus auxilio, miro quodam Supremi Conditoris artificio, incorporea Animi substantia corporea cogitat, necessum est, ut corpus quodvis recedat, solumque incorporeum præstò sit, ut quæ a corporis natura aliena sunt, intelligamus. Idcircò si exensus, & corporeus est Animus, sola extensa, & corporea profectò perciperet, quemadmodum oculis corporis nullo pacto incorporea, sed tantum quæ in corporis dimensiones immerguntur, prospectamus, cùm igitur, & in extensa etiam percipiat Animus, & inextensum etiam Animum esse oportet, in quo summus naturæ ordo, ac mira quædam rerum cognatio effulgent.

Si lineam in corpoream cernit Animus, & mole corporis cavere oportet Animum.

Incorporeo Animo inspiciuntur incorporea.

Nihil Animæ prodest corpus, ut illa cernat incorporea.

Dum hæc autem animo revolvebam, insequentem dubitationem incidi, Humanus Animus verè intelligit Ens infinitum & perfectissimum, cujus ingenitam & anticipatam quamdam notionem habet, & tamen ipse haud infinitus, & absolutè perfectus, sed imperfectus est, & limitatus. Potest igitur finita, & imperfecta Mens infinitam, & perfectissimam Naturam in suis notionibus veluti exscriptam intueri. Quid

Dubitatio quædam occurrit.

Incorporeum a corporea Anima cerni posse videtur.

Incorporeum a corporea Anima cerni posse videtur.

igitur vetat, quin pariter a corporea Animæ facultate incorporeum, & insectile cerni possit? Nam si ut humanus Animus cernat infinitum, non est necesse, ut identidem infinita perfectione polleat, cum etsi suaptè natura infinitus, & imperfectus, perfectissimam tamen substantiam intelligit, eodem pacto contingere potest, ut corporea, & extensa Anima incorporeas, & insectiles res inspiciat, sicuti enim non requiritur in humano intellectu infinita perfectio ad intelligendam Naturam infinitè perfectam, ità non oportet, Animam partibus, & mole carere, ut cernat ea quæ à corporum tumore, & dimensionibus abhorrent; magis enim distat Mens finita a Natura infinita, & perfectissima, quæ distantia infinita est, quàm distet Anima corporea saltem ab incorporeo finito. Quapropter sicuti ex eo quod humanus Animus intelligit infinitum, nullo pacto sequitur illum esse infinitum; simili modo non potest inferri hominis animum esse incorporeum, ex hoc quod ille cernat incorporea.

Dubitatio solvitur.

Hæc dubitatio tametsi formidabilis primo aspectu videatur, attamen valdè imbecillis, faciliſque solutionis est, cujus tota vis in vocum amphibologia, & æquivocatione potissimùm fita est. Cum dicimus, Mens humana Intelligit infinitum, Ens scilicet Perfectissimum, ac simpliciter illimitatum, verbum intelligere, non simpliciter, & absolutè, sed restricto modo, & secundum scholarum phrasim, secundum quid, accipitur, nam si sensus est, Mens finita simpliciter, & absolutè intelligit Ens simpliciter infinitum, Propositio apertè falsa est, & a nobis respuitur, quia simpliciter intelligere infinitum sine ulla scilicet limitatione, & omni modo, haud finitæ, sed infinitæ & summè perfectæ Intelligentiæ tantummodò competit. Etenim solius Entis simpliciter infiniti est, se ipsum comprehendere, seù simpliciter, & infinito modo intelligere. Legitimus igitur nostræ propositionis sensus sequens est. Humana Mens restricto, & finito modo intelligit Ens infinitum. Ex hoc autem, quod illa hujusmodi intelligendo tendat ad objectum infinitum, evidenter, & necessariò deducitur, eam haud infinitam sed finitam, & imperfectam esse; nam finito modo infinitum intelligere, imperfectio quidem, & imbecillitas est. Neque absurdum est, sed ex adverso summopere indispensabile, & necessarium, ut Mens finita aliquo modo infinitum intelligat, illimitatum nempè, & incommutabile Verum, cui necessario coniungitur, & ad quod nisi tenderet, nihil prorsùs intelligeret, ut in nostris investigationibus enucleatius aperiemus. Huc accedit, humanum Animum, & ratione tendentiæ, ac necessariæ conjunctionis cum Infinito, & ratione sui rationalis appetitus, & amoris, qui immensus quodammodo est, & nulla confinia patitur, infinitatis caracterem, & insignem quamdam notam continere, atque adeò mirum non est, quod humanus Animus intelligat infinitum, cui tantoperè congruit, proportionatur, & assimilatur. Inter Animam tamen corpoream & incorporeum objectum nulla profectò proportio, nullaque congruentia intercedit, ex nulla enim parte corporea Anima cum incorporeo necessario connectitur. Quin etiam manifesta quædam falsitas oriretur, si corporea Anima incorporea cerneret; siquidem vel simpliciter per incorpoream scilicet, & insectilem notionem, sivè imaginem incorpoream inspiceret, vel restricto modo per

do per imaginem nempè extensam, & corpoream. Si primo modo, Anima esset pariter corporea, & incorporea; insectilis enim, & incorporea notio incorporeo subjecto tantum inhærere potest. Si verò concedatur secundum, tunc Anima in imagine corporea haud incorporeum, sed revera corporeum, & sectile cerneret: In imagine enim corporea, & extensa non quod inextensum, & insectile est, representatur, sed tantum in illa sensilium, & extensarum rerum delineamenta continentur. Ex hoc ergò quod humanus Animus absolutè, & incorporeo modo Punctum Incorporeum, incorporeas quoque corporum dimensiones intelligit, necessario, & evidenter sequitur, & illum incorporeum pariter esse. Quod autem hæc, quæ docuit Augustinus circa Punctum, lineas, & superficies, non sint humanæ imaginationis figmenta, sed summoperè veritati & Rationi consentiant, planè, ac fusè dimonstrabimus in dissertatione de Veritate Punctorum, Linearum, ac Superficierum, secundum sanioris Geometriæ principia, quam Lector in libro nostrarum investigationum inveniet.

CAPVT XIII.

TEXTUS.

AD. *Age jam concedo corpus non esse animum, vel quidquam corporeum, quid est tandem, dic mihi?* Aug. *Vide interim, utrum confectum sit carere illum illa omni quantitate, de qua nunc quæstio est, nam quid sit Animus, oblitum te esse miror priore inter nos quæstione discussum. Meministi enim te quæsisse primitus, unde esset, quod duobus modis a nobis tractatum esse memini, uno quo quasi de regione ejus quæsitum est, altero utrum nam ex terra, vel igne, vel alio quopiam istorum elementorum esset, vel ex omnibus, vel ex aliquibus illorum. In qua quæstione constitit inter nos, non magis hoc quærendum esse, quàm undè sit terra vel si quod aliud elementorum singulorum. Intelligendum est enim, quamquam Deus fecerit Animum, habere illum certam substantiam, quæ neque terrena, neque ignea, neque aerea sit, neque humida, nisi fortè arbitrandum est, Deum terræ dedisse, ut nihil aliud sit quam terra, & non dedisse Animo, ut nihil aliud quam Animus sit. Si autem definiri tibi animum vis, & quæris quid sit Animus, facilè respondeo; Nam mihi videtur esse substantia quedam rationis particeps, regendo corpori accommodata.* I.

EX-

EXPOSITIO.

Quid sit rationalis Anima inquiritur.

IN hoc capite primùm Adeodatus lubentissimè concedit Animum humanum omninò a corporis natura, spatiorumque dimensionibus alienum esse, atque adeò spiritali, & insectili substantia pollere, attamen enixè rogat Augustinum, ut tandem explicet, quid sit humanus Animus. Cui interrogationi respondet Augustinus, se jam in præcedentibus capitibus Animi naturam aperuisse, nam ait, si illius originem inquiramus, ex Deo est; si verò undè sit, quibus scilicet principiis constet, investigemus, nulla sanè occurrit responsio, siquidem ex nullo elemento facta est, cum simplex, & insectilis quædam substantia sit Anima, eo modo quo de elementorum natura ratiocinantur Philosophi, censentes, Aquam aut aerem nullo elemento constare, sed ex ipsis singula permixta corpora procreari.

Animus nihil aliud est, quam Animus.

Ut autem hic Augustinus clariorem, ac specialem quamdam Animæ notionem traderet, primò admirando quidem acumine, admonet, Animum humanum nihil aliud esse præter Animum; hoc nimirùm insignissimo gaudere privilegio, ut nihil aliud sit, quàm Animus, ut si illi aliquid extraneum immisceas, quod non sit Animus, illicò Animi natura deturbata pereat, quod luculentissimè Terræ exemplo exponit, hoc enim pacto ingeniosè philosophatur. Deus dedit Terræ, ut nihil aliud sit quam Terra, nam quovis modo in minutissimas particulas confringatur Terra, & dividatur, semper terra emerget, nempè id, quod supereſt, & manet, terra est. Cum enim terra simplex sit elementum ex nullo alio elemento composita, in quavis sui parte sibi omninò similis, & homogenea semper, & sola terra est. Si autem Deus adeò certam quamdam substantiam terram effecit, ut hæc nihil aliud sit, quam terra, ut scilicet tota illius natura terra sit, nihil profectò prohibet, quin possit procreare Animum, qui nihil aliud sit, quam Animus? Attamen si terræ Deus concesit, ut tota sit terra, & nihil aliud sit præter terram, sanè etiam excellentiori animi naturæ dedit, ut nihil aliud sit, quam Animus. Nam si terra animo deterior, tota terra est, ut a sui natura rejiciat quidquid terra non est, seù a terræ substantia alienum est, non video, quare Animus terra longè præstantior, nequeat pariter esse totus Animus, ut aliquid aliud in se ipso amplectatur, quod non spectet ad Animum. Hoc autem fusius prosequemur in nostris investigationibus, quin etiam ostendemus in secunda, & Tertia Parte hujus operis.

Legitima Animæ humanæ definitio in medium affertur ab Augustino.

Postquam autem firmaverit Augustinus, humanum Animum nihil aliud esse præter Animum, deindè descendit ad aperiendum quid sit hoc, quod in homine nihil aliud est præter Animum, claram scilicet, ac legitimam notionem Animæ humanæ tradere enititur. Quæ sanè notio, claris vocibus ab Augustino exposita, legitimam, ac sinceram Animæ definitionem complectitur, qua summoperè humanæ mentis suprà cuncta corpora dignitas, & præstantia extollitur. En Augustini Definitio de humanæ Animæ natura.

Sub-

Substantia Rationis particeps, corpori regendo accommodata.

IAm singulas hujus præclare definitionis particulas accuratè expendamus. Anima humana dicitur primò substantia, res nempè se ipsa exiſtens, nulli subjecto a se diverso scilicet inhærens, quod propriè solis incorporeis, & insectilibus naturis convenit, nomen enim substantiæ propriè Monadi nimirum Vnitati congruit, cujus inter res creatas insigniora vestigia, ac delineamenta insectiles, & inextensæ naturæ sunt, quæ post immutabilem, & Archetypam Vnitatem secundæ, & derivatæ substantiæ nomen obtinent. Nam ut in nostris Investigationibus ostendemus sola, & Increata Unitas verè substantia est, ob quam rationem a nobis substantia prima, & exemplaris nuncupatur, cujus præstantissima vestigia, & imitamenta res indivisibiles à corporis mole alienæ sunt. Quapropter secundas, & repræsentativas substantias illas nominamus, juxta quam Doctrinam, quæ sana est, & quammaximè consonat Rationi, res sectiles, & corporeæ, quæ haud unitatis sed numeri naturam redolent, verè non sunt substantiæ, non enim se ipsis, sed Vnitatis, undique in Vniverso corporeo regnantis virtutè, & potestatè existunt. Idcircò cum humanus Animus ut potè insectilis & incorporeus mirum in modum ad exemplaris, & primæ Vnitatis elegantiam, & perfectionem accedat, sapienter Augustinus illum substantiam appellat; quod posteà planius explanat subdens. *Rationis particeps*, Etenim nomine Rationis hic venit incommutabilis, & sempiterna sapientia, quæ ipsius met Dei Ratio & vita est. Divina autem sapientia ipsum incommutabile verum est, cujus virtute vera sunt, quæcunque sunt, atque adeò ipsamet exemplaris Vnitas est, in qua tota, & omnigena perfectio simul, & simplicissimè clauditur, cujus humanus Animus insigniter particeps est; Si quidem illius Intelligentia necessariò summo, & immutabili vero conjungitur, in quo, tanquam in luce singulis creatis mentibus affulgente, primas, & æternas rerum Rationes intuetur. Quin etiam humanus Animus dicitur ingenitæ sapientiæ particeps, quia sicuti hæc se ipsa semet ipsam cernit, ac intelligit, ita & ille non tantum se ipsum, verum etiam & ipsum immutabile verum se ipso, nullo alio mediante videt; Est igitur humanus Animus insignissimum quoddam immutabilis Rationis, seù ingenitæ sapientiæ Imitamentum, dum autem hic ad supremam, & exemplarem Rationem tendit, tanta vi tantaque dignitate exornatur, ut nulla res creata sit, quæ præstet humano Animo, cui tanquàm infimioris ordinis obtemperat, ac subditur corpus; hinc præclarè definitionem claudit Augustinus dicens, *Corpori Regendo accommodata*, quibus verbis nos incomparabilis Doctor admonet, humanum Animum ex liberrima Dei facientis intentione corpori organico concessum esse non ut ei obediat, ac inserviat, sed ut illud regat, ac moderetur; Collocavit enim Deus infimius corpus sub præstantioris Animæ imperio, ac regimine, ità pulcherrimo rerum ordine exposcente, inferiora enim superioribus subjacent, idcircò verum agendi principium in homine Animus

Sola perfecta Unitas verè substantia est.

Anima insignius veræ substantiæ seu unitatis vestigium.

Quo pacto humanus Animus sit Rationis particeps explicatur.

Creata Mens increate Sapientiæ conjungitur.

Rationalis Anima ingenitam sapientiam imitatur.

Animus corporis Rector & Dominator.

Anima rationalis infra Deum supra corpora collocata.

mus est, qui, ùt loquitur Augustinus in Libro de spiritu, & Anima, semper vivens, ac semper in motu, corpus animat, ac vivificat, cujus vita, & robur est. In hac tandem ultima particula Augustinus admirandum divinæ Sapientiæ artificium, quo incorporeus, & immortalis Animus sectili, & caduco corpori copulatur, innuere videtur, nihil enim in homine admirabilius, quàm unio, & nexus spiritus, & carnis, corruptibilis corporis, ac sempiternæ Mentis; de qua Animæ, & corporis unione fusè in meis Investigationibus agam.

Animus, admirando quodam artificio corpori conjunctus.

In hac denique definitione humanus Animus quodammodò collocatus inter Deum, & corpus jacet, nam dum dicitur. Rationis Particeps, immutabili vero, quod Deus est, conjunctus nobis exhibetur, quæ quidem conjunctio necessaria, & indispensabilis est Animo, cujus vita, ipsa immutabilis Ratio est, à qua citrà sui interitum sejungi animus minimè potest. Cum verò subdit Augustinus, *Corpori regendo accommodata*, Animus dispensabili, ut ità dicam, & contingente unione corpori associatus representatur, dicitur enim aptatus à Deo corpori, ut illud regat, & custodiat, qui modus loquendi satis indicat, unionem Animi cum corpore non ortum ducere ex ipsamet natura Animæ, sed ex libera Dei voluntate, statuente, ut Animus, per se existens, nullius corporis indigus, corpori regendo accommodetur. Idcircò duplex Animi unio, & habitudo in Augustinensi Definitione exprimitur, prima, quæ essentialis, & immutabilis est, ea est qua Animus ad immutabilem & æternam Rationem refertur, ratione cujus, & immortalis, & intelligens, ac omnibus corporibus longè præstantior est Animus. Altera vero unio, & habitudo dispensabilis tamen, & ad creantis Naturæ arbitrium procreata est, qua inextensus, & sempiternus Animus ad caducam corporis naturam tanquam Rector, & moderator refertur, quæ si pereat ac destruatur, incolumis tamen a corpore solutus manet, & subsistit Animus.

Animus veritati necessario, corpori vero ex creantis Naturæ arbitrio conjungitur.

Prima, ac digniori Animæ humanæ ad immutabilem Rationem habitudine omninò posthabita, mortalis, carnalisque Philosophia humanam Animam, tantum ut formam corporis, seu ut substantiam ad corpus ordinatam considerat, à qua si quid sit Anima, expostules, illicò audacter respondebit, Anima est forma corporis, seù actus corporis organici potentiâ vitam habentis. En infelix, ac nimis tenebrosa Animæ humanæ definitio, quam Ethnicorum philosophantium cæcutiens, ac larvata sapientiâ excogitavit? Quid enim obscurius, ac Animæ dignitati injuriosius dici poterat? Siquidem in hac vulgari definitione, omissa vocum, ac terminorum amphibologia, & confusione, valdè quidem dedecoratur Animus, dum ad caducum, & viliſſimum corpus tantummodò fertur, ut nihil aliud concipiatur esse, nisi species, forma, & perfectio quædam organicæ materiæ, per quam habitudinem ad corpus non solum non exprimitur immortalis, intelligens, & inextensa Animæ nostræ natura, verum etiam & cum ipsis irrationalibus animis confunditur, quæ non minus ac illa, organica corpora pro modo suo vivificant, ac perficiunt. Spuria autem ac prorsus abjicienda est definitio illa, qua haud extollitur, sed potius deprimitur Animæ nostræ dignitas, cujus ope nimirum, infimum, ac contingens, ut cum scholis loquar, Animæ attributum, non verò illustrius, ac necessarium exprimitur, Prima

Mortalis Philosophia cum corpore, haud enim incommutabili veritate intelligentem confert Animam.

Vulgaris Animæ definitio Homini dignitatem minuit, non adauget.

ma enim, & insignior Animæ nostræ proprietas non est corpori conjungi, sed immutabili, & immortali Rationi copulari. Hinc valdè miror, quo pacto Christiani Philosophi, quibus mirificè Animæ nostræ dignitas, & supra cuncta corpora excellentia innotescit, adeò lubenti animo tam obscuram ac læthalem definitionem de Animæ natura amplexa fuerint, saniori, ac legitima Augustini definitione penitus neglecta, in qua, dum Animus primò immutabili Vero jungitur, deindè ut altioris ordinis ad corpus regendum ordinatur, insigniora Religionis, & Christianæ Moralis Elementa mirum in modum delitescunt, verus enim cultus, vera Religio, ac salubris æthica hùc tendunt, ut humanus Animus ità agat, se ipsum moderetur, ac vivat, ut immutabili Rationi secundum æternæ legis dictamina obediat, infimiori verò corpori imperet; Debet enim Animus semper inservire Rationi, cujus est particeps, imperare verò corpori, ad cujus absolutum regimen destinatur; hoc enim pacto dum fruenda Ratione fruimur, utendo verò corpore utimur, vera, & illibata Religio in Animo efflorescit. Quæ omnia in Augustinensi Definitione, si diligenter à nobis rutinetur, clausa, & latentia procul dubio inveniemus.

In allata Animæ definitione insigniora Religionis, & rationalis Ethicæ rudimenta claudiuntur.

CAPVT XIV.

TEXTVS.

ITaque illud potius attende, undè ambigitur nunc utrum quantitas, & quasi, ut ita dicam locale spacium animo ullum sit. Nam profectò quia corpus non est, neque enim aliter incorporea illa cernere valeret, ut superior ratio demonstrabat, procul dubio caret spacio, quo corpora metiuntur; Et ob hoc rectè credi, aut cogitari, aut intelligi talis ejus quantitas non potest. Si autem te movet, cur tanta cæli, terræ, marisque spacia memoria contineat, cum sit ipse nullius quantitatis, mira quædam vis est, quam tamen ex iis quæ a nobis comperta sunt, quantum inest ingenio tuo luuinis animadvertere potes. Si enim corpus nullum est, ut ratio jam ostendit, quod longitudine, latitudine, altitudine careat, nihilque horum nisi cum aliis duobus esse in corpore potest, animo tamen etiam solam lineam interiore quodam oculo id est intelligentia videre concessum est, arbitror nos concedere sic animum corpus non esse, ut sit corpore melior, quo concesso non opinor dubitandum esse, eum etiam lineà esse meliorem. Ridiculum est enim, cum tria illa insint corpori, ut corpus sit, non his omnibus esse meliorem, qui corpore est melior. At ipsa linea, qua melior esse convincitur animus, ideò cæteris duobus præstat, quia minus quam illa duo secari

 potest.

potest. Porrò illa duo eò magis secantur, quam linea, quo magis se in spatium destendunt, linea verò spatium nisi longitudinis nullum habet, quo sublato nihil omninò remanet spatii: Quapropter quidquid liuea melius est, necesse est nullo spatio sit, & omninò dividi, secarique non possit. Frustra igitur, ut opinor, quantitatem Animi, quæ nulla est, invenire laboramus, cum eum linea concedamus esse meliorem.

Etsi figurarum omnium planarum illa optima est, quæ circulo effingitur, in qua ratio docuit nihil melius esse puncto, atque potentius, quod nullo dubitante partibus caret. Quid mirum si anima neque corporea sit, neque ulla, aut longitudine porrecta, aut latitudine diffusa, aut altitudine solidata, & tamen tantum valeat in corpore, ut penes eam sit regimen omnium membrorum, & quasi cardo quidam in agendo cunctarum corporalium motionum. Cum autem oculi medium, quæ pupilla dicitur, nihil aliud sit, quam quoddam Punctum oculi, in quo tamen tanta vis est, ut eo dimidium cælum, cujus ineffabile spacium est, ex aliquo eminenti loco cerni, collustrarique possit, non abhorret à vero animum carere omni corporea magnitudine, quæ tribus illis differentiis consumatur, quamvis corporum magnitudines quaslibet imaginari queat.

Sed paucis licet ipso animo animum cernere, idest, ut ipse se animus videat, videt autem per intelligentiam. Huic soli enim licet videre nihil esse in rebus potentius, & magnificentius iis naturis, quæ ut ita dicam, sine tumoribus esse intelliguntur. Tumor enim non absurdè appellatur corporis magnitudo, quæ si magni pendenda esset, plus nobis profecto Elephanti saperent. Quod si quisquam eorum cognatus dicet elephantos esse sapientes, sensi enim quamvis admirans, etiam hinc homines sæpe ambigere, illud quantum opinor saltem concedet plus Asino sapere Apiculam, quorum comparare magnitudines plus profectò est, quam asininum. Vel quod etiam de oculo dicebamus, cui non liqueat aquilæ oculum multò quam noster est, esse breviorem? Quo tamen illa sublimè ita volans, ut à nobis in tanta luce difficilè cernatur, latentem sub frutice lepusculum & sub fluctibus piscem videre comperta est.

Quod si in ipsis sensibus, quibus nisi corporea sentire non datum est, nihil ad rem, idest ad vim sentiendi valet corporis

magni-

magnitudo, metuendum nè eſt quæſo, ne Animus humanus cujus excellentior, & pene ſolus aſpectus eſt ipſa Ratio, ideſt ſe ipſum omni magnitudine qua obtinetur locus carere conviceritt? Magna quædam, crede mihi, magna, ſed ſine ulla mole de Animo cogitanda ſunt. Quod facilius contingit iis, qui aut benè eruditi ad hæc accedunt non ſtudio inanis gloriæ, ſed divino amore veritatis accenſi, aut qui jam in his quærendis verſantur, quamvis minus eruditi ad inveſtiganda ea venerint, ſi patienter hominibus ſe dociles præbent, atque ab omni Corporum conſuetudine quantum in hac vita permittitur, ſemel avertunt. Fieri autem non poteſt quadam divina Providentia, ut religioſis Animis ſe ipſos, & Deum ſuum, ideſt Veritatem piè, caſtè, ac diligenter quærentibus, inveniendi facultates deſint.

EXPOSITIO.

An Animæ Quantitas, ſeu locale Spatium inſit?

ANimæ natura expoſita, ad præcipuam ac difficillimam quæſtionem redit Auguſtinus, an ſcilicet Animus ſit quantus, ſeu ut ipſe ait, an Animo quantitas, ſeu locale ſpacium inſit, non enim corporis quantitatem ab ipſius met ſpatij dimenſionibus ſecernit, ac diſtinguit præclariſſimus Doctor, apud quem idem ſonare videtur corporea quantitas, ac locale ſpatium. Quærit namque utrum Animo corporis quantitas, ſeù locale ſpatium inhæreat. Quæſtionem tamen jam ſe ſolviſſe cenſet, ſi quidem oſtenſum eſt Animum non eſſe corpus, ſi incorporea cernit, atque adeò meliorem, ac præſtantiorem eſſe corpore, Cum autem corpus, aut ipſum met ſpatium ſit, aut in ſpatjis diſtendatur, Animus, qui melior eſt corpore, neceſſum eſt, ut omni quantitate, & ſpatio, quo menſurantur corpora, careat; Quapropter nulla Quantitate corporis conſtat Animus. Quod ſequenti ratione deindè roborat, ac firmat. Nullum exiſtit corpus, quod non ſit trinè dimenſum, in quo nimirum longitudo, latitudo, & altitudo non eluceant, quæ quidem tres dimenſiones corpus conſtituunt, quarum quælibet niſi & aliæ duæ adſint, nunquam reperitur in corpore; Atqui dum humanus Animus has dimenſiones in corpore conjunctas interiori Intelligentiæ oculo mutuò ſeparat, ac diſtinguit, lineam à ſuperficie ſejunctam, ut nudam longitudinem intuens, corpori neceſſariò præſtat, nam ſi corpore melior non eſſet, nullo modo incorpoream Lineam cerneret, neque incorporeus eſſet; Eſt igitur Animus melior, ac præſtantior ſingulis dimenſionibus corporis ſigillatim acceptis, nam ſi corpori excellit, oportet, ut antecellat etiam ſingulas dimenſiones, quæ ſimul conjunctæ ipſum corpus ſunt. Eſt igitur Animus melior Linea.

Animum & linea & corpore meliorem eſſe oſtenditur.

Liceat tamen mihi ſequenti argumentatione Auguſtini Principium, Animum ſcilicet meliorem eſſe Linea, roborare. Animus non tantum ſe ipſum ſcit, quem ignorare nequit, verum etiam & ipſam Lineam intelligit, quam ſcit non eſſe latam, aut profundam, quin etiam dum Lineam

Auguſtini ratiocinium roboratur.

cęteris dimensionibus veluti purgat, atque soli, & nudę longitudini restituit; veram naturam quodammodo tribuere videtur Lineę, quę in corpore, cęteris adnexa dimensionibus, spuria, ac falsa est, vera tantum in Animo, in quo ab alijs corporis dimensionibus, ac mensuris soluta est. Jam dum Animus conscius est Lineę, cui, ut ita dicam, vitam, ac veram existentiam elargitur, linea sui ipsius nescia est, ac se ipsam ignorat; Melior igitur animus linea est, nam, & se ipsum, & Lineam intelligit, atque Lineę veram naturam concedit, perfectius enim est id, quod sui ipsius aliarumque rerum conscium est, aliisque rebus veram naturam tribuit, quam sit id, quod se ipsum, & cętera ignorat, & a re perfectiori suam veluti existentiam, ac verum esse emendicat.

Animus veram intelligit, & quodammodo procreat lineam.

Si autem, prosequitur Augustinus, Animus pręstantior est linea, opus est, ut omni locali spatio, corporisque quantitate prorsus careat; Etenim ideò Linea melior, ac insignior est superficie, quia minus dividi, & secari potest, quam superficies; Jam enim demonstravimus, eò rem perfectiorem esse, quo magis a divisione removetur. Superficies verò ideò plus dividi potest, quia magis distenditur in spatium, cujus longitudinem, & latitudinem implet; Linea verò minus secari potest, quia minus per Spatium exporrigitur, tantum enim in ea continetur Spatium longitudinis, quo sublato, linea cum Spatio perit; Nam dum nulla corporis dimensio manet, tota interit extensio, atque adeò, & Spatium evanescere necessum est. Si igitur Animus melior est Linea, oportet, ut careat longitudine, dum autem longitudinem a se rejicit Animus, profectò a quantitate, & spatio abhorret; Frustrà igitur laboramus, ut statuatur quantus sit Animus, si hic spatii, & quantitatis expers est.

Incorporeus est Animus, si linea melior est.

Et si figurarum omnium planarum &c.)

Nunc autem denuò nobis sese offert celebris difficultas, quam sibi proposuerat Augustinus in Capite 5. Si Animus magnus non est, seu corporis magnitudine, & quantitate caret, Spatio quidem omni destituitur; Si autem nullum animo spatium inest, qua ratione fieri potest, ut ingentissima terrę, marisque spatia memoria complectatur? concipi enim non potest quo pacto amplissimas immanium corporum imagines in se contineat id, quod corporis magnitudine, & quantitate omninò caret. Huic difficultati impavidè occurrens Augustinus solidè respondet, ex hoc quod Animus corporum magnitudine, & mole denudetur, haud imbecillem, ac viribus destitutum, sed ex adverso potentiorem ac validiorem esse infertur; Nihil enim tam potentius, tam robustius quam res insectilis, a corporumque mensuris sejuncta; Nam eò majori vi, & prætantia pollet res, quò magis a partium multitudine recedens accedit ad Unitatem, quæ omnium rerum insignissima, & potentissima est. Cum ergò proprius ad Unitatẽ accedat natura insectilis, & incorporea, quam ea, quæ partibus, & mole instruitur, evidenter deducitur, indivisibilitatem atque molis defectum haud extinguere, aut minuere, sed potius animi vires fovere, & admirandum in modum augere, ut magis capax, magisque potens Animus sit ex hoc capite, quia insectilis est, ac mole caret. Quod, elegantissimo circularis figuræ exemplo jam suprà allato, explicat, ac acutè demonstrat Augustinus.

Animus quia insectilis, ideò potentior.

Insectilibus naturis summa quædam vis inest.

Exemplo circuli incorporei Animi vim ac prestantiam exponit Augustinus.

Omnium Planarum figurarum insignissimus, ac perfectissimus est Circulus, hæc autem maxima circuli perfectio tota sita est in natura

æqua-

æqualitatis, quæ maximè in circulari ſuperficie regnat, ſumma verò & circuli æqualitas ortum ducit à Puncto medio, nempè ab inſectili, & inextenſo ſigno in circuli centro collocato, quod circuli æqualitatem tuetur, ac moderatur: ex quo oritur, nihil in planis figuris potentius, ac præſtantius eſſo Puncto, Punctum autem partibus, corporiſque menſuris penitus caret, nam inſectile eſt, & inextenſum, ſumma igitur vis, & potentia etiam in ipſis corporeis naturis tota collecta in inſectili & inextenſo Puncto clauditur, ac viget; quid igitur mirum ſi Animus ſuaptè naturâ inſectilis corporiſque mole denudatus tantum poſſit, ac valeat, ut & memoriâ ampliſſimorum corporum immanes contineat imagines, & penes eam ſit regimen omnium membrorum, & quaſi cardo quidam in agendo cunctarum corporalium motionum. Corrigat ergò ſuum errorem carnalis homo; non tantum mole, & partibus carere, non obeſt animo, verum etiam illum ſummoperè juvat, ut ampliores, ac ingentiores vires habeat, cujus energiam, ac robur læderet, ac minueret, minimè augeret ſectilium corporum moles. Plura enim, ac majora capit res inſectilis, aut minoris magnitudinis, quam quæ in partes ſcinditur, & majori mole laborat. En oculi medium, quod pupillam nuncupamus, quid quæſo tibi videtur eſſe, niſi inſectile Punctum in orbica oculi figura collocatum? At quanta quæſo eſt Pupillæ potentia, & capacitas? quæ cum ex aliquo ſublimi loco Cælum ac Terram oculis cernimus, ac perluſtramus, Immenſam veluti ſenſibilis Mundi medietatem, totum ſcilicet hemiſpherium in ſe claudit, & amplectitur? Si Ergò in minutiſſima, & quodammodo indiviſibili pupilla tam vaſtiſſima Cæli, terræque imago reſtringitur, & abbreviatur, nemo ſanè deinde miretur, ſi Animus, qui prorſus inſectilis eſt, & pupilla præſtantior, tantum valeat, tanta polleat capacitate, ut in illius memoria, atque imaginandi facultate tot amplæ, ac immanes ingentium corporum, & immenſorum ſpatiorum ſimilitudines, & imagines excriptæ claudantur. Concludit ergò Auguſtinus nullo pacto abhorrere à vero, Animum carere omni corporea magnitudine, quæ tribus illis differentjis, nempè ſpatiorum dimenſionibus conſumatur, quamvis corporum magnitudines quas libet imaginari queat.

Summæ circularis figuræ vis ab inſectili naturæ profluit.

In geometricis figuris nihil Puncto præſtantius ac robuſtius.

Sed paucis licet ipſo animo &c.)

Ut Animus ſe videat ſatis ſibi eſt, nullo alio a ſe diverſo indiget. Videt enim ſe per ſe ipſum, per rationem nempè, & intelligentiam, quæ ipſemet Animi viſus, & aſpectus eſt, quo verum omni ſemoto corpore contemplatur. Dum autem Animus in ſemet ipſo ſe ipſum cernit, illicò dùm ſe omni mole corporis carere percipit, planiſſimè intelligit, nihil eſſe in rebus potentius, & magnificentius his naturis, quæ, ut ita dicam, ſine tumoribus eſſe intelliguntur, tumor enim non abſurdè appellatur corporis magnitudo; ſiquidem tota vis, totuſque vigor Vniverſi originem quidem trahit a validiſſima Vnitate, quę ſingulis creatis rebus vitam, elegantiam, ac vires impartitur, ut nihil ſanè ſit Vnitate magnificentius, ac prę ſtantius; Unitas autem inſectilis prorsùs eſt, partibus, & mole carens, ut nullo modo tumeat, ſed à quovis corporum tumore maximoperè abhorreat. Hinc nihil ad rerum poteſtatem, & vim augendum corporis tumor, ſeù magnitudo confert, quæ ſi magni pendenda eſſet, rerumque virtutem foveret, magis quidem ſa pe-

Animus ſe ipſum in ſemetipſo videns, inſectilem & inextenſum eſſe confeſtim intelligit.

Nihil incorporeis rebus potentius ac magnificentius.

ſaperent elephanti, quam homines, cum magis tumeat corpus in primis, quàm in ſecundis, quod ſi aliquis a veritate aberrans ambigat, an majori intelligentia gaudeant Elephanti quàm Homines, nihilominus in dubium neutiquam verti poteſt plus Aſino ſapere Apiculam, cujus in rebus domeſticis moderandis, ac diſponendis ſolertia magna, & mira eſt: Apiculæ tamen moles adeo ab Aſini magnitudine exceditur, ut plus quam Aſininum eſſet, utriuſque molem invicem comparare.

Quæ minus corporeæ molę tument valentiora ſunt.

Idcircò ſubdit Auguſtinus, Animantum ſenſus eò perſpicacior, & vegetior eſt, quo minus corporis organa tument, nam quò hec ſubtiliora, & minutiora ſunt, eò validior ſenſus ex illis emergit. Quod pulcherrimo Aquilę exemplo exponit pariter, & oſtendit Auguſtinus. Si quidem, ait, Aquila dum volans ſublimiora petit, ad huc ſub frutice lepuſculum & ſub fluctibus piſcem videre comperta eſt. Hæc tamen ſumma videndi vis, & perſpicacia in breviſſimo oculo continetur. Si igitur in ipſis corporis ſenſibus, qui tantum corpora percipiunt, nihil ad rem, ideſt, ad vim ſentiendi valet corporis magnitudo, quæ potius carneis ſenſibus nocet, quam prodeſt; nihil ſanè deinde metuendum eſt, quod Animus corporeo ſenſu perfectior, & prętantior nihil ſit, aut nihil cernere valeat, ſi partibus, corporiſque mole careat. Etenim ſi Animus ipſa met Ratio eſt, qua & ſe ipſum, & incommutabile Verum inſpicit, quę omnia incorporea ſunt, manifeſtè ſequitur, multò minus quàm corporei ſenſus, corporum dimenſionibus, ac tumore indigere; nam ſi ad ipſa met corpora ſenſibus percipienda nihil, aut parum valet moles, ac magnitudo organorum, quantò minus hęc valebit, ut Animus intelligendo inſectiles, ac incorporeas res cernat, & contempletur?

Veritas iis tantum manifeſtatur, qui pie & caſte illam inquirunt.

In hoc capite tandem Auguſtinus rationem aperit, cur pauci ſint inter homines, qui tam illuſtrem, ac ſalutarem veritatem intelligant, Animam ſcilicet magna, & mira poſſe, quamvis corporis mole, & quantitate careat. Hinc duplex genus hominum diſtinguere videtur, primum amplectitur eos, qui etſi in literarum, & humanæ eruditionis ſtudio verſantur, diſciplinas tamen, & artes non divino quodam veritatis amore capti, ſed inanis gloriæ cupiditate accenſi potiſſimùm exercent, quibus immutabile Verum intus cernere minimè conceſſum eſt; nam dum non veritatem, ſed popularem plauſum, ac vanam exiſtimationem amant, & inquirunt, inepti potius fiunt ad evelandum verum, quod tantùm iis ſe videndum prębet, quorum ſtudium, & exercitamenta nudam veritatem pro ſcopo habent. Alterum verò genus continet eos, aut qui ſolum Verum caſtè, & piè proprię ſaluti conſulentes inquirunt, ac optimè eruditi ſaniorem, magiſque ſagacem verum venandi methodum callent; Aut qui etſi non multum in artium, ac doctrinarum ſtudio verſati, attamen ſapientioribus hominibus haud contumaces obſiſtunt, ſed ſe dociles prębent, quin etiam quantum nobis in hac vita permittitur ſeſe à corporum conſuetudine avertunt, qui nimirum animi conſiderationem ab omnibus corporeis ſenſibus tanquam impedientibus, & perſtrepentibus avocantes, intus in ſe ipſis, haud deforis per extraneas naturas vagantes, ſe ipſos, ac ſuum Authorem cernere, & contemplari ſtudent, quibus apertè docet Auguſti-

gustinus, divinitus datum esse, ut tandem salutare Verum, quod tanto-perè exoptant, & investigant, sibi detegant, & aperiant. Etenim quadam Divina Providentia fieri nequit, ut Religiosis animis se ipsos, & Deum suum, idest veritatem piè, castè, ac diligenter quærentibus inveniendi facultas desit. De qua re fusè in nostra salutari Admonitione agemus.

CAPVT XV.

TEXTUS.

SEd ab ista quæstione nisi quid te adhuc moveat, jam recedamus, si placet, & ad alia transeamus; quidquid autem de illis figuris loquacius a nobis fortasse disputatum est, quam volebas, videbis quantum ad alia valebit, si hanc disceptationem aliquid eo adiutam esse concedis. Nam & exercet Animum hoc genus disciplinarum ad subtiliora cernenda, ne luce illorum repercussus & eam sustinere non valens, in easdem tenebras, quas fugere cupiebat, libenter refugiat, & affert argumenta, nisi fallor, certissima, quibus quod fuerit inventum atque confectum non nisi impudentem habeat dubitationem, quantum homini talia investigare permissum est. Impudens dubitatio duobus modis fieri cognoscitur. Dum aut homo, qui ratione uti potest, in tantum habes, piger que ad quærendam veritatem efficitur, ut plus velit in tenebris vanitatis remanere, quam in eo, quod à Creatore suo est conditus ad se ipsum semel, & Deum suum vera ratiocinatione invenien-dum, investigandumque laborare, aut improba contumacia ea, quæ ab aliis laborantibus studiosè, & piè quærentibus, & inventa, & confecta sunt, inveniri, & confici posse dubitare, neque aliam ob causam faciunt, nisi quod a semet ipsis inventa non sint. Quod genus invidiæ impudentissimum esse, ratio probat:

Minus enim ego de his rebus dubito, quam de his, quas istis oculis videmus cum pituita semper bellum gerentibus. Quid enim minus ferendum, & audiendum est, quam fateri nos Ratione præstare bestiis, & eam rem fateri esse aliquid, quam corporeo lumine sentimus, quam etiam nonullæ bestiæ melius

cer-

cernunt, id autem quod ratione inituemur nihil esse contendere? Quod si diceretur tale esse, quale illud est, quod oculi vident, nihil profectò dici posse indignius videretur.

Adeodatus. *Accipio ista libentissimè atque assentior, sed illud me movet, cum corporeæ quantitatis non esse Animam res ita clara sit mihi, ut omninò quemadmodum resistam illis argumentis & quide eorum non concedam, prorsùs ignorem. Primùm cur ætate ut corpus crescit, ita, & Anima vel crescat, vel crescere videatur. Quis enim neget pueros infantes, ne bestiarum quidem nonnullarum astutiæ comparandos? Quis autem dubitet illis crescentibus etiam ipsam in eis quodammodò crescere rationem? Deinde si per spacium sui corporis Anima distenditur, quomodò nullius quantitatis est? Si autem non distenditur, qnomodo sentit ubique pungentem?* Augustinus. *Omninò ea quæris, quæ me quoque sæpè moverunt. Itaque non sum imparatus tibi respondere, ut mihi soleo. Vtrum autem benè, ratio quæ te agit, judicabit, qualecunque id tamen sit, plus certè non possum, nisi forte aliquid melius cum disputamus, in mentem divinitus venerit. Sed agamus, si placet, more nostro, ut duce ratione, tu tibi ipse respondeas. Ac prius quæramus, utrum crescentis cum corpore animi certum argumentum sit quod ætatis accessu aptior humanæ consuetudini homo, & in ea magis, magisque peritus est.* Ad. *Age ut placet: Nam & ego id genus docendi, ac discendi maximè probo: Nescio quo enim modo, cum id quod nescius quærebam, ipse respondeo, sit ipsa inventio non modo rè, sed animi admiratione etiam dulcior.*

EXPOSITIO.

De mathematicarum disciplinarum prestantia & utilitate.

AC primùm in hoc capite veniam ab Adeodato petit Augustinus, si nimis prolixè & loquacius hactenus de Geometricis figuris dictum, ac disputatum est. Hinc pro re nata paucis, quanta sit Matheseos dignitas, & utilitas, aperit, atque duo præ cæteris extollit, quæ summoperè, quàm Mathematicæ Disciplinæ studium proficuum sit, ac necessarium, indicant. Primò inculcat vim, quam habet Mathesis ad humanam Intelligentiam acuendam, & exercendam, ne nimia rerum subtilitate obruatur, seu ut subtiliora, & obscuriora cernere, ac detegere valeat, multum enim prodest, ait, hoc disciplinarum genus ad subtiliora cernenda, ne luce illorum repercussus, & ea sustinere

Mathesis ingenium acuit & summopere exercet.

nere non valens, in eaſdem tenebras, quas fugere cupiebat, libenter refugiat. Adeò enim Intellectum roborat, atque juvat figurarum, & numerorum ſcientia, ut qui Mathematicas Diſciplinas exercent, aptiores, ac magis diſpoſiti ſint ad veritatem in naturæ latebris delitescentem venandam.

Deindè Matheſis exercitatione adeò evidentiæ, & certitudini aſſueſcit Animus ut ab omni opinione, ac ſubdola veriſimilitudine abhorreat, atque in Veritates tam certas, tam claras, ac firmas incurrit, ut citrà impudentiam, ac temeritatem nullo pacto eas in dubium vertere queat. Hinc nos non tam magni pendimus matheſeos ſtudium, quia pulcherrimas figurarum, ac numerorum affectiones ſumma quadam perſpicuitate aperit Animo, quam quia intelligentiam ad verum detegendum præparat, cui ardentiorem quemdam veritatis amorem inſtillat, atque legitimam Methodum certa ab incertis ſecernendi nobis manifeſtat, ut ad ſaniorem ſapientiam tandem aſſequendam diſponamus; idcircò valdè deteſtanda eſt, & improbanda audax illorum ignorantia, qui mathematicas Diſciplinas, quas ignorant, aſpernantur, atque neſcio, quo infelici humanæ literaturæ fato, tanquam ſpurias, & inutiles artes à ſcholis eliminarunt, & a Philoſophiæ ſtudio diſſociarunt. Quæ ſanè ſtultitia præcipua cauſa eſt, cur tam corruptæ, ſteriles, ac tenebroſæ hac noſtra tempeſtate artes, & ſcientiæ videantur, quæ Matheſeos vegeto ſpiritu recedente, quodammodo emortuæ, & inertes jacent. Dum autem Auguſtinus Matheſeos utilitatem exagerat, mentionem facit duplicis impudentis Dubitationis, quarum prima contingit, cum homines nolunt propria ratione uti, atque adeò quia attentionis laborem ferre nequeunt, pigri, atque hebetes ad verum inquirendum, malunt de veritate dubitare, aut in erroris & ignorantiæ tenebris manere, quam ut rationalem hominem addecet, ſemel ſaltem accuratè ſtudere, ut ſevera ratiocinatione ſe ipſos, ac Deum detegant, & inveſtigent. Alterum impudentis Dubitationis genus ab iis exercetur, qui ne ſapientiorum hominum inventis, atque cogitatis conſentire, ac ſuffragari videantur, criminoſa quadam contumacia, quæ certiora, ac evidentiora ſunt in dubium revocant, non ob aliam rationem niſi quia ab ipſis inventa, & excogitata non fuerunt. Quod genus quidem dubitationis maximoperè, ipſa docente Ratione, turpe, ac impudens eſt. De hac impudenti dubitatione agemus in noſtra diſſertatione de recta Methodo dubitandi.

Matheſis exercitatione veritati inquirende, ac opinioni profligande paulatim aſſueſcit Animus.

Inſanit qui Matheſim ut inutilem, & a Sapientiæ ſtudio ſejunctam contemnit.

De duplici impudenti dubitatione.

Minus enim ego de his rebus dubito)

His verbis redarguere, ac refellere videtur Auguſtinus præjudicatam quamdam vulgi opinionem. Vulgus enim hominum de ſolis corporeis rebus ſenſuum auxilio cogitare aſſuetum falsò putat, tantùm ea vera, & ſolida eſſe, quæ ſenſus afficiunt, ac movent, inter fictitias, ac larvatas res enumerans, quidquid ſenſum latens ſoli nudatur Intelligentiæ; quem errorem increpans Auguſtinus ait, minus ego dubito de rebus incorporeis, quæ ſola Intelligentia cernuntur, quàm de iis, quas carnis oculis inſpicimus, docet enim intelligibiles veritates, quas animo Geometriæ facultas præbet, & ſolus Intellectus percipit, majori certitudine, & evidentia pollere, quam res ſenſiles, & corporeę, quæ corporis oculis exhibentur; Hinc Animus certior eſt ſe ipſo, quàm

Incorporeæ corporeis certiora.

Manifeſtior nobis Animæ natura, quam corporis.

corpore, cui coniungitur, atque evidentius cernit ea, quæ soli Rationi manifestantur, quàm quæ sese offerunt carnis oculis, qui dum perpetuò, acri & iniquo Pituitoso humore obsessi, & agitati facile illuduntur, & distortis, ac fallacibus rerum imaginibus in fraudem impelluntur; nihil enim incertum magis, magisque obscurum, & invidens, quam id quod sensibus repræsentatur. Ex adversò autem certiora sunt, & clariora, quæ a sensuum potestate soluta sub solius Intelligentiæ imperio jacent, in quod demùm animadvertens hoc pacto ratiocinatur Augustinus. Non ob aliam causam homo præstat bestiis nisi quia Ratione gaudet, etenim præter carnis oculos interiori rationis lumine pollet, potentior igitur est, ac præstantior oculus rationis, quam carnis. Si igitur vera, ac solida sunt, quæ carneis oculis cernimus, quantò magis firma, ac vera dicenda sunt ea, quę insigniori rationis oculo prospectamus? Nam stultum esset dicere, vera esse ea, quæ corporeo lumine intuemur, quod etiam bestiis datum est, quorum aliquę perspicacius, quam nos visibili oculo cernunt, falsum verò, ac fictitium id, quod inspicimus Ratione, qua insigniter Bestias antecellimus, nisi quis velit dicere, ea quæ Ratione prospicimus, ejusdem indolis, & naturæ esse cum iis, quę carnis oculis videmus, quo sanè nil absurdius, atque a veritate alienius; ostensum enim a nobis fuit, prorsùs incorporeas esse veritates, quas in lineis, ac figuris Geometrarum nudus Animus sola ratione adhibita cernit. De qua re copiosius, ac maturius disputabimus in nostris investigationibus, cum summam spiritalium, & intelligibilium rerũ certitudinem, & evidentiam ostenderimus.

Que sensibus repræsentantur obscura, & incerta.

Sola Intelligentia ad certa & evidentia objecta convertitur.

Ad. *Accipio ista libentissimè.*)

Postremò in hoc capite validiora, magisque callida argumenta proponit Augustinus, quibus Epicuri Sectatores corporis mole, ac spatiorum dimensionibus animam constare ostendere conantur, quę sanè ob sensuum, ac vocum fallaciam plurimùm torquent ingenium, ac facilè hębetes & ineruditos homines pertrahunt in errorem, quorum primum est. Anima aucto, aut diminuto corpore, augetur pariter, ac minuitur, hinc dum pueraſcimus adeò enervis, & iners est mens, ut à quampluribus bestiis agendi virtute superetur, quarum aliquę astutiores sunt, quàm sint Pueri infantes, quorum Anima ob organorum imbecillitatem veluti torpet, ac pigrescit, in quibus dum corporis moles augetur, & quodammodò crescere Rationem videmus, quæ eò vegetior, ac validior fit, quo magis corporis magnitudo tumet. Si igitur crescit cum Corpore Animus, oportet, ut hic extensus sit & in spatiis explicatus, atque adeò quantus est, & corporeus. Alterum Argumentum est. Si Animus mole, & extensione careret, illius sentiendi vis neutiquam per universum corpus expanderetur, quod apertè adversatur experientię, ubique enim corporis organa pungas, ac vulneres, illicò sentit Animus, quod quidem non contingeret, nisi ille per singula corporis membra explicaretur, nisi scilicet quantus esset, & extensus. Jam, ratione duce ad hujusmodi difficultates robustissimè oppugnandas, ac solvendas accingitur Augustinus, atque primò quàm fallax, & inane sit Ratiocinium Epicuri ab Animi cum corpore incremento depromptum demonstrare exorditur, quod in sequenti capite pro viribus exponere curabimus.

Quæ Augustinus in medium affert dubitationes, qui Animum corpoream esse ostendere videntur.

Prima dubitatio deprompta ex Incremento Animæ dum ad augetur corpus.

Altera dubitatio accepta ex sentiendi potestate per singula corporis organa exporrecta.

Utramque dubitationē acriter oppugnare exorditur Augustinus.

C A-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [126] - 96
PUBLIC DOMAIN

CAPUT XV.

TEXTUS.

AVg. *Dic ergò utrum tibi majus, & melius duo quædam, an unum, atque idem esse videatur duobus nominibus appellatum?* Ad. *Scio aliud esse quod majus, aliud quod melius dicimus.* Aug. *Quid horum duorum est, cujus esse putes quantitatem?* Ad. *Id videlicet quod majus dicimus.* Aug. *Quid cum duarum figurarum rotundam, quadratæ meliorem esse confitemur, quantitas ne id facit, aut quid aliud?* Ad. *Nullo modo quantitas, sed illa, de qua superius egimus, æqualitas hujus excellentiæ causa est.*

Aug. *Nunc ergò illud attende, utrum tibi videatur Virtus æqualitas quædam esse vitæ, rationi undique consentientis. Nam si aliud ab alio in vita discrepet, magis nisi fallor offendimur, quàm si aliqua pars circuli, majore, minoreve intervallo, quam aliæ partes distet a Puncto. An tu aliter existimas?* Ad. *Imò assentior, & hanc quæ abs te descripta est, probo virtutem. Nam & ratio non dicenda est, aut existimanda, nisi vera, & cujus vita per omnia congruit veritati, is est profectò vel solus, vel certè maximè qui benè, atque honestè vivit, & qui ita est affectus, solus habere virtutem, & ea vivere judicandus est.* Aug. *Probè dicis. Sed certè etiam illud vides, ut opinor, similiorem esse virtuti circulum, quam figurarum planarum aliam quamlibet. Hinc est enim apud Horatium magnis laudibus solemus extollere illum versum, quo ait, cum de sapiente ageret: Foris & in se ipso totus teres atque rotundus. Et rectè. Nam neque in Animi bonis quid quam invenis, quod magis sibi ex omni parte consentiat, quam virtutem, neque in planis figuris, quam circulum. Quamobrem si circulus non magnitudine spacii sed quadam conformatione cæteris præstat, quanto magis de virtute existimandum est, quod non majoris loci occupatione, sed divina quadam congruentia rationum, atque comordia cæteras affectiones animi superat? Cum autem puer proficit laudabiliter, ad quam rem magis quam ad virtutem proficere dicitur?*

non tibi videtur. Ad. *Manifestum est*. Aug. *Non igitur tibi debet videri animus sicut corpus crescendo cum ætate proficere; proficiendo enim ad virtutem pervenit, quam fatemur nulla spacii magnitudine sed magna vi constantiæ pulchram esse, atque perfectam. Et si aliud est majus, aliud melius, ut jam dedisti, quidquid anima cum ætate proficit, compositque Rationis fit; non mihi videtur fieri major, sed melior. Quod si membrorum id faceret magnitudo, eò quisque prudentior esset, quo longior, aut validior, quod se aliter habere non opinor, negabis*. Ad. *Quis istud negaverit? Sed tamen cum proficere animam per ætatem etiam tu concedas, miror qui fiat ut omnis quantitatis expers, & si non membrorum spacio, at certè temporis adjuvetur*.

EXPOSITIO

TOtus hìc, Augustini conatus est, ut ostendat, crescente corpore non mole, sed virtute tantum augeri Animam, quæ ætatis accessu haud major, sed melior fiat. Idcircò sequenti modo ratiocinari exorditur. *Majus, & Melius* neutiquam eadem res diversis expressa nominibus sed duæ res diversæ, & invicem discrepantes sunt, ut aliud revera sit esse Majus, aliud verò Melius, cujus rei præcipua ratio est, quia esse Majus pendet a quantitate, seù extensione, esse verò melius desumitur penes æqualitatis perfectionem: Hinc si crescit moles, aut extensio, res dicitur fieri major, si verò magis viget, ac insignior est æqualitas, res dicitur fieri melior, hoc autem Circuli exemplo demonstrat. Nam si circulum quadratæ figuræ comparemus, circulus haud major, sed melior quadrata superficie dicitur, non quidem ratione extensionis, nam potest contingere, ut quadrati extensio æquet, aut excedat circuli aream, & superficiem; est ergò Melior ratione tantum æqualitatis non verò quãtitatis; Si quidem ut suprà ostensum est, circulus est omnium planarum figurarum perfectissimus non ratione quantitatis, seu superficiei, cujus æquè singulæ planæ figuræ sunt participes, sed quia adeò sibi undique congruit, & concors est, ut maxima gaudeat æqualitate, a qua summè insignis circuli perfectio proficiscitur, qui ob hanc præstantissimam æqualitatem singulas ac infinitas figuras planas rectis lineis compræhensas virtute complectitur, ut infinitorum laterum poligonum a politioribus Geometris nuncupetur; quin etiam talis roboris est, ut dum rectæ lineæ associatur, cuivis geometricæ operationi tanquam necessarius artifex occurrat, atque singulis figuris progignendis subito præsto sit, quæ, nisi circulus angulum rectilineum mensurans adsit, pereunt, angulo statim intereunte, & evanescente. Aliud igitur in ipsis met geometricis figuris est esse majus, aliud verò melius, quia primum à quantitate, alterum ab æqualitate pendet.

Majus, & Melius duò sanè diversa sunt.

Æqualitatis virtute singulis planis figuris excellit circulus.

Postquam Augustinus rectè quid sit majus, quid melius explanaverit, pulcherrimam movet quæstionem, an scilicet virtus sit quædam æqualitatis species, ac tandem Ratione duce concludit, virtutem nihil aliud

Virtus quedam Æqualitas est.

esse, nisi æqualitatem, hoc enim pacto sapienter Virtutis naturam exponit. Virtus æqualitas est quædam Vitæ, rationi undique consentientis. In hac Virtutis Definitione nomine Vitæ veniunt singuli Animæ affectus, & hominis operationes, quæ voluntate influente perficiuntur, atque humanam Vitam constituunt, non tantum verò interiores, ut sunt Intelligentis Animi actiones sed etiam externæ, quibus nempè tanquam Instrumenta corporis organa immiscentur, ut loqui, sermocinari &c. nomine verò Rationis veniunt primæ manifestissimæ, & immutabiles Veritates, quarum ingenitas quasdam notiones complectitur Animus, seù venit ipsa Increata sapientia, ipsumque incommutabile Verum, cui humana conjungitur Intelligentia. Jam sensus definitionis est, Virtutem nihil aliud esse nisi Animæ affectuum, & operationum concentum, & harmoniam quamdam, seù adeò congruam dispositionem, ut undique, & quavis ex parte Rationi, seù immutabili Veritati æquè consentiant, perfectè congruant, ac respondeant. Hæc autem constantissima congruentia, seu concordia humanæ vitæ, & Rationis, nihil aliud quidem est nisi æqualitas, cujus virtute altera res alteri rei prfectè congruit, ac consentit; eo modo quo duæ lineę rectæ æquales invicem esse dicuntur, cum mutuò perfectè congruunt, ut si altera alteri superimponatur, neutra alteram excedat, aut deficiat ab altera. Quapropter tunc homo laudabiliter ad virtutem proficere. atque honestè, & rectè agere dicitur, cum ità illius affectus, & actiones invicem disponuntur, ut singulæ æquè ad ejusdem Rationis centrum, ut ità dicam tendant, cui perfectè consonent; Hinc cum aliqua vitæ actio ab alia discrepat, quod sanè contingit cum non æquè singulæ hominis actiones Rationi congruunt, magis sanè nos offendit, quam si quis diceret, unam partem circularis Perimetri magis a centro distare, quam altera pars, quæ minus a centro removeatur.

Virtutis natura detegitur.

Hoc autem clarius innotescet, si advertamus, veram ac legitimam virtutem, ipsam met Justitiam, seù amorem ordinatum esse, in quo propriè hæc summa, & præstantissima virtutis æqualitas effloresçit, dum enim humanus amor ordini congruit, ac conformatur, undique hominis Vita Rationi consentit, amor enim ordinatus excessum ac defectum a se penitus abjiciens, quædam perfecta æqualitas est, cujus natura veluti in medio collocata, ab excessu, & defectu summopere abhorret, tunc enim ordinatè amamus, cum noster amor ita perfectè Rationi consonat, ut neque illam excedat, aut ab ea deficiat, ut neque infrà Rationem, neque suprà, excedendo, aut deficiendo, ut ita dicam, excurrat, hinc semper Rationi concors, minoribus rebus minorem, majoribus majorem, maximis vero maximum se præbeat, atque se exactissimè accommodet, quod cum a nobis ad usum revocatur, honestè vivere atque laudabiliter ad Virtutem verè proficere dicimur.

Virtus ipsemet Amor ordinatus est.

Amor ordinatus perfectionem amplectitur Equalitatis.

Quapropter ait Augustinus, rectè Virtus non cuilibet planæ figuræ, sed tantum circulo comparatur; nam sicuti circulus perfectè æqualis, ac sibi in se ipso constans est ob summam concordiam, & consonantiam suarum partium cum eodem puncto medio, a quo illæ undique æque distant, ita & Virtus quidam quodammodo humanarum operationum, & affectuum circulus est, cujus singulæ partes undique Rationi congruant, & summa quadam æqualitate consentiant, ut nulla ab altera discre-

Quare Virtus circulo comparetur?

discrepet. Hinc est, prosequitur Augustinus, quod apud Horatium magnis laudibus solemus extollere illum versum, quo ait, cum de Sapiente ageret: Foris, & in se ipso totus teres, atque rotundus. Et rectè. Nam neque in Animi bonis quidquam invenies, quod magis sibi ex omni parte consentiat, quam virtutem, neque in planis figuris quam circulum. Equalitas igitur quædam virtus est, quæ in quadam concordia rationis, & vitæ consistens, verè insectilis, & incorporea est, nulla sanè spatiorum magnitudine, corporisque mole tumens, cum sensus prorsùs effugiat, solique pateat Intelligentiæ; quamobrem si circulus non spatii magnitudine, & extensione, sed ratione suæ præstantissimæ equalitatis, perfectæ scilicet suarum partium conformationis, & congruentiæ cæteris planis figuris præstat; quantò magis existimandum est de Virtute, eam non mole & spatiorum dimensionibus, quibus omninò caret, non majoris scilicet loci occupatione cæteras affectiones animi antecellere, sed tantum divina quadam congruentia, atque concordia Rationum, quæ summa quędam æqualitas est, nullo modo à quantitate, & mole pendens.

Cum ergò, subjungit Augustinus, Puer crescente corpore laudabiliter proficit ad virtutem, cum scilicet magis ad virtutem accedit, hujusmodi virtutis incrementum in Animo crescente non majoris loci occupatione, majorisque molis accessu, sed majori quadam vitæ, & Rationis congruentia, & concordia perficitur, ut dum in Animo virtus roboratur magis, magisque augetur, haud major, sed melior fieri dicatur Animus, nam si virtutis incrementum à molis augumento penderet, non vero ab incorporea, & pulcherrima æqualitate, prudentiores, ac sapientiores essent ii, qui majori corporum magnitudine constarent, quod sanè ipsi met experientiæ adversatur, cum sæpissimè majori ingenio, & judicio polleant graciliores, quàm qui ampliori corporis mole tument. Cum igitur aliud sit melius, aliud majus, & primùm ab æqualitate, alterum a quantitate pendeat, evidenter infertur, quod cum crescente corpore augetur in Animo virtus, & quodammodo illius crescit Ratio, animum non fieri majorem, seu non occupare majus spatium, cujus mensuris omninò caret, sed tantum fieri meliorem, quod non a quantitate, & mole ortum ducit, sed ab ipsa met spiritali, & incorporeæ virtutis æqualitate, & perfectione, quæ nullo spatio diffunditur, atque Animum non mole majorem, sed præstantia, & dignitate meliorem reddit. Ex hoc ergo, quod crescente corpore quodammodo in Animo augeri Ratio videatur, nullo pacto sequitur quantitate, & loci dimensionibus laborare Animum, qui tantum Virtute, haud mole augetur. Nova tamen hìc emergit Dubitatio, an saltem, Animum humanum juvet spatium temporis: Nam quia Animus est quantitatis expers, tantum sequitur, nihil ei prodesse spatium loci, ut ad Virtutem proficiat, non vero inferri potest auxilio illi non esse temporum intervalla, quæ experientia docente, plurimum conferunt, ut dum producitur ętas Pueri infantis ratio, & mens perficiantur, atque in Virtutis exercitamento magis roborentur. Quam Dubitationem in sequenti capite subtiliter soluit Augustinus.

Virtutis perfectio ab Equalitate, haud a Quantitate originem trahit.

Adaucto corpore non major sed melior fit Animus.

Epicuri sophisma de Animæ incremento refellitur ac detegitur.

An temporum incremẽta Animo augendo prosint.

CA-

CAPVT XVI.

TEXTUS.

DEsine mirari, nam & hic tibi simili ratione respondeo: Vt enim membrorum magnitudo ideò nihil affert argumenti, cur Animam adiuvet, quod multi exilioribus, brevioribusque membris prudentiores inveniuntur quibusdam magna mole corporis præditis; Ità quoniam juniores nonnullos senioribus, plerisque magis industrios, atque strenuos videmus, non video, cur putanda sint spacia temporis in ætatibus incrementa, ut corporibus, sic Animis dare, cum & ipsa corpora, quibus par tempus crescere, atque ampliora spatia tenere concessum est, sæpe sint annosiora breviora non modo senilia, quæ magnitudine temporis contrahuntur, atque minuuntur, sed etiam puerorum, quos animadvertimus his breviores esse corpore, quibus sunt ætate majores. Si igitur porecta in plurimum tempora ne ipsis quidem corporibus magnitudinis afferunt causam, sed omnis illa seminis vis est, & quorumdam naturæ numerorum sanè occultorum, & difficilium ad dignoscendum, quantò minus arbitrandum est longo tempore animam fieri longiorem, quia eam videmus usu rerum, atque assiduitate multa didicisse.

Quid si te illud movet, quod solemus eam quam Græci μακροθυμίαν *vocant, longanimitatem intrepretari, animadvertere licet à corpore ad animum multa verba transferri sicut ab Animo ad corpus. Nam si montem improbum, & justissimam Tellurem dixit Virgilius, quæ verba cernis ab Animo ad corpus esse translata, quid mirum si mutua vice longanimitatem dicimus, cum longa nisi corporea esse non possint? Fa verò inter virtutes, quæ appellatur animi magnitudo ad nullum spacium, sed ad vim quamdam, idest ad potestatem potentiamque Animi relata, rectè intelligitur, virtus eò pluris æstimanda, quo plura contemnit. Sed de hac post loquemur, cum quæremus, quanta sit anima, sicut quæri assolet, quantus fuerit Hercules factorum excellentia non mole membrorum, ita enim suprà distribuimus. Oportet autem nunc te recordari quod de puncto jam satis egimus, nam*

potis-

potissimum esse, maximèque in figuris dominari ratio docebat. Potentia verò atque dominatus, nonnè ostentat quamdam magnitudinem & in puncto tamen nullum spacium reperiebamus. Non igitur magnum, vel ingentem animum cum audimus, aut dicimus, quantum loci occupet, sed quantum possit cogitandum est. Quamobrem si jam primum argumentum tuum, quo tibi per ætatem cum corpore animus crescere videbatur, satis discussum est, transeamus ad aliud.

EXPOSITIO.

Non modo locorum, vere neque temporum incrementa ad Animum ad augendum conferunt.

DUbitationi jam expositæ in Capite præcedenti occurrit hìc Augustinus acriter sustinens, neque temporum spatia, majoris ætatis accessu, verè ex se prodesse Animo, ut ad virtutem proficiat, atque artium ac doctrinarum peritiam acquirat, quod hoc pacto demonstrat; Ideò spatium loci, ac incrementum molis Animum minimè juvat ad virtutis exercitium, quia sæpissimè homines graciliores, ac minori corporis mole constantes, ingenio, virtute, & scientià summoperè præstare solent iis, qui ampliori extensione, & magnitudine tument, ut non tantum non prosit, verum etiam impedimento excessus, & redundantia molis sit Animo, ut in eo virtus, ac Ratio augeantur. Atqui eodem modo frequentissimè contingit ut Iuniores, qui minorem ætatem habent, prudentià, consilio, ac judicio mirificè excellant senioribus, quorum vita ampliori temporis spatio respondet; Fatendum est igitur neque temporum spatia conferre animo, ut ad Virtutem proficiat.

Neque corporum incrementis temporum spatia prosunt.

Præterea arguit Augustinus. Quì fieri potest, ut temporis spatium incorporeum iuvet Animum, si neque ipsorum corporum prodest incrementis? Nam frequentissimè corpora annosiora, quæ ampliori ætati respondent, breviora magisque contracta sunt iis, quæ minoris temporis intervallum respiciunt, minusque vetusta sunt, quin etiam senilia corpora, dum longius producitur ætas, non tantum non augentur mole, verum etiam contrahuntur, & abbreviantur, ut aliquando senescentium corpora ipsis puerorum corporibus contractiora sint, & breviora.

Corporum incrementum a vi seminis at occulta quadã numerorũ natura potissimũ oritur.

Hinc pro re nata acutè admonet Augustinus, corporum incrementa potissimum non oriri ab ampliori temporis spatio, seù ab ætate longiori, sed a vi seminis, & a natura quorumdam numerorum occultorum, quæ difficilè dignosci potest. Hic locus obscurus quidem est, revera tamen insignissima quædam Veritas in eo latere videtur, quæ si, ut oportet, intelligeretur, pro naturalis scientiæ augumento, & instauratione, nullo labore rerum naturalium originem, causas, & rudimenta prospero sucùssu detegeremus. Magna quædam vis profectò delitescit in semine, quæ nihil aliud est, nisi Aethereus quidam, ac subtilissimus spiritus, seu tenuissima quædam, ac vegeta aura ex gracilioribus ac minutioribus ætherei corporis particulis emergens, quæ in seminis receptibus, ac penetralibus tanquam Animantis, aut Plantæ corporis Faber, Rector, & Architectus obliteſcit, cujus robur, ac Virtus præ-

Magna quidem vis delitescit in semine.

cipuè

cipuè pendet, ac proficiſcitur ex occultorum numerorum natura, nimirum ex quibuſdam admirandis, nobiſque ignotis motus localis legibus, quæ in quadam numerorum ſeu Arithmeticæ Rationis proportione, & habitudine ſita eſt, ex quo tantam vim, tantamque poteſtatem ſpiritus ille æthereus in ſemine latens adipiſcitur, ut dum ſeſe in Plantis explicat, & diſtendit, duriores rupes diſcindere valeat, atque tandem in ampliſſimas arbores, & immania Animantum corpora erumpat. Ab hujus vegetæ, & robuſtæ Auræ virtute potiſſimum, ait Auguſtinus, corporum Incrementa pendent, quæ pariter ſummoperè iuvant, numeroſi, ut ita dicam, & proportionales motus, quibus organici corporis molem afficit, movet, & agitat æthereus vigor, qui veluti organorum efformator in ſemine clauditur. De qua re plura a nobis explicata reperies in noſtra Digreſſione meteorica de Ventorum natura juxtà mentem Auguſtini.

Idcirco concludit ſapientiſſimus Antiſtes, ſi major corporis extenſio, & longitudo haud à temporis ſpatio, ſed a validiori ſeminis virtute originem trahit, quanto minus inextenſum, ac ſempiternum Animum amplioris ætatis præſentia iuvabit? cum Animus non major, aut longior dicatur ratione molis, aut temporis, ſed potius ob virtutis incrementum, uſum, ac majorem peritiam in artibus, & diſciplinis.

Animus major, Fit, nõ ob temporis & molis incrementum, ſed virtutis.

Quod ſi Animus longanimis aliquando dicitur, non ideò arbitrandum eſt revera, ut corpori magnitudini contingit, ampliorem ac longiorem fieri Animum. Hęc enim vox longanimitas verbum translatum eſt a corpore ad Animum, quę verè nihil aliud ſonat, quàm virtus, & magnitudo quędam Animi potiſſimum in adverſis tolerandis, undè & patientia a divo Hieronymo dicta eſt. Virtus autem nulla corporis mole conſtat, ſed in quadam Animi æqualitate conſiſtit, ut ſupra oſtenſum eſt, quę quo major eſt, & inſignior, eò magis creſcere, ſeù proficere dicitur Animus. Hinc cum quærimus quanta ſit Animi magnitudo, non inquiritur, quanta ſit Animi moles, & extenſio, quę ſanè nulla ineſt animo, ſed tantum quanta ſit illius Poteſtas, & vis, quę potiſſimum à virtutis æqualitate naſcitur, quę quidem animi poteſtas quędam magnitudo eſt non molis, ſed perfectionis, eo modo quo Punctum etſi inſectile, partibus, & magnitudinem carens, nihilominus ſingulis planis figuris dominatur, ac omnium potentiſſimum eſt, & inſigniſſimum ob quam rationem, & magnum Punctum appellatur magnitudine virium, & poteſtatis.

Virtus incorporea eſt.

Anima quanta dicitur quãtitate virium & poteſtatis haud molis & corporeæ magnitudinis.

CAPVT XVII.

TEXTVS.

AD. *Neſcio utrum omnia quæ me non fruſtrà movere aſſolent, proſequuti fuerimus: Et fieri poteſt, ut recordationem meam aliqua fugiant, verumtamen quod nunc in mentem venit, videamus quale ſit, quod puer infans non loquitur, atque id creſcendo aſſequitur.* Aug. *Facile eſt iſtud.*

Nam credo videri tibi ea lingua quemque loqui, quam loquuntur homines, inter quos natus, educatusque sit. Ad. *Nemo id ignorat.* Aug. *Constitue ergò quempiam ibi natum, atque alitum, ubi homines non loquerentur, sed nutibus, membrorumque motu cogitationes suas sibimet exprimendas signarent, non ne censes eum talia esse facturum, neque locuturum, qui loquentem neminem audierit?* Ad. *Nolo me hoc interroges, quod fieri non potest. Qui enim tales homines, inter quos quemquam natum cogitare possim?* Aug. *Ità ne tu non vidisti mediolani adolescentem honestissimi corporis, & elegantissimæ vrbanitatis mutum tamen, atque ità surdum, ut neque alios nisi motu corporis intelligeret neque ipse aliter, quæ vellet, significaret? Hic enim est notissimus. Nam ego novi Rusticum quemdam loquentem de loquente uxore filios omnes mares, atque fœminas quatuor ferè, aut eò amplius (non enim satis nunc commemini) mutos, surdosque genuisse. Nam ex eo, quod loqui non poterant muti, ex eo autem, quod nulla signa nisi oculis colligerent, etiam surdi intelligebantur.* Ad. *Illum verò ego benè novi, & de istis nescio quibus credo tibi; sed quorsum ista?* Aug. *Quia dixisti non te posse cogitare inter tales homines nasci quempiam.* Ad. *Nec nunc aliud dico, nam istos nisi fallor, intereos, qui loquerentur, natos esse concedis:*

Aug. *Non equidem negaverim, sed cum jam inter nos constet nonnullos tales homines esse posse, quæso, cogites, si ex hoc genere mas, & fœmina jungerentur, atque in aliquam quocumque casu delati solitudinem, ubi tamen vivere valerent, gignerent filium non surdum, quemadmodum esset cum Parentibus iste loquuturus?* Ad. *quemadmodum censes nisi ut Parentes ei dabant ita gestu signa redditurum? Sed tamen puer paruus ne hoc quidem posset. Quare illa Ratio mea manet integra. Quid enim refert, utrum loqui, an gestum facere crescendo assequatur, cum ad animam utrumque pertineat, quam fateri nolumus crescere?* Aug. *Jam mihi videris etiam cum in fine quisque ambulat ampliorem credere hunc habere Animam, quam eos, qui id facere nequeunt.* Ad. *Hoc aliud est, quis enim hoc non videat esse artis?* Aug. *Cur, obsecro, artis, an quia didicit?* Ad. *Ità verò.* Aug. *Quare tibi ergò etiam si aliud quisque discat, non artis videtur?* Ad. *Planè quidquid discitur artis esse non nego.* Aug.

Non

Non ergò ille didicit à Parentibus gestum facere? Ad. *Didicit sanè.* Aug. *Oportet igitur, & hoc non Animæ crescendo amplioris, sed imitatoriæ cujusdam artis esse concedas.* Ad. *Non possum hoc concedere.* Aug. *Ergò non omne quod discitur artis est, quod nunc concesseras.* Ad. *Artis omninò.* Aug. *Non ergò ille didicit gestum, quod item non minus dederas.* Ad. *Didicit, sed hoc non est artis.* Aug. *Atqui tu paulò ante dixisti artis esse quod discitur:* Ad. *Age jam concedo, & loqui gestum facere, eo quod ea didicimus artis esse. Tamen aliæ sunt artes, quas dum in alios intendimus, dicimus, aliæ quæ à magistris inseruntur nobis.* Aug. *Quas tandem istarum putas animam, ex eo quod amplior fiat adipisci? An ne omnes?* Ad. *non omnes puto, sed illas superiores.* Aug. *Nonne tibi ex hoc genere videtur in fune ambulare? Nam & hoc videndo, ut arbitror, qui id faciunt, assequuntur.* Ad. *Ita credo, sed tamen non omnes, qui hæc spectant, & magno studio intuentur, assequi possunt, sed qui hujus rei magistros patiuntur.* Aug. *Benè sanè dicis. Nam & hoc tibi etiam de locutione responderim. Multi enim Græci, & aliud Genus linguæ crebrius nos loquentes audiunt, quam funambulum spectant, qui ut linguam nostram discant, quemadmodum nos cum ipsorum nosse volumus sæpè magistris traduntur.; Quæ cum ita sint, miror cur Animæ incrementis tribuere velis, quod loquuntur homines, quod autem in fune ambulant nolis.* Ad. *Nescio quo modo ista confundis. Nam qui ut linguam nostram discat, magistro traditur, novit aliam quam dam suam, quam cum, quod ejus Anima creverit puto didicisse; Cum autem discit alienam, non ampliori Animæ, sed arti tribuo.* Aug. *Quid si ille, qui inter mutos natus, atque alitus est, serò, ac jam juvenis in alios homines incidens loqui didicisset, cum aliam linguam nullam nosset, eo tempore putares, Animam ejus crevisse quo loqui didicerat?* Ad. *Nunquam istud ausim dicere. Sed jam credo Rationi, nec puto amplioris Animæ argumentum esse quod loquimur, ne & alias omnes artes cogar fateri crescendo Animam consecutam. Quod si dixero, illud sequetur absurdum, decrescere Animam, cum quid obliviscitur.*

EXPOSITIO.

An cum sermonem addiscit puer augeatur pariter cum corpore Animus?

IN alteram Dubitationem hic incidit Augustinus, an scilicet Puer infans non adhuc ad loquendum aptus, deindè ætatis accessu sermonis vim acquirat, quia in eo pariter cum corpore crescit Animus. Ut autem expeditius quo pacto hanc difficultatem enodaverit Augustinus, intelligamus, admonemus, loqui nihil aliud esse, nisi sonis articulatis, aut figuris, seù caracteribus alteri nostras cogitationes aperire, sono articulato aures, figuris verò oculos alloquimur. Idcircò cum loquimur, sensilibus, ac corporeis signis utimur, ut invisibiles, & incorporeas nostras notiones alijs manifestemus, atque adeò miro quodam artificio, in caracteribus ac sonis quodammodò corporescens, sensilis ac visibilis, inextensa animi cogitatio fieri videtur. Nos autem hic tantum agimus de locutione, quę articulatis vocibus perficitur, ad quam efformandam duo eodem tempore concurrunt, sonus nempè ore prolatus, & Idea, seu Animi notio, quę ex hominum arbitrio alicui determinato sono respondet, ex quibus tanquam ex Animo, & corpore verbum, seu significativa vox consurgit. Jam sonus articulatus literis ac syllabis componitur, quæ nihil aliud sunt, quam simpliciores, ac breviores soni, quos lingua, palato, ac dentibus efformamus, quæ articulandi, seu voces significativas procreandi facilitas, ac promptitudo usu, exercitatione, atque imitatione obtinetur, quod præcipuè audiendo, seu veluti auribus sonos colligendo peragitur, hinc qui surdus nascitur, etsi vocis organa quàm maximè expedita habeat, attamen ob defectum auditus, quia alios homines loquentes imitari nequit, ad loquendum neutiquam aptus est. Quamobrem si aliquis ex mutis parentibus nasceretur, atque in solitudine cum illis vitam degeret, quamvis naturà mutus non esset, gestu tantùm, & nutibus membrorumqûe motu, Parentum exemplo, suas cogitationes exprimeret, nullo tamen sermone uteretur.

Quid præstemus, cum loquimur.

Nominæ sono constant & idea.

Ex quo planissimè liquet, non ideò cum adolescimus, & à pueritia quamlongè recedimus, sermone, seu articulatis vocibus ad nostras Ideas significandas utimur, quia in nobis pariter cum corpore crescit, & mole amplior fit Animus, sed quia majoris ætatis accessu, usu, & imitatione loquendi peritiam obtinemus, cujus rei veritas planius patebit, si advertamus, haud molis incremento, sed imitatoriæ artis vi, & exercitamento nos etiam senescentes (cum nullus corporis incremento tunc locus datur) aliquando exterarum gentium linguas addiscere; sicuti etiam usu, & imitatione ipsum met patrium Idioma assequeretur adolescens ex mutis Parentibus in solitudine educatus, si deindè ad pròpriæ Regionis urbem aliquam se conferret, ubi concivium loquentium imitatione vernaculam linguam loqui disceret, atque adeò dum loquimur, non major, sed peritior evadit Animus, quod funambuli exemplo ulterius confirmat Augustinus. Nam non ideò quidam homines super funes celeri, & expedito pede moventur, ac ingeniosè saltitant, quia ampliorem habent Animum, sed quia usu, & exercitatione super funem variis modis ludere didicerunt, quemadmodùm & quamplures aliæ artes aut imitatione, aut præceptorum disciplinà addi-

Artium exercitatione non major sed peritior evadit Animus.

discuntur. Quapropter si diligenter expendamus, quid animo contingit, cùm & loqui discimus, & cæteras artes, ac disciplinas exercemus, facili negotio intelligemus, non ideò hæc accidere animo, quia oblongiorem ætatem augetur, ac major una cum corpore fit Animus, sed tantùm quia hic peritior, ac melior exercitatione, & imitatione auxiliante evadit, atque adeò fatendum est, allata argumenta nullo pacto convincere Animum molis, & extensionis quantitate laborare, seù pariter cum Corpore, mole, & quantitate augeri. Quæ hactenus explanavimus, quidquid prolixius, ac loquacius, ut exposcit Dialogi Ratio, pictum est ab Augustino in Capite præcedenti, planiori, magisque conciso sermone continent. Hinc quæ faciliora, minusque explicatu necessaria sunt omittentes, ad caput decimum octavum interpretandum accedamus.

CAPVT XVIII.

TEXTUS.

AVg. *Bene intelligis, & verum ut audias, rectè dicitur Anima in discendo quasi crescere, & contrà minui dediscendo, sed translato verbo, ut superius ostendimus. Tamen illud cavendum est, ne quasi spacium loci majus occupare videatur dum dicitur crescere, sed majorem quandam vim peritior, quam imperitior habere ad agendum. Magni tamen refert, qualia sint illa ipsa, quæ discit, quibus quodam modo videtur augeri. Nam ut in Corpore tria sunt genera incrementorum, unum necessarium, quo naturalis convenientia impletur in membris. Alterum superfluum, quò a cæteris membris integra valetudine augendo aliquid discrepat, per quod interdum evenit, ut senis digitis nascantur homines, & pleraque alia, quæ cum præter consuetudinem nimia sunt, monstruosa nominantur. Tertium noxium, quod cum accidit, tumor vocatur, nam etiam sic membra crescere dicuntur, & revera locum occupant ampliorem, sed expugnata bona valetudine. Ita in animo quædam quasi naturalia incrementa sunt, cum honestis, & ad benè, beateque vivendum accommodatis disciplinis augeri dicitur. Cum verò ea discimus, quæ mirabiliora, quàm utiliora sunt, quamquam nonnullis rebus plerumque opportuna, supervacanea*

nea tamen, & de illo secundo genere numeranda sunt: Non enim si quidam tibicen, ut Varro author est, ita populum delectavit, ut Rex fieret, ideò animum nostrum illo artificio augendum putare debemus, quia nec majores, quam humani sunt dentes habere vellemus, si audissemus aquopiam quod tales habuerit morsu hostem necatum. Noxium vero illud est genus artium, quo animi valetndo sauciatur, nam & odore, ac sapore mirè dijudicare pulmenta, & quo lacu piscis captus sit, vel quo tenue vinum sit, nosse dicere quædam est miseranda peritia. Et his artibus cum quasi creviſſe anima videtur, quæ neglecta mente defluxit in sensus, nihil aliud quà tumuisse, vel etiam contabuisse judicanda est. Ad. *Accipio ista, & assentior, nec tamen nihil angor ex eo quod imperita omnium rerum & bruta est Anima, quam in puero recens nato quantum licet inspicimus. Cur enim nullam artem secum attulit si æterna est?* Aug. *Magnam omninò magnam & qua nescio utrum quicquam majus sit, quæstionem moves, in qua tantum nostræ sibi met opiniones adversantur, ut tibi anima nullam mihi contra omnes artes secum attulisse videatur, nec aliud quid quam esse id quod dicitur discere, quam reminisci, & recordari. Sed videsne quàm hujus temporis non sit, utrum ista habeant ita sese requirere?*

EXPOSITIO.

An Animus cum discit major, cum vero obliviiscitur minor fieri dicatur.

QUæstionem hìc movet Augustinus, an saltem Animus augeri cum aliquid de novo discit, decrescere verò cum dediscit, aut obliviscitur, dici valeat. Quam difficultatem resolvit docens, tantum translato verbo crescere, aut minui dici posse Animum ob accessum, aut defectum alicujus Artis, ac disciplinæ, quia nimirum id quod corpori competit per aliquam proportionem, & analogiam transferimus ad Animum, qui revera cum ei aliqua nova Ars, aut cognitio advenit, aut ab eo recedit, propriè non fit major, & amplior, sed tantum pro modo suo crescere quodammodo, ac minui videtur; Si quidem nequit fieri, quod artes, & cognitiones suaptè natura insectiles, & inextensæ majorem molem & ampliorem locum animo tribuant, aut ab eo aliquam molis partem detrahant, cum ei adveniunt, vel ab eo removentur; Non ergò artes, ac doctrinarum notitiæ augent in animo molem, qua ille prorsus caret, sed tantum vim, ac potestatem ob majorem peritiam, & agendi virtutem, quam adipiscitur Animus, novas artes ac disciplinas addiscens, quo sensu citra Animi injuriam rectè dici valet artes,

artes, ac Disciplinas plurimum augere Animum, summopere scilicet illius prodesse incrementis.

Admonendum tamen est, haud singulas artes, ac notitias æquè juvare animum ut illius potestas auctior fiat, & amplior. Magni enim refert, qualia sint ea ipsa quæ discit, quibus quodammodò videtur augeri, quod ut melius percipiatur, liceat ab Animo ad infimiora corpora descendere, ut quot modis augeri dicatur corpus, diligenter cogitatione revoluamus. Tria sanè sunt in corpore incrementorum Genera, Unum dicitur necessarium, quo naturalis convenientia impletur in membris, quo scilicet membra ea lege, & proportione augentur, ut ipsamet corporis fabrica, & structura ad suas operationes exercendas exposcit, ut nihil in ea redundet, aut deficiat. Alterum dicitur supervacaneum: cum aliquid excedit, aut redundat præter ordinem, & consuetudinem in corpore, ratione cujus excessus, & superfluitatis monstrosum appellatur, ut esset homo tria brachia, aut sex digitos in manibus habens. Tertium denique dicitur noxium, quod propriè appellatur Tumor, quo oppugnata valetudine corpus sauciatur, ac uulneratur, hoc incrementi genere tabescentia hydropum corpora laborant.

Corporum incrementis Animæ compatiantur incrementa.

Corporis incrementum ut & Animæ aliud necessarium, aliud supervacaneum, Noxium aliud.

Jam proportione, & similitudine quadam a viliori corpore ad præstantiorem Animum ascendentes tria pariter Incrementorum genera Animo contingere prospicimus, & primo Animus crescere dicitur necessario, & congruo Incremento, cum illas artes, ac doctrinas discit, & assequitur, quæ illius rationem ad honestè, & beatè vivendum perficiunt, quarum ope scilicet Animus sese a corporum consuetudine, & impedientibus sensibus avocans, ac removens ad se ipsum, ac Deum in suis recessibus interiori intelligentiæ oculo cernendum salubriter præparatur. Deindè augeri dicitur Animus supervacaneo Incremento, cum nempè eas artes, ac facultates addiscit, quæ non utiliora, & necessaria respiciunt, sed solummodò referuntur ad ea, quæ mirabiliora sunt; quæ scilicet vanam nostram curiositatem pascunt, ad salutare Uerum, & ad Rationem excolendam minimè nos manuducunt, aut quæ tantum conferunt, ut popularem gloriam aucupemur. Denique dicitur crescere Animus noxio incremento, cum in eas artes, ac notitias incumbit, quæ ad læthalem sensuum voluptatem excitandam, & augendam ordinantur, aut quæ præjudicatas hominum opiniones; ac Vulgi superstitionem alunt, ac fovent, ut artes coquendi, saltandi, & id genus alia, aut quæ, judiciaria Astrologia, Cabala, Magia naturalis dici solent. De hujusmodi Incrementorum generibus plura dicemus infrà in nostra salutari admonitione, ubi hominum studia, & exercitamenta in necessaria, utilia, superflua, & noxia distribuemus.

Cum Augustinus summo quidem ingenio de tribus Animi Incrementis disputaverit, in quamdam magis arduam, magisque laboriosam incidit difficultatem, an scilicet Anima corpori adveniens secum omnes artes, ac disciplinas attulerit: Siquidem ait, si æterna, & immortalis est Anima, necesse est, ut semper doctrinas & artes habuerit; idcirco talis naturæ est, ut cum omnia sciverit, reverà dum aliquid in corpore veluti consopita discere videtur, nihil de novo discat, sed tantum incipiat recordari illius rei, cujus scientiam habebat, quo pacto idem est discere, ac reminisci.

An Anima corpori adveniens secum artes attulerit ac disciplinas?

Qua-

Quapropter in hoc texta arduum, & à veritate alienum videtur Auguſtino id quod vulgò creditur, & ipſamet Experientia roborare videtur, quod nimirum in Puero recenter nato anima adeò iners, bruta, & ignara ſit, ut nihil ſciat, nihilque intelligat, omnium artium, ac diſciplinarum expers, quam uulgares homines veluti tabulam nudam, in qua nihil eſt depictum, exiſtimant, ut ſingulæ illius notitiæ, & ideæ de foris, externorum ſenſuum auxilio, animo adveniant. Hunc modum opinandi deprompſit Auguſtinus a Platone, qui cenſebat humanas Animas fuiſſe a Deo procreatas ante corpora, quibus ille ſingulas artes ac diſciplinas infudit, quæ Animæ poſtea in corpora veluti in carceres protruſæ fuerunt, ratione cujus incongruæ, & impuræ conjunctionis Animę quodammodò in humido corporis cerebro conſopitæ, pigreſcentes, & ebrietate quadam abreptæ, ſingularum Artium, ac ſcientiarum oblivione laborant, quarum tamen, cum aut Præceptore admonentur, aut externarum rerum ſenſus impellentium imaginibus excitantur, aut in ſe ipſas diligenter intendunt, illicò quodammodò expergefactæ, & a profundo letargo, in quo jacebant, liberatæ, recordantur. Hanc tamen ſententiam correxit, ac temperavit in libro Primo Retractationum Capite 8. Auguſtinus, qui Plantonis reminiſcentiam Rationi, & Religioni congruam reddere videtur, ac proindè duobus erroribus potiſſimum Platonis doctrinam purgat, nam primò expungit id, quod adſtruit Plato de præexiſtentia Animarum ante corpora, docet enim, Animam antequam fuerit còrpori organico conjuncta, extrà corpus, aut alibi in alio corpore neutiquam extitiſſe, ſed eodem tempore quo procreata fuit in tali, ac determinato corpore organico, ut Rectrix, ac Dominatrix poſita, & collocata fuit; Alius Error, quem redarguit præſtantiſſimus Doctor, ſequens eſt. Anima conjuncta corpori non habet in ſe inſitas quarumque rerum intelligibilium pariter, & corporalium notitias, quia verè de novo diſcit eas artes, quæ res ſenſiles, & corporeas reſpiciunt, atque ſenſuum miniſterio aliquo modo addiſcuntur, ut ſe habent Medicina, Aſtronomia, Muſica &c.

An diſcere idem ſit ac reminiſci?

Platonis Reminiſcentia explicatur.

Quo pacto Platonis doctrinâ correxerit, ac temperaverit Auguſtinus, ſæpe citur.

Poſtquam autem Auguſtinus erroribus penitus expurgaverit Platonis reminiſcentiam, ſequenti modo illam rationi & orthodoxæ veritati ſoliſſimè accommodat. Animus dum corpori adnectitur, licet in ſe non poſſideat rerum externarum, ac ſenſilium notitias, quas ætatis acceſſu paulatim ſenſuum auxilio aſſequitur, attamen verè in ſe continet, ſeu cernit, & Intelligit veritates, quæ ad res nudè intelligibiles, ac ſpirituales ſpectant; Etenim cum Animus ſit ejuſdem ordinis cum rebus intelligibilibus, atque inſeparabiliter Rationi, ſeu incommutabili Vero conjunctus, cum ab alio interrogatus admonetur, aut a ſenſibus recedens ſe ipſum intus conſulit, & interrogat, illicò in ſemetipſo, aut in ipſa incommutabili Veritate, ad quam perpetuò tendit, cernit, ac contemplatur ſingulas intelligibiles, & immutabiles diſciplinarum, & artium veritates, quas non deſoris accipit, ſed in ſemet ipſo quodammodò invenit, & intuetur. Ob quam rationem rectè dici poteſt, quod cum Animus quovis modo admonitus, & excitatus aliquam veritatem intelligit, verè nihil de novo diſcat, ſed tantum veluci recordetur ejus, cujus ob conjunctionem cum corpore, & conſuetudinem cogitandi de ſenſilibus, & extenſis rebus in oblivionem inciderat. Juxtà quem modum explican-

Animus haud deſoris haurit ſed intus in ſemetipſo manifeſtiſſimas & intelligibiles invenit veritates.

Animus incommutabili Vero conjunctus.

plicandi Platonica reminiſcentia ab omni errore vindicatur, & poteſt citrà falſitatis periculum ab orthodoxo Philoſopho ſuſtinere, Quam autem manifeſtè Rationi conſentiat, hominis Animum immortales, ac intelligibiles naturas in ſummo, & incommutabili Vero intus cernere, & contemplari, in noſtris Inveſtigationibus oſtendemus, ubi pariter agemus, eodem Auguſtino docente, de interiori Magiſterio, aut ſi mavis de interiori gymnaſio in humanæ mentis penetralibus erecto, & inſtituto, in quo perpetuò increata Dei ſapientia inhabitans docet, veritatem caſto, & attento Animo pandens.

CAPVT XIX.

TEXTUS.

NVnc enim agimus, ut appareat, ſi poteſt, non eam ſecundum loci ſpacia parvam, magnamve nominari, æternitatem autem ejus ſi ulla eſt opportunè ſcrutabimur, cum illud quod quartum poſuiſti, cur corpori fuerit data, quantum fas eſt tractare caperimus. Quid enim ad talem ejus quantitatem attinet, ſemper ne, an non ſemper fuerit, futura ve, ſit aut quod nunc imperita, nunc perita eſt, cum & longum tempus ne corporibus quidem afferre magnitudinis cauſam, ſuperius probaverimus, & peritiam notiſsimum ſit poſſe nullam adeſſe creſcentibus, ac ſæpè ſeneſcentibus opportunam eſſe, multaque alia dicta ſint ſatis, ut opinor, ad demonſtrandum non cum magnitudine corporis, quam ætas affert, etiam Animam fieri ampliorem. Quarè videamus ſi placet illud alterum Argumentum tuum quale ſit, quod per totum ſpacium Corporis tactus ſentitur ab Anima, quam ſpacii nullius eſſe volumus. Ad. *Sinerem jam ad aliud tranſiri niſi de viribus dicendum aliquid arbitrarer. Quid eſt enim hoc, quod auctiora per ætatem corpora vires præbent animæ ampliores ſi cum his amplior non ſit anima? Quanquam enim virtus Animæ, vires autem Corporis putari ſoleant, nunquam tamen ab Anima eas abjudicaverim, cum videam in exanimis Corporibus nullas eſſe. Per Corpus quidem viribus, ſicut ſenſibus uti animam non negandum eſt; tamen quoniam iſta ſunt viuentis officia, quis hæc dubitaverit ad animam potius pertinere? Cum igitur majores vires in pueris grandiuſculis quam in Infantibus eſſe videamus, ac deinde adoleſcentes, Juveneſque in dies viribus præſtent, donec*

 rurſus

rursus corpore senescente minuantur, non leve quantum mihi videtur crescentis cum corpore, ac deinde senescentis anima indicium est. Aug. *Non usquequaque absurdum est, quod dicis, sed ego vires non magis in amplitudine corporis, ætatisque incrementis, quam in exercitatione quadam, & confirmatione membrorum esse soleo putare. Id adeo ut tibi probem, quæro abs te, utrum alium alio pertinacius ambulare, ac minus defatigari, majorum virium esse arbitreris?* Ad. *ita sentio.* Aug. *Cur ergò puer multò amplius itineris conficiebam sine defectu, cum aucupandi studio in ambulando exercere, quàm adolescens cum me ad alia studia quibus sedere magis cogebar, contulissem, si accedenti ætati, & per hanc animæ crescenti vires ampliores tribuendæ sunt: Deindè in ipsis luctatorum corporibus palestritæ non molem ac magnitudinem, sed nodos quosdam lacertorum, & descriptos toros, figuramque omnem corporis sibi congruentem peritissimè inspiciunt, & hinc potius argumenta virium colligunt. Quæ tamen omnia parum valent, nisi vis artis, & exercitationis accedat. Sæpe etiam visum est ingentis Corporis viros ab exiguis, brevibusque superari, vel in movendis, vel in ferendis ponderibus, vel in ipso etiam luctamine: Nam Olimpionicum quemlibet lassari in itinere citius quàm circumforaneum aliquem Mercatorem, qui uno illius digito collidi possit, cui est incognitum? Quare si & ipsas vires non peræque omnes, sed alias ad aliud aptiores magnas vocamus, & corporum lineamenta magis, & figuræ, quàm magnitudines valent plurimùm, etsi exercitationes tantum afferunt, ut celeberrimè creditum sit, hominem tollendo quotidie vitulum paruum egisse, ut eum etiam taurum sine sensu majoris oneris, quod paulatim addebatur tollere, ac sustinere posset, nequaquam amplioris ætatis uires cum corpore Animam creuisse, significant.*

EX-

EXPOSITIO.

PRæclariſſimus Auguſtinus in hoc capite primùm admonet, nullo pacto ad præſentem quæſtionem, quam agitat, ſpectare, an Anima æterna ſit, & utrum perita, aut imperita corpori inſinuetur, cùm tantum hic agatur de illius quantitate. Quæritur enim, an corporea magnitudine conſtet, & pariter cum corpore creſcat, & amplior in ſpacio fiat Animus, quod jam falſum eſſe oſtendimus, cum & longum tempus, nec corporibus quidem magnitudinis cauſam afferat, ut ſuperius probatum eſt, & notiſſimum ſit, ſæpiſſimè creſcente corpore non fieri peritiorem Animum, atque adeò jam exploratum habemus, cum magnitudine corporis, quam ætas affert, neutiqnam ampliorem fieri Animum. Oportet ergò, ut alterum Epicuri Ratiocinium æquiſſima Judicii lance expendamus, videndum enim eſt, quo pacto undique in univerſo corpore pungentem ſentiat Animus, an ſcilicet hoc contingat, quia Animus qnantus eſt, & in corporis ſpatio expanſus, & explicatus, an vero alio diverſo modo incorporeę, & inſectili naturæ conſentaneo.

An cum corporis pariter & Animæ vires augentur, mole & quantitate amplior fiat Animus?

Antequam autem Auguſtinus rem tam difficilem, tamque obſcuram explanare aggrediatur, aliam movet quæſtionem, an ſcilicet cum creſcente corpore, tum corporis tum Animæ vires augentur, manifeſtum inditium ſit, Animam pariter in ſpatiis augeri, & ampliorem evadere, quapropter de corporis viribus, maturo quidem, & ſolido judicio, agere exorditur, ut tandem demonſtret ex virium incremento nulla ratione Animum quantum, & extenſum eſſe inferri; & primo ſequenti modo exponitur tota rei difficultas; tametſi Animo virtus, vires tamen corpori attribuantur, nihilominus inficiari nequit, vires pariter non pertinere ad Animum, qui non minus ac corporis ſenſibus, viribus etiam utitur, quæ viventis omnia ſunt, in exanimis enim corporibus, neque ſenſus, neque vires adſunt, quæ tunc manifeſtantur, cum corpori coniungitur Animus, cujus verè dicendæ ſunt corporis vires, cum ipſe ſit verum agendi principium, robur, ac vita Corporis. Hujuſmodi autem vires, ut experientia docet, eo majores, ac validiores ſunt, quo magis ætatis acceſſu corporis moles augetur; hinc vires, quæ in pueritia tenues ſunt, ac imbecilles, dum magis in adoleſcentia, aut maturiori ætate firmatur, ac creſcit Corpus, eo vegetiores, ac robuſtiores evadunt. Cum igitur non tantum Corpori, verum etiam Animæ vires attribuantur, apertè deducitur, non alia ratione creſcere vires, niſi quia pariter cum Corpore auctior ſit Animus, atque adeò hic corporis quantitate, & mole conſtat. Sicuti verò virium incrementum in ætate adultiori creſcentis Animi inditium eſt, ita virium defectus, quo ſenes laborant ob Corporis decrementum, ac diminutionem, nobis argumento eſt, ſeneſcere, ac decreſcere identidem cum Corpore Animum, cujus molis exceſſus, aut defectus a corporis incremento, aut diminutione pendere videtur.

Hæc autem Epicuri argumentatio quàm inanis, & fallax sit & ratione, & exemplis, ostendit Augustinus docens, Corporis vires potissimum non augeri, quia amplior fit moles, magisque distenditur tempus, sed quia maturiori accedente ætate, melius invicem disponuntur, ac confirmantur membra, quin etiam ob majorem usum, & exercitationem; idcircò, fatetur, non ab ætatis incremento, & auctiori corporis magnitudine, sed potius ab exercitatione, & congrua quadam partium configuratione, & dispositione, virium amplitudinem, & incrementa pendere, ut parum, aut nihil ad ipsarum augumentum molis excessus ac longius tempus conferant; ad cujus rei probationem primò inquirit, an qui pertinacius, & rapidius ambulat, minusque in itinere enervatur, ac defatigatur, majorum virium esse arbitrandus sit, at hoc quis in dubium vertere potest? Quò enim velocius, diutius, ac minori labore ambulamus, eò majores magisque vegetas vires habere ostendimus. Denuò tamen quærit, an hujusmodi virium copia, & excessus ortum ducat ab ampliori molis, ac temporis spacio, an verò ab usu, exercitatione, atque a quadam concinna membrorum confirmatione? Sanè secundum dicendum est. Siquidem, ut ipse met de se ipso testatur, frequentissimè qui magis Juvenes, & Adolescentes sunt ob itinerandi usum, aut venationis exercitationem, congruentius corporis organis dispositis & conformatis, pertinaciori motu, ac minus defatigati ambulant, quàm ii, qui etsi adultiori ætate, majorique corporis mole gaudeant, attamen literarum studiis operam dantes parum deambulant ac sedere assuescunt: quamvis igitur in quibusdam Juvenibus neque longa sit ætas, neque tàm ampla corporis magnitudo, nihilominus ob usum, & exercitationem, quæ plurimùm confert, ut congruè conformentur organa, majores vires esse experimur, quàm in maturioribus hominibus, quorum ætas auctior est, & corporis moles amplior; non ergò vires crescunt, quia Anima crescit, atque tempore, & loco augetur corpus, sed quia exercitatio, ac quædam membrorum conformatio accedunt, ob quam rationem Palestritæ, ut luctatorum vires explorent, ipsorumque ad certandum robur, & aptitudinem dignoscant, neutiquam ad molem, Corporisque magnitudinem se convertunt, sed potissimùm nodos quosdam lacertorum, & destrictos musculos, figuramque corporis magis congruentem peritissimè inspiciunt, undè potiùs argumenta virium colligant; Quæ tamen omnia parum valent, nisi vis artis, & exercitationis accedat. Idcircò sæpè observavimus viros ingenti corporis mole pollentes omninò vinci, & superari ab exiguis, ac brevibus, vel in attollendis ponderibus, vel ferendis, vel etiam in ipso luctamine; neque ignotum est, circumforaneos mercatores, qui per vrbes, & oppida vagari solent, plus itineris conficere posse, minusque ambulando defatigari, quàm contingat iis, qui ingentiori Corpore præditi in Olympiaco Certamine luctare, & digladiari assuescunt; neque igitur ætatis longitudo, neque molis incrementum vera causa sunt, cur vires in Corpore augeantur. Quamobrem si neque molis, temporisque incrementum ipsimet corpori prodest, ut suas adaugeat vires, quantò minus id excellentiori conferet Animo, quem ab omni corporea quantitate abhorrere, jam apertè suprà demonstravimus, etiam si igitur concedamus

Epicuri Argumentatio quam fallax & inanis sit ostenditur.

Virium corporis incrementum neutiquam a molis, temporis que incrementa pendet.

Exponuntur ea, que ad vires augendas maximè conferunt.

Animum nulla corporea mole constare concluditur.

mus corporis vires comunes esse Animo, attamen ex illarum Incremento nullo pacto inferri potest, Animum cum Corpore crescere, & ampliorem locum occupare.

CAPVT XX.

TEXTUS.

QVod si amplius aliquid animalium majora Corpora eo ipso quo majora sunt habent virium, illa causa est, quod lege naturæ cedunt pondera minora majoribus, non modò cum ad proprium locum suopte nutu feruntur, ut humida, & terrena corpora in ipsius mundi medium locum, qui est infimus, rursus aerea, & ignea sursum versus, sed etiam cum aliquo tormento, aut jactu, aut impulsu, aut repulsu, eo quo non sponte feruntur, vi aliena ire coguntur. Nam si ex alto dejeceris quanquam simul duos lapides disparis quantitatis, citius quidem maior terræ pervenit, sed si ei minor subiiciatur eoque inevitabiliter occupetur, cedit profectò, simulque in solum deducitur. Item si deiicitur desuper maior, minor autem contrà sursum versus iacitur, ubi obviam venerint, repercussio minoris, & retrocessio fiat necesse est. Quod ne ideò accidere putes, quod minor contrà naturam in sublimia ire cogebatur, alter verò maiore impetu locum suum petebat, facito, ut maior in superna iaculetur, & minori occurrat in terras deiecto, videbis nihilominus repulsum minorem in cælum cogi, sed repercussu ipso cadere in aliam partem, ut quæ expeditum est, in ima deferatur. Item si ambo non motu naturali, sed à duobus quasi in Campo pugnantibus adversus invicem iacti sibi met in medio spacio complodantur, quis dubitaverit minorem maiori esse cessurum, in eam partem, undè ipse est, & quò ille ferebatur? Quæ cum ità sint, ideſt cum minora, ut dictum est pondera maioribus cedant, multum tamen refert, quanto in sese agantur impetu. Nam si maiore impetu minor, velut vehementi aliquo tormento emissus infliga-

gatur

gatur majori laxius eiaculato, vel jam langueſcenti quamvis ab eodem reſiliat, retardat illum tamen, aut etiam retrò agit pro modo ictuum, atque ponderum. His præjactis, atque intellectis, quantum præſens negocium poſtulat, vide nunc eas, quæ dicuntur in Animalibus vires, utrum Rationi huic congruant. Nam corpora omnia Animalium quis negat ſuo pondere præpediri? Quod pondus nutu Animæ actum, quo inclinaverit, multum valet magnitudine propria. Sed nutus Animæ ad movendum Corporis pondus, nervis quaſi tormentis utitur. Nervos autem vegetat, mobiliores que efficit ſiccitas, calorque moderatus, contra eos laxat, atque infirmat humidus rigor. Itaque ſomno quia eum frigidum, & humidum, dicunt Medici, & probant, membra langueſcunt, atque ipſe expergefactorum conatus multo eſt debilior, ideoque nihil eſt fractius, & enervius lethargicis. At quoſdam phreneticos, quibus vigiliæ & vini vis, & acutæ febres, id eſt tot calida plus nimio nervos tendunt, atque durant, majoribus viribus, quam integra valetudine reluctari, & multa facere manifeſtum eſt, cum eorum corpus ſit ægritudine attenuatius, & exilius. Sic igitur & nutu animæ, & nervorum quodam machinamento, & pondere Corporis conſiunt, hæ quæ vires vocantur. Voluntas autem nutum exhibet, qui pronior ſit ſpe, vel audacia, retunditur autem timore, ſed multò magis deſperatione, nam in metu, cum aliqua ſpes ſubeſt, vehementiores vires apparere aſſolent: Machinamentum configuratio quædam Corporis coaptat, temperatio modificat valetudines, confirmat exercitationis induſtria, pondus dat moles membrorum, quam ætas & nutrimenta comparant, inſtaurant autem ſola nutrimenta.

His omnibus, qui æqualiter prævalet, mirandus eſt viribus, & tanto eſt alius alio invalidior, quanto plus eum iſta deficiunt. Fitque ſæpè ut pertinaci nutu meliore machinamento, alius quamvis parvum pondus corporis egerit, alium majore mole præditum vincat. Rurſuſque nonnunquam tanta moles eſt, ut etiam ſi imbecilliore niſu agatur, opprimat tamen parvum Adverſarium multò vehementius innitentem. Cum verò non pondus Corporis, nec moderatio nervorum ſed nutus ipſe, ideſt Animus cedit, ut omninò valentior, ab omni modo invalidio-

lidiore, sed tamen timidior ab audactore superetur, nescio utrum viribus attribuendum sit. Nisi quis dicat habere quasdam suas vires animam, quibus ei major audacia, vel fiducia pariatur. Quæ cum alteri assunt, alteri desunt, tunc intelligitur, quantum animus Corpori suo, etiam in eo, quod per Corpus agitur antecellat. Quamobrem cum infanti puero solus ad trahendum aliquid vel repellendum nutus sit integer, nervi autem, & propter recentem, minusque perfectam confirmationem inhabiles, & propter humorem, qui illi ætati exuberat, marcidi, & propter nullam exercitationem languidi, pondus verò adeò sit exiguum, ut ne ab alio quidem impactum graviter vigeat opportuniusque sit accipiendum quàm ad inferendam molestiam, quis est, qui cum hæc omnia quæ desunt contulisse annos viderit, vires que per eos datas cognoverit, crevisse Animam, quæ his in dies amplioribus utatur, rectè, ac prudenter existimet? Potest enim iste si ab aliquo juvene quem vel amine interposito non conspiciat, parvos, ac leves calamos laxo arcu quantum potest, ejaculatos viderit non longè ire, moxque, recidere, ac post paululum sagittas jam ferro graves, pennulis vectas, nervo intentissimo emissas Cælum remotissimum petere, fideque facta fuerit pari conatu hominis utrumque esse factum, crevisse illum tantillo tempore, atque auctum viribus arbitrari, quo quid dici potest perversius? Deinde Anima si crescit vide quàm sit insciium, incrementa ejus de viribus corporis credere, de copia doctrinarum non credere, cum illis solùm accomodet nutum, hæc autem sola possideat. At si crescere animam putamus cum additur viribus, minui putanda est, cum demitur. Demitur autem in Senecta, demitur in labore studiorum atque his temporibus doctrina aggerari atque extrui solent, neque ullo modo eodem tempore simul augeri quidquam, & minui potest. Nullum igitur crescentis Animæ argumentum est, vires in majori ætate majores. Multa alia dici possent, sed si jam tibi satisfactum est, modum adhibebo, ut ad alia transeamus. Ad. Mihi verò satis persuasum est, majores vires ex non eo esse, quod anima creverit? Nam ut alia omittam, quæ abste subtiliter dicta sunt, insania, & morbo corporis Anima crescere, cum ipsum corpus minuatur, ne ipse quidem phreneticus dixerit, cui vires multà ampliores

quam

quam sano esse solent, nemo nescit. Unde mihi maximè videtur in Neruis esse omne quod miramur, cum præter spem uires in quopiam reperiuntur, quare eo ego aggrederer jam illud cui totus intendo, cur Anima si non tanti spacii magnitudinem habet, quanti Corpus est, cur ubique illa sentit, cum tangitur.

EXPOSITIO.

Totæ Animæ naturæ in virtute intelligendi sita est.

Quæ ratione dicatur Animus in corpore esse, & corporis organis adnecti.

Mutuum quoddam comercium inter Animum & corpus intercedit.

De Halitu æthereo sedem in nervorum origine obtinente.

Quæ ratione Spiritus impetum faciens in corpore delineatur & conservetur.

QUidquid in hoc capite argutè quidem, sed aliquantulum obscurius, ac prolixius exponitur, liceat nobis diversa methodo, ac pauciores enucleare ut clarius, atque expeditius deindè Textus intelligatur. Humanus Animus, ut suprà explicavimus, nihil aliud est nisi substantia Rationis particeps corpori regendo accommodata, seù est substantia, cujus tota natura in virtute intelligendi sita est, quæ ad corporis regimen, ac custodiam ordinatur. Cum igitur Animus sit ipsa cogitandi, ac intelligendi potestas, insectilis sanè, & inextensus est, ut fusè in nostris Investigationibus ostendemus Itaque abhorrens ille a partibus, ac mole, dum ex Supremi Conditoris Institutione corpori conjungitur, neutiquam extenditur, & exporrigitur per vniversam corporis magnitudinem, & extensionem, sed tantum in toto corpore, & quavis ejus parte viget, & adest, virtute, ac præsentiâ quadam operationis; Nam ob mutuum comercium inter Animam, & corpus, ex naturæ legibus miro artificio firmatum, Animus in universum corpus agit, & vicissim corporis occasione patitur, ac quodammodo mutatur, ob tamen regimen, ac dominium, quod exercet in corpore, veluti in cerebro, seù nervorum origine sedem ac Regnum habens, subtiliorem, magisque æthereum Sanguinis halitum, tanquam famulum, ac insignius suum Instrumentum, ad corporis machinam moderandam sibi subit, cui pro suo arbitratu imperat ut quam citissimè ubi ipse præceperit accurrat. Siquidem Animus potissimùm Rector, ac Dominator, sicuti etiam & vita Corporis nuncupatur, quia imperium tenet in tenuissimam, ac summè velocem sanguinei humoris auram, quam deinceps halitum æthereum, vel spiritum impetum facientem appellabimus.

Hic autem Spiritus in cerebro, aut transmutationis, aut, quod verosimilius est, secretionis ope procreatus, ibi potissimum viget, & affluit, ubi fons & origo nervorum, quorum filamenta a cerebri substantia exordium capientes, per singula corporis membra tanquam subtilissimæ cordæ distenduntur, ac propagantur, in quorum nervorum, seù tubulorum cavitatibus æthereus halitus unduloso motu excurrens, singula viscera veluti irrigat, ac vivificat, ad cunctas operationes vitales, naturales, & animales fovendas, ac sustinendas accurrens.

Hujusmodi verò spiritus impetum faciens ut in Corpore diù conservetur, atq; ad sua munera obeunda fit quàm maximè expeditus, aptus, opus est primò, ut benè destricta, & compacta sint organa, in quibus ille clau-

clauditur, ne facilè pereat, ac dissipetur, cum enim suaptè natura valdè volatilis sit, & fugax, nullo negotio solvitur, & abit in auras. Deindè requiritur, ut in humida quadam crassiori, magisque tenaci substantia, ne fugiat, ac per universum corpus tumultuoso motu cieatur, quodammodò irretitus & implicatus inveniatur. Hinc si nimium organa exsiccentur, aut laxiora fiant, æthereus halitus vires in se collectas minime habens citò dispergitur, & evanescit. Cum verò hic nervorum auxilio musculos, cæterasque Corporis partes facillimè pervadat, oportet tandem ut nervi moderata tensione gaudeant, qui nisi tendantur, & humectatam quamdam duritiem habeant, facilè spiritus excursiones, ac motus impediuntur, aut perturbantur. Præterea haud improbabiliter hic æthereus halitus concipi potest tanquam pulvis Pyrius, seu tormentarius, non artis, sed naturæ industria elaboratus, qui potissimum ex spiritu nitri, & sulphuris in sanguine delitescente secernatur, cujus humidum, ac tenax vehiculum, seu vinculum, quo detinetur, crassiori carboni respondeat, ut optimè dici possit ad illius fabricam concurrere principia quædam, quæ proportionem, & anologiam cum elementis pulverem Pyrium componentibus habeant, quod Rationi consentaneum esse patebit, si quam facilè æthereus halitus inflammetur, ac vehementer rarescat, advertamus. Hujusmodi spiritus accensio, & rarefactio non tantùm motus Corporis internos, verum etiam & externos maximè fovet, ac promovet; Motus internos dicimus eos, qui in ipsius Corporis penetralibus procreantur, ut motus cordis, arteriarum, intestinorum &c. Externos verò vocamus qui in exterioribus partibus, & potissimùm in musculis producuntur, qui instituti sunt à natura, ut Corpus facilè sese ab externarum rerum ictibus, & iniuria vindicet, ad sui perennitatem tendens.

Ad pyrii pulveris instar Etherus halitus concipi potest.

Etherens halitus internas pariter & externas corporis promovet operationes.

Liceat ergò tanquam miram, & ingeniosam machinam ad quosdam motus pro humanæ Vitæ incolumitate perficiendos constructum esse corpus, cujus validius machinamentum, aut tormentum sit ipsemet neruus congruè tensus, ac benè compactus, in cujus origine Pyrius, ut ità dicam, ac vegetus ætherei halitus Pulvis, plurimum abundat, ac prævalet. Jam cum Animus ut diximus nihil aliud sit, nisi intelligendi, seù cogitandi facultas, non potest alio modo in hunc tenuissimum spiritum agere, & imperium habere, nisi cogitando. Idcircò solo nutu, solaque voluntate spiritui tanquam sui præcipuo Instrumento imperat, qui spiritus motum pro suo arbitratu regit, ac dirigit, ut corporis machinam custodiat, ac tueatur. Hic ergò nutus Animi impulsivum ac directiuum, si fas est dicere, principium est, undè motum, ac directionem capit æthereus halitus, ut singulis corporis membris præsidio esse valeat.

Qua ratione in corpus imperium exerceat, halitumque æthereum moderetur Animus, aperitur.

Siquidem cum imperantis Animi nutus tanquam explodens accesserit, confestim spiritus veluti sopitus, & in cerebro jacens accenditur, excitatùr, ac commovetur, cujus irruptione nervorum tormentum tenditur, per quod æthereus Pulvis in musculos evibratur, cui dum nouum sulphur, ac nitrum, nouumque calorem arteriosus sanguis submini-strat, corporis machina tanta vi tantoque impetu afficitur, & agitatur, ùt suo ingenito pondere, quasi æneo globo obarmata, obsidentia, & inimica

Imperantis Animi nutus, etherei halitus ope, nervorum tendit machinamenta.

mica corpora a se repellat, aut ad sui tutelam, vel oblectamentum externa pondera etiam immaniora moveat, ferat, atque attollat. Ex præjactis verò, & intellectis fundamentis, quæ hic tantum oscitanter innuimus, apertè colligimus corporis vires ex pluribus causis emergere; Principium enim, ac virium fons est dominantis Animæ nutus, ac imperium, deindè tanquam validius illius Instrumentum ad vires fovendas ac propagandas æthereus succedit alitus, cujus ope crassioribus organis imperat, & adnectitur Animus, posteà ad virium tutamen, & incrementum accurrunt, nervorum tensio, in qua potissimum vires residere ex dictis constat, congrua figura, & conformatio membrorum, denique musculorum densitas, ac firmitas. Quapropter ut corporis vires augeantur, ac hostem repellere valeant mirum in modum juvant membrorum consistentia, moderata siccitas, calor, & temperatus humor, quin etiam huic rei vehementer prodest, quod organa nullo labore flecti, & secundùm diversum situm variisque modis moveri queant, hoc autem usu, & exercitatione quam maximè obtinetur Quæ cum ita se habeant, evidentissimum est, corporis molem tantum a vires augendas conferre quia pondus tribuit, quod Animæ nutu nervorum auxiliante machinamento ad corpora minoris ponderis, aut minoris impetus edomanda immittitur; pondus autem modus quidam diversus a mole est tanquam illius nisus, seu conatus, quo ad sui totius centrum moles corporea perpetuò tendit, hac lege tamen ut graviores moles minus ponderosas superent, quamvis sæpissimè, ut in machinis experimur, majora pondera minoribus cedant ob majoris velocitatis accessum, quæ ità exilioris ponderis vim, & potestatem adauget, ut minus pondus major adæquet, aut superet, ut in alijs Geometricis machinamentis videre est. Quamobrem ex parte corporis id, quod minus confert est ipsa magnitudo, & molis excessus, cum, ut vidimus, ad virium augumentum potissimum concurrant temperatus humor, apta quædam membrorum dispositio, & figura, nervorum tensio, & soliditas, spiritus, robur, & exercitatio; Nam si corporis vires crescerent quia adaugetur moles, eò robustiora, ac validioribus viribus instructa essent corpora, quo hæc ampliori mole pollent, quod tamen ipsamet experientia a vero devium esse ostendit; Nam qui delirio, & ardentissima febre corripiuntur, aut tumultuosa frenitide laborant, quamvis estenuatius, ac gracilius torquente morbo corpus habeant, nihilominus ingentes vires habere solent, quibus neutiquam in valetudine gaudebant. Plura etiam ex parte Animi ad virium incrementum requiruntur, nam præter illius nutum, & imperium oportet, ut Animus adhibeat affectus, seu concitatas motiones aptiores ad æthereum halitum commovendum, & inflammandum, ut fiducia, & audacia, illis semotis affectibus, qui spiritum quodammodò implicant, sistunt, ac remorantur. Hinc observamus audaciores homines etsi aliquando minori, magisque exigua corporis mole constent, eos tamen repellere, ac vincere, qui licet ingentiori mole gaudeant, motu tamen, ac pavore obsidentur. Ex quibus tandem manifestè colligitur ratio, cur pueri imbecilliores vires habeant, & quo pacto majoris ætatis accessu in adultioribus vires augeantur, quin etiam evidenter liquet non ideò crescere vires in corpore, quia ob longius tempus crescit, & in spatijs amplior fit Animus,

Ex quibus causis corporis emergant vires?

Corporis vires sepissime immista corporis mole augentur.

Plurimum concitatæ motiones Animæ ad virium conferunt incrementa.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [150] - 120
PUBLIC DOMAIN

mus, cum citrà illius incrementum „aut decrementum ex rebus jam demonstratis, quo pacto crescant vires, jam pateat, quæ singula distinctius, ac prolixius exposita in Textu reperies, ut satis nobis fuerit hic viam sternere ad expeditiorem ac faciliorem Textus Intelligentiam solum superest, ut postremum Ratiocinium exponamus, quo peracutè quidem Augustinus, ex virium corporis Incremento Animum minimè crescere, probat, hoc enim pacto philosophatur. Si Animus viribus corporis adauctis amplior fieret, & augeretur, multò magis ille cresceret, cum in eo doctrinarum, ac disciplinarum vires crescunt, cum nempè doctrinarum copia, noviſque notitiis exornatur, nam major nexus intercedit inter Animum, & doctrinas, quam inter illum, & corporis vires; Etenim vires corporis tantum suo nutu dirigit, doctrinas verò possidet Animus. Jam dum doctrina, ac veritatis cognitio crescunt in Animo, tunc ob maturiorem, ac senescentem ætatem valdè minuuntur, ac decrescunt vires corporis, non enim agerantur doctrinæ, & affluunt, nisi cum senectute laboramus, senescentibus autem, ex corporis moles contrahitur, & vires extenuantur. Idcircò si dum decrescunt vires corporis diminueretur Animus, aperta quidem falsitas manifestè inferretur, eumdem nempè canescentis corporis Animum majori doctrina accedente minui pariter, & augeri, crescret enim ob doctrinarum Incrementum, iminueretur verò ob graciliores corporis decrescentis vires, quo nihil quidem à ratione alienius. Sicuti ergò non decrescit Animus ex Virium corporis imminutione, ita neque fit auctior ex earumdem virium incremento. Jam opus est, ut ad alterum Epicuri Ratiocinium refellendum in sequenti capite, descendamus.

Cum corporis adaugentur vires minimè crescit Animus.

CAPVT XXI.

TEXTUS.

AUg. *Age verò aggrediamur quod vis, sed multo te mihi attentiore opus est quam fortasse existimas esse debere. Quare facito, ut quam maximè adsis, ac respondeas mihi, quidnam tibi videatur iste esse sensus, quo anima per corpus utitur. Nam ipse jam nomine proprio sensus dicitur.* Ad. *Sensus esse quinque audire soleo, videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, atque tangendi, plus quid respondeam, nescio.* Aug. *Partitio ista vetustissima est, & ferè in concionibus celebrata. Vellem autem definiri mihi abs te, quid sit ipse sensus, ut eadem definitione omnia illa includerentur, neque aliud quid quam quod sensus non esset, in ea includeretur, vel intelligeretur: Sed si id non potes, nihil urgeo, illud enim quod satis est, certè potes meam definitione vel refellere, vel probare.* Ad. *Hoc modo tibi fortasse non deero quantum valeo. Non enim & hoc semper est facile.* Aug. *Attende ergò, nam sensum puto esse, non latere Animam quod patitur corpus.* Ad. *Placet mihi hæc definitio.* Aug. *Adesto ergò huic tanquam tuæ, ac tuere illam dum a me paulisper refellitur.* Ad. *Tuebor sanè, si tu adiuveris, sin minimè jam mihi displicet, non enim frustrà tibi visa est refellenda.* Aug. *Noli nimis ex authoritate pendere, præsertim mea, quæ nulla est. Et quod ait Horatius, sapere aude, ne non te ratio subjuget priusquam metus.* Ad. *Ego prorsus nihil*

metuo quoquo res modo proceßerit, non enim errare me fines. Sed jam incipe si quid habes, ne differendo, potius, quam adversando defatiger. Aug. Dic igitur quid patiatur corpus tuum, cum me vides? Ad. Patitur omnino aliquid nam oculi mei Partes, nisi fallor corporis mei sunt, qui si nihil paterentur, quomodo te viderem? Aug. At non satis est, ut persuadeas tuos oculos aliquid pati, nisi etiam quid patiantur, ostenderis. Ad. Quid tandem si ipsum vi- sum? Nam vident. Si enim me rogares, quid pateretur ægrotans, ægritudi- nem responderem. Aug. Quid cupiens, cupiditatem. Quid metuens, metum, quid gaudens gaudium. Cur ergò roganti quid videns patiatur, non recte ipsum visum respondeam? Aug. Sed enim gaudens gaudium sentit, an nega- bis? Ad. imò assentior. Hoc & de cæteris perturbationibus dixerim. Ad. Sic habeo. Aug. Quidquid autem oculi sentiunt, hoc vident? Ad. Nullo modo istud dederim. Quis enim dolorem videat, quem tamen sæpe oculi sentiunt? Aug. Apparet te de oculis agere, bene vigilas, itaque vide, utrum ut gaudens gaudendo gaudium sentit, ita etiam videns videndo sentiat visum. Ad. Ano aliter potest. Aug. Quidquid autem videns videndo sentit, id etiam videat, necesse est. Ad. Non est necesse. Quid enim si amorem videndo sentiat, num & amorem videt? Aug. Cautissimè ac sagacissimè gaudeo, quod difficilè deci- peris. Sed nunc attendè, quoniam constitit inter nos, non omne, quod oculi sentiunt, neque omne, quod videtur sentiri? Ad. Hoc sanè nisi concessero, quo modo sensus poterit vocari, quod videmus? Aug. Quid omne quod sentimus nonne, & patimur? Ad. Ita est. Aug. Igitur si omne quod videmus, senti- mus, & omne quod sentimus, patimur, patimur omne quod videmus. Ad. Nihil resisto. Aug. Pateris ergò me, ac vicissim te ego, cum invicem nos vi- demus? Ad. Sic existimo, & ad hoc me Ratio instanter cogit. Aug. Accipe cætera. Nam credo absurdissimum, & stultissimum videri tibi, si quis affir- met ibi te pati aliquod corpus, ubi non est ipsum corpus, quod pateris. Ad. Videtur absurdum, & ita esse opinor, ut dicis. Aug. Quid illud, non nè ma- nifestum est, alio loco esse meum corpus, alio tuum? Ad. Manifestum est. Aug. Quid illud non ne manifestum est alio loco esse meum corpus, alio tuum? Ad. Manifestum est. Aug. Sentiunt autem corpus meum oculi tui, etsi sentiunt, utique patiuntur, nec possunt ibi pati, ubi id quod patiuntur, non est, nec ta- men ibi sunt illi, ubi corpus meum est, igitur ibi patiuntur, ubi non sunt. Ad. Ego quidem illa omnia concessi, quæ non concedere absurdum, videbam. Sed hoc ultimum quod ex his confectum est, ita est absurdius, ut illorum pe- tius aliquid temere me dedisse, quam hoc verum esse consentiam; Nam oculos meos ibi sentire ubi non sunt, ne in somnis quidem dicere auderem. Aug. Vi- de igitur ubi obdormieris: Quid enim tibi tandem elaberetur incautius, si ut paulò ante vigilares. Ad. Enimverò id ipsum mecum sedulò pertracto, ac re- voluo. Nihil tamen elucet satis, quod me dedisse peniteat, nisi fortè illud, quod oculi nostri sentiunt, cum videmus, visus namque ipse forsitan sentit. Aug. Imò ita est. Is enim se foras porrigit, & per oculos emicat longius quaquà cur- sum potest lustrare, quod cernimus. Undè fit ut ibi potius videat, ubi est id, quod videt, non undè erumperit, ut videat. Non ergò tu vides, cum me vides? Ad. Quis hoc insanus dixerit, omninò ego video, sed emisso visu per oculos video. Aug. At si tu vides, tu sentis, si tu sentis tu pateris, nec potes ibi pati aliquid, ubi non es. Ibi autem me vides, ubi ego sum. At si ubi sum ego, tu ibi non es, quo pacto audeas dicere videri me abs te, prorsus ignoro. Ad. Visu inquam porrecto in eum lo- cum in quo es, video te ubi es, at me ibi non esse confiteor. Sed quemadmodum si Vir-

gate-

gate tangerem, ego utique tangerem idque sentirem, neque tamen ego ibi essem, ubi te tangerem. Ita quod dico, vsume videre, quamvis ego ibi non sim, non ex eo cogor fateri, nec me esse, qui videam. Aug. *Nihil ergò temerè concessisti. Nam & oculi tui hoc modo defendi possunt, quorum est quasi virga visus ut dicis. Neque illa est absurda conclusio, quod ibi oculi sui vident ubi non sunt, an tibi aliter videtur?* Ad. *Ita sanè est, ut dicis. Nam & illud nunc animadverti, quod si ibi viderent oculi ubi sunt, etiam se ipsos viderent. Nam ubi sunt, ideò sunt, quem locum tenent, soli tenent, nec nasus est ibi, ubi illi, nec quidquam est illis vicinum, alioquin etiam tu ibi esses, ubi ego sum, quia justà invicem sumus. Quæ cum ita sint, si tantum ibi viderent oculi ubi sunt, nihil amplius, quam se ipsos viderent. Cum autem se non vident, non modò cogimur consentire posse illos videre, ubi non sunt, sed etiam omninò non posse, nisi ubi non sunt.* Ad. *Nihil est, quod hinc dubitare me faciat.* Aug. *Ergò non dubitas ibi eos pati, ubi non sunt: Nam ubi vident ibi sentiunt. Ipsum enim videre, sentire est, sentire autem pati, quare ubi sentiunt, ibi patiuntur. Alibi autem vident quam ubi sunt: Ibi igitur patiuntur, ubi non sunt.*

EXPOSITIO.

Altera Epicuri dubitatio ex sensus naturæ deprompta exponitur, ac solvitur.

CElebrem, summèque arduam de Sensus natura disputationem exagitare aggreditur Augustinus accuratissimè inquirens, quo pacto insectilis, & incorporeus Animus citrà suę substantiæ expansionem undique sentiat in corpore cum corpus tangitur: Siquidem captu difficilè videtur, qui fieri possit, ut Animus molis, & quantitatis expers, ita tamen sectili, & extenso Corpori conjungatur, ut in quavis illius parte sentiat, atq; percipiat, quod valdè à veritate alienum visum est Epicuro, qui censet, Animam neutiquam in corpore sentire posse, nisi ipsa quantitate, & mole prædita, undique per corporea organa expandatur, idcircò ut rem tàm laboriosam explanaret, quin etiam Epicuri sophismata refelleret præstantissimus Doctor, primùm tradere enititur claram, ac legitimam Sensus definitionem, quæ sequens est, Non latere Animam, quod corpus patitur; qua soli, & singuli corporis sensus juxtà severioris Dialecticæ leges exponuntur, Sensus igitur, ut ex allata definitione constat, duò necessariò complectitur, alterum ex parte Animæ, ex parte verò corporis alterum, utrumque aperire diligentissimè studet Augustinus, & primùm exponit, quid patiatur Corpus, cum sentit Animus, quod ut plausibilius, & facilius declaret, præstantioris sensus, oculi scilicet exemplo utitur, cujus totum ratiocinium hùc redigitur. Cum oculus exempli gratia videt solem, tunc verè sentit solem, nam videre sentire est, visus enim sensus omnium præstantissimus appellatur; Attamen non ob aliam rationem oculus sentit solem, nisi quia patitur solem, seu meliùs, patitur ex sole: siquidem si oculus nihil pateretur ratione solis, seu si nihil de novo recipereta sole, profectò solem non sentiret, atque adeò neque videret; Non potest namque oculus ex non vidente, & sentiente fieri sentiens, ac videns, nisi ei de novo aliquid advenerit. Iam non alio modo oculus videns solem patitur ex sole, nisi quia videndo, so-

Quid sensus sit juxta Augustinum.

Duo potissimùm allatu sensus definitio complectitur.

Oculus Solem videns, ex Sole patitur.

do, ſolem tangit, nam ut infrà oſtendemus ſinguli ſenſus reciproco quodam corporum contactu perficiuntur, ut ex parte corporis nihil aliud ſit ſentire, quam quidam corporum contactus.

Ut autem Auguſtinus aperiat modum quò oculus videns ſolem patitur, ſolemque tangit, quorumdam Platonicorum ſententiam amplexatus, imaginatur, viſum ſe foras porrigere, & per oculos longiùs emicare, ut quaquaverſum luſtrare valeat, quod cernimus, hoc verò ingenioſo quidem baculi, ſeu virgæ viſoriæ exemplo exponit; Etenim putat inter oculum videntem, & ſolum viſum, virgam quamdam, aut ſi mavis, viſualem radium intercedere, qui ab oculo proficiſcens in ſolem tanquam in oculorum objectum deſinat, cujus auxilio verè oculus ſentire, ac tangere ſolem, dicatur, Ad eum modum quo ſentire, & tangere diſtantia corpora dicimur, cum mediante baculo, aut virga in illa incurrimus, non minus enim manus tangere, & ſentire, exempli gratia, parietem dicitur, cum hunc virgà, aut baculo adhibito tangit, quàm cum nullo altero mediante paries tangitur a manu. Etiamſi ergo oculus per viſum, ſeu viſualem virgam ab oculo ad ſolem uſque ex porrectam ſolem tangeret, attamen dicendum eſt, verè ſolem ab oculo ſentiri, & tangi, eo modo quo manus ſentire, & tangere dicitur diſtantia corpora, cum ea virgà, aut baculi beneficio tangit. Quin pariter non viſus ex oculo foras erumpens, ſeù viſoria virga videre, ac ſentire dicitur ſolem, ſed ipſemet oculus viſoriæ virgæ ope ſolem tangens, ac ſentiens. Patitur ergo videns oculus, ac verè tangit ſolem, cum hunc ſentit, ac videt, at quæſo ubi, ſeù in quo loco ſol ab oculo tangitur, ac ſentitur; profectò in Cælo, ubi radiis fulcitus emicat, nequit enim oculus pati, ac tangere ſolem ubi ſol non eſt, qui tantum tangi poteſt, ubi eſt, at in loco ubi eſt ſol ſanè oculus non eſt. Patitur igitur, ac tangit ſolem, oculus in cælo, ubi ipſe non eſt. Atqui oculum tangere, & pati ſolem videre, ac ſentire ſolem eſt, ſentit igitur oculus, ubi non eſt; Nam ſi tantum ſentiret, ac videret, oculus ubi eſt, nihil quidem a ſe diverſum, ſed tantum ſe ipſum videret, Non videt autem ſe ipſum oculus, quia ſentire, & videre nequit niſi in eo loco, ubi non eſt.

Virgà veluti quedam viſoria inter oculum inſpicientem, ac Solem viſum exporrigitur.

Sol viſus quo pacto tangi ab oculo dicatur?

Solem Oculus ſentit, ac videt ubi ipſe non eſt.

Pro majori verò hujus rei intelligentia, ut ab omni amphibologia, & obſcuritate prorſus Auguſtinenſis Argumentatio vindicetur, tria in quovis ſenſu diſtinguimus, externarum ſcilicet, ac ſenſilium rerum in Corporis organa impreſſionem, hujus impreſſionis ſeù motus vim per nervorum filamenta ad cerebrum uſque propagatam, ac tandem vitalem perceptionem, quæ ob impreſſionem corporis in Anima confeſtim excitatur. Quę planius percipientur, ſi in corporis fabricam, atque ætherei halitus, ſeu inſignioris Animæ Inſtrumenti virtutem, ac naturam Intelligentiam convertamus. Modo quo ſuprà innuimus humanum corpus quoddam ineffabile Creantis Naturę machinamentum eſt, ex fluidis, ſolidiſque ſubſtantiis ſumma quadam proportione fabrefactum, cujus tota vis ſita eſt in nervis æthereo ſpiritu roboratis, ac vivificatis. Qui nervi a cerebri ſubſtantia originem trahentes, per ſingula corporis membra tam interna, quam externa, tanquam ſubtiliſſima filamenta, ſeu tenuiſſimæ cordæ diſtenduntur, & quaquaverſum explicantur. Idcircò nervorum principium, unde veluti in nodos colliguntur, & in idem Punctum aut ſaltem in eamdem partem deſinunt, in

Tria in quovis ſenſu diſtinguimus.

Corpus humanum machina quedam ex fluidis, ſolidis que ſubſtantiis compacta eſt.

De nervorum origine & uſu.

cere-

cerebro profectò collocatur, ut diligentissimi Anathomici observarunt, finis verò in corporis extremitatibus, exterioribusque partibus jacet. In principio nervorum spiritus impetum faciens, seù tenuissimus sanguinis halitus viget, ac regnat, qui dum pro Animæ nutu, aut ex alia causa, in nervorum cavitates irrumpit, elastica, seu expansiva virtute, qua pollet, suarumque partium impetu, & rapiditate nervorum filamenta tendit. Nervorum verò vim, ac tensionem ortum ducere ab æthereo halitu nervos intus pervadente planè liquet, nam eò validiores sunt, ac majori tensione nervi gaudent, quò magis æthereus spiritus affluit, qui dum valdè dissipatur, ac consumitur, debiliores fiunt nervi, & laxantur; Jam dum externa corpora, sive se ipsis, sive alterius corporis intermedii beneficio, nervorum extremitates in extima corporis parte impellunt, & afficiunt, statim illorum motus, & impressio æthereo Spiritui communicatur, qui undulosa quadam motione velocissimè refluens ad nervorum principium, & originem transmittitur, ubi dum veluti externæ rei vestigium imprimitur, ex naturæ legibus statim excitatur in Anima nova perceptio, quæ a scholis sensatio nuncupatur, quæ potissimum instituta est, ut Animus de statu corporis admoneatur, nam si ex moderato corporum externorum impulsu spiritus in nervis inclusus, & ad cerebrum refluens congruum ac temperatum concipit motum, ut Animæ nutui, & imperio minimè resistens non lædat, ac perturbet operationẽ, quam in ipsum tanquam in sui Princeps Instrumentum exercet Animus, tunc voluptas sive complacentia, sive grata quædam perceptio emergit ex Animo, qui optimè dignoscit, & advertitur, rerum externarum impressiones neutiquam corporis incolumitati, & congruo temperamento officere. Ex adversò autem si Animæ operatio in Corpore læditur ex nimio, ac vehementiori motu, quo ob externorum corporum nervorum extremitates vulnerantium, ac dilacerantium vim in cerebro agitatur halitus æthereus, tunc dolor, ac displicentia, seu ingrata perceptio procreantur in Animo, qui dum ab agendo impeditur ob contumaciam ætherei Spiritus, qui dum immodico motu valdè perturbatur, haud facilè ab Anima dirigi, ac regi potest. Ad sensum ergò progignendum tria necessariò requiruntur, primò externorum corporum actio, & impressio in extremitates nervorum, deindè hujus impressionis, & actionis per Spiritum in nervis refluentem ad cerebrum usque propagatio, quæ duo ad solum corpus spectant. Postremò oportet, ut ex nervorum, & ætherei halitus impressione nova perceptio innascatur in Animo, quod ad solum Animum pertinet, cujus tantum est percipere.

In principio nervorum æthereus viget habitus.

Quo pacto nervorum & ætherei halitus motu Sensus in Animo excitetur?

De voluptatis ac doloris sensu.

Ex quibus colligitur, cum sensus in animo excitatur, & Animum, & corpus pariter immutari, & pati, patitur, & mutatur Animus, quia corporis occasione percipit, & ex non sentiente fit sentiens, passionem verò subit corpus ob novam impressionem, & affectionem, quam recipit ex impellentium corporum occursu. Quapropter verè dici potest sentientem Animum corporis motum, & impressionem pati seu ex corporis mutatione mutari, quod oritur ob mutuum commercium inter Animam, & corpus a Provida Natura firmatum. Hinc sentire ex parte corporis nihil aliud est præter nervorum, & ætherei spiritus motum a rerum externarum impulsu causato; Ex parte verò Animæ ipsa met perceptio

Cum sentimus & Animus, & corpus patitur.

Sentire ex parte corporis motus, ex parte verò Animæ vitalis ipsa perceptio est.

Unica tantum est sensus species, nempè tactus.

ceptio est corporis motionibus respondens, atque adeò patet sensum ex parte corporis solo contactu perfici, ut revera non plures specie discrepantes, sed unus tantum sit sensus nempè tactus, qui omnium sensationum fons, & origo est, quod ut facilius ac planius intelligamus, maximè nos juvat, si corporis fabricam tanquam Musicum Instrumentum fidibus instructum imaginemur, cujus chordæ nervorum sint filamenta, quæ a corporis extremitatibus ad cerebrum utque veluti ad sui principium distenduntur; si æthereus spiritus nervosas chordas undique pervadit, nervorum chordæ tenduntur, ut vigilantibus in optima valetudine contingit: Si verò ab illis diminutus, ac dissipatus spiritus recedit, flaccescunt, ac laxantur nervorum filamenta, ex quo somnus ortum ducit. Jam ex nervosis chordis a cerebro propagatis aliæ excurrunt per oculos, aliæ expanduntur in auribus, explicantur aliæ in olfactu, aliæ verò per alia sensuum organa porriguntur, quæ tamen, & molis tenuitate, ac soliditate, aut partium figura, & conformatione, aut tenvioris, vel crassioris spiritus accessu, plurimum mutuò differunt, atque diversa temperie gaudent. Jam sicuti cum Testudinis, aut citharæ chordæ benè tensæ congruo quodam motu juxta Musicæ leges vibrantur, ac pulsantur, ex illarum undulosò tremitu dum numerosa proportione gravis sonus immiscetur acuto, concentus, & harmonia vocum procreatur, haud absimili modo solertissimum naturæ Ingenium nervorum chordas in corporis Instrumento, sive machina distendit, & explicavit, ut ætherei halitus præsentia congruam tensionem acquirentes, rerum externarum contactu, atque interioris spiritus impulsu nullo labore commoveri, ac pulsari valeant, in quibus dum tremitum, ac undulosam motionem impellentia corpora, & pulsans spiritus excitant, singularum sensationum harmonia, & consonantia quædam in Animo progignitur, ubi tanquam in jucundissimo spectaculo, dum subsultant, & multifariam filamenta nervorum agitantur in diversis corporis organis, singulorum sonorum varietas emergit, colorum prodit multitudo, caput extulit lux, sapores, odores, aliæque ejusdem generis sensiles formæ manifestantur. Porro sicuti in musicis Instrumentis, cum vehementiori, & nimio motu plus æquo pulsantur, & impelluntur chordæ, dilaceratur auris, ac læditur; Cum vero leniter, & proportionalibus motibus vibrantur, auditus voluptate perfunditur; Simili ratione cum externa corpora, & spiritus æthereus quodammodo in corporis Instrumento ludentia nervorum chordas congruo, & concinno motu ad tremorem provocant, illicò Animus ob congruentiam suæ operationis cum organorum actione summoperè allicitur, ac delectatur; Si verò corporum impressionibus rudius agitentur, ac feriantur nervorum filamenta, confestim dolet, & contristatur Animus ob illius, læsam, ac deturbatam operationem. Hìc haud absre erit advertere, cum singula Musica Instrumenta resonantia auditum oblectant, ac titillant, veluti in versatili corporis Instrumento, mira quadam propagatione multiplicari, & uti dicam, duplicari. Quippè dum suos undulosos motus tremorem ac vibrationes, aeris ope, in tenuissimos Auditus nervos exactissimè imprimunt, tota illorum vis, ac natura quodammodò in auditus organo clauditur, & exscribitur. Etenim nisi nervosum corporis organum simili modo tremeret, & concitaretur, cum Musica personant Instru-

Liceat corporis humani fabricam veluti musicum instrumentum concipere.

De vigilia & Somno.

De undulosò motu in filamenta nervorum, ope æthereorum verum impressa.

Quo pacto externa corpora nervos ac æthereum spiritum impellentia diversas sensationes in Animo excitent?

ſtrumenta, hæc ſanè neutiquam in animum agerent, quem tantum movent, ac demulcent, quia ſuos tremitus, ac undulationes in nervoſis corporis chordis propagant, ac multiplicant. Præcipuum verò diſcrimen inter Inſtrumenta muſica, & numeroſam humani corporis machinam eſt, quod dum muſici organi chordæ ſtimulantur, ac tremunt (ob ſimilem motum, quem tunc corporis Inſtrumentum mediante aere concipit) tantum auditus torquetur, aut capitur, ſeu jucundus aut inſuavis ſonus dumtaxat in Animo excitatur: At cum diverſimodè, & in varijs organis externarum rerum, ſpirituſque impulſu undatim nervoſæ chordæ in corporis machinamento concutiuntur, non modò ſonus in Animo conſurgit, verum etiam colores, odores, ſapores, ac ſexcentæ aliarum ſenſilium rerum imagines, & ſimulacra in Animæ ſinu produnt, ſubitòque reviviſcunt.

Hæc autem majoris explicationis gratia, aut ſi mavis, jocandi cauſa dicta ſint. Quod enim ad rem noſtram ſpectat eſt, diligenter animadvertere, quid dum ſentimus, animo congruat, quid verò corpori, ne alterum cum altero confundentes, veram, ac legitimam ſenſus naturam ignoremus. Ex rebus demum explicatis facilè percipitur, qua ratione in Exemplo allato ab Auguſtino oculus, videre, pati, ac ſentire ſolem dicatur, ſicuti etiam nobis innoteſcit, quot res ad ſenſum viſus producendum requirantur, & primò ut Animus per corporeum oculi inſtrumentum ſentiat, ſive videat ſolem, opus eſt, ut ſol agat in oculum, ſeù quod idem eſt, ut oculus afficiatur & tangatur a ſole. Sol autem cum maximè a Corpore diſtet non ſe ipſo ſed luce mediante tangit oculum. Lux enim recte concipi valet quaſi virga ex tenuiſimo ſummeque celeri, & concitato æthere fabrefacta, cujus altera extremitas in oculum, altera verò deſinat in Solem, qui mediante ætheris undulatione, ac motu oculum ferit, ac tangit. Deinde oportet, ut ſolis actio nervorum filamentis in oculo expanſis communicetur, ſeù, ut Solaris Radius in tunicis, humoribuſque oculi diverſimodè modificatus, ac refractus, tandem in fundum oculi, ſeù reticularem tunicam incidat. Quippè cum retina ſit quidam opticorum nervorum proceſſus, & propagatio, dum hæc lucis impreſſionem recipit, ſtatim opticus neruus illi adnexus commovetur, & agitatur, atque adeò motum pariter concipit æthereus Spiritus in opticis nervis delitescens, qui velociſſimè refluens nervorum principium ferit, & afficit. Poſtremò requiritur, ut ex illius motus, & impreſſionis vi perceptio in Anima excitetur, quæ vitalis actio eſt, & veluti ſpiritalis, & incorporea corporei ſolis imago, quæ propriè ſenſatio, ſeu viſio appellatur. Idcircò corporeus oculos reverà nec ſentit, nec videt, ſed tantum eſt inſtrumentum, & organum, quo Anima videt, ac percipit, dicitur ſolum videre oculus ex abuſu, & corrupto uulgi ſermone. Nam videre, & ſentire viventis Animæ eſt, non verò corporis, tantummodo enim oculus recipit in ſe actionem, & impreſſionem Solis, ſeu patitur, ac tangitur a Sole, ex cujus contactu, & paſſione juxtà naturæ leges emergit ex Animo viſio ſeù ſenſatio. Inconcuſſum igitur manet Auguſtini Ratiocinium; Etenim cum Anima per oculorum organa ſentit, ac videt Solem, verè patitur ex Sole. Siquidem non ob aliam rationem videt, niſi quia mutatur, in ſe recipiens novam perceptionem, occaſione motus, & impreſſionis æthereo ſpiritui, opti-

Que ſenſus naturam perficiunt alia ſoli animo, alia vero ſoli corpori competunt.

Qua ratione viſus ſenſus in Anima procreetur?

Non corporeũ organum ſed Animus videt.

ciſque nervis à Solis actione communicatæ, ut non tantum oculus, verum etiam Animus pati, & mutari, movente Sole, dicatur. Igitur Animus videt, ac patitur Solem, ubi Sol eſt, quem non videt in ſuo corpore, ſed extra corpus in remotiſſima ſyderum Regione; Attamen ubi eſt Sol, ibi Anima profectò non eſt ſentit, ergò Anima, & videt, ubi non eſt, quod etiam pro modo ſuo applicari poteſt corporeo oculo, qui dum patitur, & tangit Solem, ubi Sol eſt, & in eo loco, ubi Sol emicat, ipſe non eſt, rectè dici poteſt oculum pro modo ſuo videre, & tangere Solem, ubi ipſe non eſt.

Porrò admonendum eſt, quod quamvis cum Animus per oculum videt Solem, verè ſentiat, nihilominus non ſemper cum ſentit per oculum, videt; Nam cum oculus ſpina uulneratur, Animus ob impreſſionem factã tunc in oculo verè ſentit, percipit namque dolorem, neutiquam tamen videt, quod per oculum patitur, dolor ſiquidem ſub viſum minimè cadit; Non ergò omne quod ſentitur per oculum, videtur. Quo pacto verò ſentiens Animus ſcire, & percipere dicatur id, quod corporis organa patiuntur, in capitibus quæ ſequuntur, Auguſtino docente, exponemus.

CAPVT XXII.

TEXTUS.

AD. *Mirum eſt, quam iſta vera exiſtimo.* Aug. *Rectè fortaſsè exiſtimas. Sed reſponde, obſecro, utrum omne, quod per viſum cognoſcimus, videamus.* Ad. *Ita credo.* Aug. *Credis etiam omne, quod videndo cognoſcimus, per viſum nos cognoſcere?* Ad. *Et hoc credo.* Aug. *Cur ergò plerumque fumum ſolum videndo, ignem ſubter latere cognoſcimus, quem non videmus?* Ad. *Verum dicis. Etiam non puto nos videre, quidquid per viſum cognoſcimus, poſſumus enim, ut docuiſti, aliud videndo, aliud cognoſcere quod viſus non attigerit.* Aug. *Quid illud quod per viſum ſentimus poſſumus ne non videre?* Ad. *Nullo modo.* Aug. *Aliud eſt ergò ſentire, aliud cognoſcere.* Ad. *Omninò aliud; nam ſentimus fumum, quem videmus, & ex eo ignem, quem non videmus, ſubeſſe cognoſcimus.* Aug. *Bene intelligis. Sed vides certè cum hoc accidit, corpus noſtrum, ideſt oculos nihil pati ex igne, ſed ex fumo, quem ſolum vident. Etenim videre ſentire, & ſentire pati eſſe jam ſupra conſenſimus.* Ad. *Teneo, & aſſentior.* Aug. *Cum ergò per paſsionem corporis non latet aliquid animam, non continuò ſenſus vocatur unus de quinque memoratis, ſed cum ipſa paſsio non latet, namque ille ignis non*

viſus,

visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustatus, nec tactus a nobis, non tamen latet Animam fumo viso. Et cum hoc non latere non vocetur sensus, quia ex igne Corpus nihil est passum, vocatur tamen cognitio per sensum, quia ex passione Corporis, quamvis alia, ideſt ex alterius rei visione conjectatum est, atque compertum. Ad. Intelligo & optime video istud congruere, ac favere illi definitioni tuæ, quam ut meam mihi defendendam dedisti, nam ita memini esse ebs te sensum definitum, cum Animam non latet, quod patitur Corpus. Itaque illud, quod fumus videtur, sensum vocamus, passi sunt cum oculi videndo qui sunt corporis partes, & corpora, ignem autem ex quo nihil Corpus est passum, quamvis cognitus fuerit, sensum non vocamus. Aug. Memoriam quidem tuam probo, & sequacem Intelligentiam, verum munitio illa definitionis labascit. Ad. Cur quæso? Aug. Quia non negas ut opinor, non nihil pati Corpus cum crescimus, vel senescimus, neque id nos ullo sensu sentire manifestum est, nec id tamen animam latet. Non igitur eam latet quiddam quod patitur Corpus, nec tamen sensus iste appellari potest. Videndo enim majora ea, quæ aliquando minora videramus, & videndo senes eos, quos Juvenes, ac pueros fuisse constat, conjectamus aliquam talem mutationem nostra Corpora etiam nunc dum loquimur, pati. Neque in eo fallimur ut opinor, nam proclivius est, ut me falli dicam quod video, quam quod intelligo capillos meos nunc crescere, Corpusve per momenta mutari. Quod si mutatio ista passio Corporis est, quod nemo negat, nec nunc sentitur a nobis, nec tamen Animam latet, quia nos non latet, patitur, ut dixi, corpus, quod non latet Animam, nec sensus est tamen. Quare illa Definitio, quæ nihil quod sensus non esset, debebat includere, cum hoc incluſit, certè vitiosa est. Ad. Nihil mihi restare video, quàm ut te petam, ut aut definias aliter, aut hanc recurres, si potes; nam eam ista ratione quam vehementer probas vitiosam esse negare non possum. Aug. Facilè est istam corrigere, quod volo tu audeas, scies enim, mihi crede, si benè intellexisti ubi peccet. Ad. Num alibi quam ubi aliena comprehendit? Aug. Quo tandem modo? Ad. Quia quod senescit Corpus, quamvis in Juvene non possit negari pati aliquid, idque cum scimus, non latet Animam quiddam quod

patitur corpus, neque tamen ullo ſenſu percipi poteſt. Nam nec video me modo ſeneſcere, neque id auditu, aut olfactu, aut guſtu, aut tactu ſentio. Aug. *Undè ergò illud noſti?* Ad. *Ratione id colligo,* Aug. *Quibus argumentis Ratio tua nititur?* Ad. *Quod alios video ſenes, qui ut ego nunc ſum, juvenes erant.* Aug. *Nonne ſenſus eſt quo eos vides unus de quinque?* Ad. *Quis negat? Sed ex eo quod illos video, me quoque cum id non videam conjecto ſeneſcere.* Aug. *Quid uerborum ergò illi definitioni, quo perficiatur addendum putas cum ſenſus non ſit niſi non lateat Animam Corporis paſsio, nec tamen ita ut eam per aliam paſsionem aut per aliud quodlibet intelligat.*

EXPOSITIO.

Cum ſentimus Animam non latet, quod corpus patitur.

OStenſum jam fuit in capite præcedenti, oculum ſolem inſpicientem videre ac ſentire, ubi non eſt, quin pariter ſenſum corporis paſſionem continere, nam non ſentit Animus, niſi corpus patiatur. Nunc verò ad alteram partem ſuæ definitionis de ſenſus Indole explanandam deſcendit Auguſtinus, exponens, qua ratione, dum ſentimus, animam minimè lateat, quod corpus patitur, & primum admonet aliud eſſe ſentire, aliud cognoſcere per ſenſum. Nam plura nobis ſenſu auxiliante innoteſcunt, quæ tamen neutiquam ſenſum comprehendimus, ut E.g. cum oculo

Aliud ſentire, aliud per ſenſum cognoſcere.

vidente fumum, exploratum illico habemus ſubeſſe, ac latere ignem, ex quo fumus emergit, tunc fumus tantum ſentitur; non verò ignis, qui ſolum conjectando, & ratiocinando prælucente ſenſu cognoſcitur; Nam tametſi ignis occaſione oculi videntis fumum Animo in notitiam venerit, attamen quia oculus non ex igne, ſed ex fumo patitur, *ideo* dici nequit, Animam ſentire ignem, cum ſolum ab ea ſentiatur quod patitur corpus, ſeù id, quod corporis organum afficit, & impellit, haud enim ignis, ſed fumus, oculum agitat, & ferit, atque adeò fumus ſub ſenſum cadit, non vero ignis, qui tantum per ſenſum cognoſci dicitur; Ut igitur ſenſus perficiatur, non ſatis eſt, ut Animus ſciat, & cognoſcat mediante corporeo organo, ſed inſuper requiritur, ut percipiat id, quod ſenſus patitur, ſeù cujus virtute paſſionem, ac mutationem corpus ſubit.

Senſus definitio ab Auguſtino expoſita in dubium revocatur.

His expoſitis in quaſdam difficultates Auguſtinus incidit, quæ valdè infirmare videntur allatam definitionem de ſenſus natura, Animam ſcilicet non latere quod ſenſus patitur, & prima dubitatio, quæ emergit, ſequens eſt. Poteſt optimè contingere, ut corpus mutetur, & aliquid verè patiatur, quod neutiquam Animam lateat, abſque eo quod tunc ſenſus aliquis oriatur; Non eſt igitur verum, ſenſum nihil aliud eſſe niſi non latere Animam quod corpus patitur. Si quidem cùm capilli, aut ungues creſcunt, tunc verè aliquid patitur corpus, ex unguium enim incremento paſſio quædam in corpus inducitur, dum aliquid de novo illud recipit, quæ quidem Paſſio ſeù mutatio non latet Animam, quæ ungues adauctas videns, corporis paſſionem ſcit, ac percipit. Idcircò dum augen-

gentur ungues & hoc oculus videt, verum est non latere Animam, quod corpus patitur, & nihilominus dici non potest, quod Anima sentiat crescere ungues, cum tantum id conjectando animo manifestetur, qui cernens ungues majores, statim infert, ungues crevisse, quapropter vitiosa videtur tradita definitio, circa sensus naturam, cum non modò sensum, verum etiam & alios modo cognoscendi amplectatur: Definitio autem ut sincera sit, nulloque vitio laboret, præter cæteras dotes oportet, nihil aliud eam continere, nisi totam, & solam rem quæ definitur, seù explicatur. Revera tamen hæc oppositio nullo pacto prædictam Definitionem enervat; Quippè cum ungues crescunt, & Animus hujusmodi incrementum ex majori ungujum mole, quam cernit, agnoscit, tunc tantum ungues majores, seu ampliorem unguium magnitudinem, quam oculus patitur, sentit, non verò unguium incrementum, in cujus notitiam haud sentiendo, sed ratiocinando tantum incidit. Quod de unguium incremento dicitur, potest pariter affirmari de mutatione temporis, & ætatis in hominibus. Nam cum iuventà recedente paulatim senescimus, & corpus continenter mutatur, ac fluit, & hæc in nostram veniunt cognitionem, tunc Animam non latet, quod corpus patitur, nimirum Animus percipit, & scit senescentia, ac fluentia corpora passionem, & mutationem subiisse, & tamen fateri nequit, Animam sentire perpetuum corporis fluxum, aut illius imperceptibilem accessum ad senilem ætatem. Ad has, & alias dubitationes solvendas in tradite definitionis gratiam aliqua de genuina definitionis naturà secundum Dialecticæ leges ab Augustino in sequenti capite præmittuntur.

CAPVT XXIII.

TEXTVS.

Dic quæso istud paulò planius. Aug. *Geram tibi morem, & multò libentius retardanti, quam festinanti, sed fac totus assis, valebit enim hoc ad plura quod dicam. Definitio nihil minus nihil amplius continet, quam id quod susceptum est explicandum, aliter omninò vitiosa est. Utrum autem hujusmodi vitiis careat, conversione exploratur, quod his exemplis tibi fiat apertius. Si enim me rogares quid esset homo, & eum hoc modo definirem: Homo est animal mortale, non continuò quin verum est, etiam definitionem probare deberes, sed superposita ei particula, ideſt, omnis, convertere illam, & intueri utrum etiam conversa vera esset; hoc est, utrum quemadmodum verum est, omnis homo animal mortale est, & ita esset verum, omne Animal mortale homo est, quo aliter invento, improbare definitionem propter illud vitium quo aliena comprehendit. Non enim solus homo est animal mortale, sed etiam quævis bestia. Hæc igitur hominis definitio perfici solet, cum additur mortale rationale, nam homo est animal Rationale, atque ut omnis homo animal rationale mortale est, ita, omne animal rationale mortale, homo est. Plus continendo ergò superior definitio vitiosa erat, bestiam enim cum homine continebat. Ista perfecta est, nam & omnem hominem, & nihil plus quam hominem tenet. Tenendo autem minus, ita vitiosa est, si*

addes

addes grammaticum, quamquam enim omne animal rationale mortale grammaticum homo sit, plures tamen homines, qui Grammatici non sunt, hac definitione non continentur, & ob hoc ista per primam illam propositionem falsa est, cum autem convertitur vera.

Falsum est enim omnis homo animal Rationale Mortale Grammaticum, homo est, quamvis minus contineat. Cum autem neque per primam propositionem, neque per conversionem enunciata vera est, his singulis est profectò vitiosior, ut sunt istæ duæ. Homo est Animal candidum, aut homo est Animal quadrupes. Nam & si dicas, omnis homo Animal candidum est, aut Animal quadrupes falsum dicis, etiam si convertas. Sed hoc inter se differunt, quod illa prima in aliquos homines cadit, nam plerique sunt homines candidi, hæc altera in neminem, non enim quisquam homo quadrupes. Hæc pro tempore ad explorandas definitiones didiceris, quemadmodum propositione, atque conversione judicentur. Sunt alia multa de hoc genere, quæ docentur, & verborum plena, & tenebrarum, quæ paulatim ubi opportunum videbitur, conabor, ut discas. Nunc converte animum ad illam definitionem nostram, & eam peritior cum discusseris, corrige. Inveneramus enim eam, dum definitio sensus esset, complecti aliquid quod sensus non esset & ideò non esse cum convertitur Verum. Fortaße enim verum est. Omnis sensus, passio corporis est animam non latens ut verum est. Omnis Homo animal mortale est. At ut falsum est, omne animal mortale homo est, quia id est, & bestia, ita falsum est, omnis passio corporis non latens animam, sensus est, quia nunc nobis ungues crescunt nec animam latet. Id enim scimus neque id sentimus, sed conjectatione cognoscimus. Quemadmodum ergò illi definitioni hominis ut perficeretur, additum est rationale, quo additæ bestiæ quæ simul continebantur excluſæ sunt, nihilque præter hominem, atque omnem hominem tali definitione comprehendimus, non ne censes, aliquid etiam huic addendum esse, quo indè sejungantur, quod tenet alienum, nec quidquam in ea nisi sensus, & omnis sensus intelligatur. Ad. Censeo quidem, sed quid addi possit ignoro. Aug. Sensus est certè omnis passio, corporis non latens animam sed converti non potest hæc enunciatio propter passionem illam corporis, qua vel crescit, vel decrescit scientibus nobis ideſt, ut non lateat animam. Ad. Ita est. Aug. Quid? hæc passio per se ipsam non latet animam, an per aliud? Ad. Per aliud planè. Aliud est enim videre ungues majores, aliud scire quod crescant. Aug. Cum ergo crescere ipsum sit passio quam nullo sensu attingimus? magnitudo autem illa, quam sentimus, eadem passione facta sit, non ipsa sit passio, manifestum est talem passionem non per se ipsam scire nos sed per aliud. Si ergò non per aliud animam non latet, non ne sentiretur, potius quam coniiceretur? Ad. Intelligo. Aug. Cur ergò dubitas, quid illi definitioni sit addendum? Ad. Jam video sic esse definiendum, ut sensus sit passio corporis per se ipsum non latens animam. Nam & omnis sensus hoc est, & omne hoc, ut opinor, sensus est. Aug. Si hoc ita est: fateor definitionem esse perfectam, sed tentemus eam, si placet utrum illo secundo vicio non vacillet, quo illa hominis cui grammaticum est additum. Nam meminisse te oportet, quod esse hominem dictum est animal rationale, mortale Grammaticum, eoque peccare istam definitionem, quod conversione vera est, cum prima enunciatione sit falsa. Namque falsum est, omnis homo animal rationale mortale, grammaticum est, quamvis verum sit, omne Animal Rationale mortale, grammaticum Homo est. Ergò ideò vitiosa est hæc definitio, quod nihil quidem præter hominem sed non omnem hominem tenet, & hæc fortaſ-

fortaſſe talis eſt, de qua velut perfecta gloriamur. Quamquam enim omnis paſſio corporis per ſe ipſam non latens Animam ſenſus ſit, non tamen omnis ſonſus iſtud eſt. Quod ſi intelligas licet, Beſtiæ nempè ſentiunt, ac penè omnes quinque illis ſenſibus vigent, quantum cuique natura tributum eſt. An tu id negabis. Ad. *Nihil minus.* Aug. *Quid hoc? Non ne concedis ſcientiam non eſſe niſi cum res aliqua firma ratione percepta, & cognita eſt.* Ad. *Concedo.* Aug. *At Beſtia ratione non utitur.* Ad. *Et hoc concedo.* Aug. *Non igitur ſcientia cadit in Beſtiam. Cum autem non latet aliquid, utique ſcitur. Non igitur ſentiunt beſtiæ ſi omnis ſenſus eſt, cum paſsio corporis per ſe ipſam non latet animam, ſentiunt autem, ut paulo antè conceſsum eſt. Quid ergo dubitamus illam definitionem improbare, quæ omnem ſenſum circumplecti minimè potuit, ſi quidem beſtiarum ſenſus excluſus eſt?*

EXPOSITIO.

QUantum floruerint in lucidiſſima Auguſtini Intelligentia acutioris Dialeticæ vis, & ſagacitas, apertiſſimè colligitur ex accurato examine, quo in hoc capite ſingulas germanæ Definitionis dotes expendit, ut tandem a cujuſvis oppoſitionis injuria ſuam Definitionem de ſenſu vindicet. Quidquid autem ad hanc rem ſpectat, ſequenti modo enucleabimus. Definitio nihil aliud ſonat, quam expoſitio, quæ aut nominis eſt, aut rei. Exponitur nomen, cum, quænam Mentis idea ex hominum arbitrio articulatæ voci reſpondeat, ac veluti obſtricta ſit, aperitur, ut cum exponimus hanc vocem, Lineam, inſtitutam eſſe ad ſignificandam ſimplicem, & nudam longitudinem, cujus notio pro hominum arbitratu illi voci reſpondet. Definitio verò rei, de qua hic tantum eſt ſermo, nihil aliud eſt, niſi notio, & Idea Animi, in qua clarè, & diſtinctè ſincera rei natura exſcribitur, quæ deindè claris, & univocis vocibus exprimitur, quæ potiſſimum a Dialecticis inſtituta eſt, ut primum & illuſtrius rei explicandæ attributum intelligentes, adeò totam rem complectamur, ipſamque a rebus diverſis ſecernamus, ut reddere valeamus rationem omnium eorum, quæ rei congruunt, ex quo planè patet ad legitimam definitionem alicujus rei obtinendam requiri, ut in rei notione adeò tota rei natura compræhendatur, ut neque exceſſus, neque defectus vitio laboret, nimirum ut neque aliquid extraneum rei addatur, neque ab ea detrahatur aliquid, quod rei congruit; Idcircò vitioſa, & ſpuria erit Definitio; ſi rei notio, plus aut minus continendo, exponendam rem excedat, aut ab illa deficiat, quin etiam deturpatur definitio, ſi in illius notione aliquid quod rei adverſatur, & diſſonat exhibeatur. Ut verò ad trutinam revocemus, an quævis definitio legitima ſit, & ab omni vitio immunis, ad Dialecticæ canones confugiendum eſt, ad enunciationem ſcilicet, & converſionem, quarum auxilio facilè detegitur, an exceſſu, aut defectu, an verò alio vitio laboret definitio, quod ſequentibus exemplis aperire liceat.

Legitimæ Definitionis dotes expenduntur.

Definitio rei ad inſignius ac princeps rei attributum evolandum inſtituta

legitima Definitio ab exceſſu & defectu abhorrens in quadam æqualitate ſita eſt.

Si aliquis diceret. Omnis homo eſt Animal mortale, aut omne Triangulum rectilineum eſt figura Plana rectis lineis compræhenſa; hic profectò verum diceret, cum in hujuſmodi Propoſitionibus nulla falſitas contineatur, nihilominus ut nobis innoteſcat, an in utraque definitione legitima hominis, & trianguli rectilinei definitio eluceat, opus eſt recurrere

Qua ratione an recta, an vitioſa ſuerit Definitio nobis indubitanter innoteſcere valeat?

reread conversionem. Nam prima Propositio, sive enunciatio vera est, hoc pacto verò hujusmodi propositiones convertuntur: Omne Animal mortale est Homo. Omnis figura plana rectis lineis comprehensa est Triangulum rectilineum, quæ sanè aperta falsitate laborant, hoc pacto jam vitium utriusque definitionis evelavimus, quod positum est in defectu, non enim hæ definitiones amplectuntur totum id, quod in rebus explicandis continetur, sed deficiunt; Idcircò ut hac labe purgentur, oportet, illis aliud, quo compleantur, addere.

De corrigenda vitiosæ Definitione defectu laborante.

Non tantum deficiendo, minus scilicet continendo, verum etiam, & excedendo maculari, & vitiari solent definitiones, quæ si plus contineant, quam oportet, omninò tanquam vitiosæ contemnendæ sunt. Ut E.g. Si quis definiret hominem, aut Triangulum rectilineum, dicens: Omnis homo est Animal mortale Rationale Grammaticum, omne Triangulum rectilineum est figura plana tribus rectis lineis comprehensa, circulo inscripta; Sanè utraque Propositio, seù enunciatio falsa est; Etenim non omnes homines sunt Grammatici, & aliqua sunt Triangula rectilinea, quorum angulos nulla circuli peripheria tangit.

Aliquando Definitio excedendo vitiatur.

Ad utriusque tamen definitionis vitium explorandum convertantur propositiones sic: Omne Animal mortale Rationale Grammaticum est homo. Omnis figura plana tribus rectis lineis comprehensa, & circulo inscripta est Triangulum rectilineum, quæ Propositiones conversæ cum veræ sint, & enunciationes seù primæ Propositiones falsæ, statim colligitur, allatas definitiones excedendo, seù plus continendo peccare. Quod vitium corrigitur, si ab utraque definitione extraneum detrahamus, seù subducatur id, quod non necessariò rei definitæ competit, si scilicet a prima Grammaticum, ab altera verò propositione, circulo inscribi, demamus. Ex quibus duæ firmissimæ Regulæ innotescunt, ut detegamus, an excessu, aut defectu claudicet aliquandò definitio. Cum enim prima Propositio, seu enunciatio falsa, conversa autem est vera, tunc signum est deficere, seu minus continere definitionem. Cum verò prima Propositio est vera, conversa falsa, tunc evidenter constat, definitionem excedere, seù plus, quam oporteat, amplecti. Tandem vitiosa dicitur definitio, si involuat aliquid, quod explicandæ rei naturæ adversatur, ut si quis diceret, Triangulum rectilineum est figura plana quatuor rectis lineis circumscripta: Homo est Animal quadrupes. Cum in hoc vitium incurrit Definitio, & prima, & conversa Propositio falsa est. Etenim non tantum a vero aberrat prima enunciatio, omnis homo est Animal quadrupes, quam illius conversa omne, Animal quadrupes est homo. Idcircò in hoc casu, & enunciatione, & conversione definitionis morbus detegitur. His præjactis fundamentis opus est, ut per enunciationem, & conversionem exploremus, an cum dicimus sensum esse, Animam non latere, quod corpus patitur, hujusmodi sensus definitio adeò Dialecticæ legibus consonet, ut neque excedendo, neque deficiendo a Ratione deflectat, ad quod refellendum duo afferre posset Adversarius, & primò, quod hæc definitio excedat plus continendo, ut præter rem explicandam aliud extraneum amplectatur, ad cujus rei probationem adduci posset allatum exemplum de unguium incremento, & de homine paulatim senescente; Siquidem dum ungues

Quo pacto excedens Definitio corrigatur.

Duplex occurrit dubitatio quæ Augustinensem sensus definitionem infirmare videtur.

crescunt,

crescunt ; & magis exporrecta ætate in senectam incidimus ; tunc dum in hæc Animus animadvertit, verè dici potest, non latere Animam quod corpus patitur ; Quippè verè patimur, ac mutamur, cum senescimus, aut ungues in nobis augentur, & tamen hujusmodi Animæ cognitio, seu perceptio neutiquam sensus dicitur, nullo enim ex quinque corporis sensibus, aut nos senescere, aut in nobis ungues augeri percipimus, & si tunc verè aliquid patiamur. Quapropter licet prima Propositio, seu enunciatio vera sit, quod nimirum sensus sit, non latere Animam quod corpus patitur, quod singulis sensibus congruit, tamen conversa Propositio, omnis corporis Passio Animam minimè latens sensus est, apertà falsitate redarguitur ob allata exempla. Hujusmodi igitur definitio, sensus est corporis Passio non latens. Animam, excedendo vitiosa est, quia non modò sensum, verum etiam, & aliquid extraneum diversos nempè modos cognoscendi amplectitur.

An expositæ sensus definitio excessu, aut defectu laboret?

At si attentè rem consideremus potius deficere, quam excedere dicenda est hæc definitio, quæ ideò vitiosa est, quia deest ei attributum aliquod insigne & ut ita dicam, differentiale, quod Genus rei limitet, & restringat, ut sola res explicanda eluceat in definitione. Hoc pacto Definitio in allato exemplo Triangulum rectilineum est figura plana rectis lineis comprehensa, & si primo aspectu excessus vitio laborare videatur, cum in ea præter Triangulum singulæ figuræ planæ rectilineæ diversæ specici ut Quadratum Pentagonus &c. contineantur, nihilominus rectius loquitur, qui hanc definitionem deficiendo peccare, fatetur; deest enim illi attributum insignius, & differentiale, quo Triangulum rectilineum ultimò perficitur, & a quavis alia figura plana rectilinea diversæ speciei secernitur, ob quam rationem ex regula jam superius tradita prima Propositio vera, conversa falsa est, quod corrigitur si novam particulam definitioni addamus hoc modo. Omne Triangulum rectilineum est figura plana tribus rectis lineis comprehensa ; quo posito vera erit illius conversa Propositio, omnis figura Plana tribus rectis lineis comprehensa est Triangulum rectilineum.

Hinc cum utraque Propositio vera sit, apertè deducitur adeò definitionem totam & solam rem definitam involvere ut neque plus, neque minus in ea contineatur. Quo modo pariter addendo omni vitio purgatur definitio qua dicitur, omnis homo est Animal mortale, cui si adiungas Particulam, Rationale, consurget vera Propositio Omnis homo est Animal mortale Rationale, cujus conversa vera est, nam veritati consentit hæc Propositio, Omne Animal mortale Rationale est homo, atque adeò prima Propositio tanquam legitima hominis definitio amplectenda est, quæ ab excessu, & defectu abhorrens, solos, & singulos homines amplectitur.

Simili Ratione prosequitur Augustinus, per additionem allata sensus Definitio corrigenda est, quam tamen primò ex fictione. ut difficilioribus rebus examinandis assuefaceret Adeodatum, bonam, & sinceram esse dixerat. Nam prima Propositio omnis sensus est Corporis Passio Animam non latens, vera est, falsa verò conversa, omnis Passio Corporis Animam non latens sensus est : Peccat igitur hujusmodi Definitio deficiendo : quapropter illicò corrigetur, si particulam differentialem, seu genus limitantem illi adjungamus dicendo; sensus

Sensus est non latere Animam quod immediatè Corpus patitur.

est non latere Animam, quod immediatè patitur Corpus, quod omnibus, & solis sensibus convenit, tunc enim semper, & solùm dicitur sentire Animus cum ipse percipit, quod immediatè Corpus patitur, seu cum Corporis Passio, seu mutatio non altero mediante, sed se ipsa animæ innotescit, & manifestatur, seu quod idem est, tunc procreatur sensus in Anima, cum ex vi ipsius passionis corporis immediatè erumpit perceptio in Anima. Quapropter non satis est ad sentiendum quod Corporis Passio nota sit Animo sed ulterius requiritur, ut ipsa met Passio Corporis, quæ sentiri dicitur, sit immediata causa, seu proxima occasio, cur eam perceperit Animus, quod sanè non contingit in exemplis ab Adversario allatis, nam cum ungues adaugentur, sentit quidem Anima, seu videt ungues majores, ex quibus immediatè patitur oculus, at non sentiendo, sed ratiocinando colligit unguium incrementum, & quamvis crescentibus unguibus corpus aliquid patiatur, tamen hujusmodi passio nullo pacto se ipsa immediatè innotescit Animæ, quæ nullo sensu ungues adaugeri percipit, sed solummodò illi manifestatur mediante altera corporis passione Ratiocinio accedente, ob nimirum oculum ungues majores videntem. Conficitur ergo legitimam esse nostram sensus definitionem, nam enunciatio vera est, omnis sensus est Corporis Passio immediatè Animam non latens, & pariter vera Propositio conversa, omnis passio corporis immediatè Animam non latens sensus est. En quo pacto neque plus, neque minus, excedendo, aut deficiendo continet nostra sensus Definitio, quæ solis, & omnibus sensibus congruit.

Novæ emergit difficultas.

Enervari tamen adhuc videri potest exposita sensus Definitio si attentè consideremus primam illius particulam, nempè Animam non latere. Nam quod Animam minimè latet, id scitur ab Anima, ea enim nos non latent, quorum claram, & firmam scientiam; habemus continet igitur

An Sensus scientiæ naturam complecta. tur?

sensus juxta Augustini Definitionem scientiam atque adeò rationem, cui scientia necessariò adnectitur, non igitur adest sensus in bestiis, quibus nulla scientia, nullaque Ratio affulget, quid tamen falsius dici poterat; Nam experientia docente verè dum vident, audiunt, aut olfaciunt, aut quovis alio modo tangunt Bestiæ, sentiunt, non igitur allata definitio sensus naturam amplectitur, sed potius rationem, &

Si sentire scire est soli homines sentient.

Scientiam a sensu prorsùs discrepantem. Tantùm ad summum dici posset, allatam definitionem solum sensum hominum non autem bestiarum complecti, ut quamvis verum sit, quod humanus sensus sit Passio

Bestiæ verè sentiunt, nequaquam verò sciunt.

quædam Corporis immediatè Animam non latens, tamen si velimus omnes Animantes sentientes amplecti falsa erit sequens Propositio, Omnis sensus est Corporis Passio immediatè Animam non latens, cum Bestiæ verè sentiant, & tamen omni scientia careant. Hanc dubitationem movet Augustinus ut Adeodato occasionem præbeat magis in Dialecticis rebus sese exercendi, atque ut melius, quam bonæ definitionis legibus consentanea sit tradita sensus expositio appareat. Hinc pro re nata dum Augustinus propositam difficultatem enodare conatur, plura, & utilia, & ingeniosa in sequenti Capite de Scientia, Ratione, & Ratiocinatione edisserit.

CA-

CAPVT XXIV.

TEXTVS.

AD. *Fateor me deceptum, cum tibi concessi scientiam tunc esse, cum aliquid firma ratione percipitur. Solos enim homines cum hoc rogabas, intuebar; Nam neque possum dicere ratione uti bestias, nec eis possum scientiam denegare. Sciebat enim ut opinor, dominum suum Canis, quem post viginti annos recognovisse, perhibetur, ut taceam de cæteris innumerabilibus.* Aug. *Dic mihi, oro te, si duæ quædam res tibi proponantur, una ad quam perveniendum sit, altera per quam pervenire possis, quam istarum pluris pendis, & quam cui præponis?* Ad. *Quis dubitat eam præstare, ad quam sit perveniendum.* Aug. *Ergò cum sint duæ res quædam scientia, & Ratiò, per scientiam pervenimus ad Rationem, an per Rationem ad scientiam?* Ad. *Utraque res sibi met quantum arbitror ita nexa est, ut per alterutram ad alteram perveniri possit. Namque ad ipsam Rationem non perueneremus, nisi ad eam perveniendum esse sciremus. Præcessit ergo scientia ut ad rationem per eam perveniremus.* Aug. *Quid? ad ipsam scientiam, quam dicis præcedere, sine ratione pervenitur?* Ad. *Nunquam hoc dixerim. Nam est ista summa temeritas.* Aug. *Per rationem igitur?* Ad. *Non ita est.* Aug. *Ergò per temeritatem?* Ad. *Quis hoc dixerit?* Aug. *Per quid igitur?* Ad. *Per nihil quia insita est nobis.* Aug. *Oblitus mihi videris, quid inter nos superius convenerit, cum rogassem, utrum putares tunc esse scientiam, cum res aliqua firma ratione percipitur. Nam respondisti ut opinor, hanc tibi videri humanam scientiam nunc verò dicis, posse hominem habere aliquam scientiam, cum rem nulla ratione perceperit. Quis autem non videat nihil sibi adversius esse, quam ista duo sunt, & non esse scientiam, nisi cum res aliqua firma ratione percipitur, & esse cujusdam rei scientiam nulla ratione perceptæ. Itaque nosse cupio, utrum horum eligas, nam utrumque verum esse nullo pacto potest.* Ad. *Hoc eligo quod paulo antè dixi, nam illud superius temerè me dedisse, confiteor, cum enim ratione inter nos verum quæramus. Idque fiat rogando, & respondendo, quo modo posset ad summam perveniri, qua concluditur Ratio, nisi prius aliquid concederetur? Concedi autem rectè qui possit quod nesciretur. Ita ista ratio nisi inveniret in me aliquid cogitum, quo innitens ad incognitum duceret, nihil omninò per illam discere, nec eam prorsus rationem nominarem. Quamobrem frustrà mihi non assentiris ante rationem necessariò esse in nobis aliquam scientiam, undè ipsa ratio sumat exordium.* Aug. *Geram tibi morem, & te quidem, ut institui, quoties alicujus dati pœnitet, emendare permittam; Sed ne quæso abutaris ista licentia & negligenter, cum interrogo, attendas, ne assidùe male concessi etiam de iis, quæ benè conceduntur, dubitare te cogant,* Ad. *Perge potius ad cætera. Quamvis enim addam vigilantiæ meæ quidquid possum; Nam & me pudet de sententia cadere toties, nunquam tamen deterrebor pudori huic reniti, & lapsum meum te præsertim manum dante corrigere. Neque enim est ideò suscipienda pertinacia quia optanda constantia.* Aug. *Proveniat tibi planè ista constantia, quam citissimè potest, ita mihi placitam sententiam protulisti. Sed nunc esto, quam præsentissimus ad ista, quæ volo.*

Quæro enim abs te, quid tibi intereſſe videatur inter Rationem, & ratiocinationem. Ad. Non ſatis valeo iſta diſcernere. Aug. Hoc ergo intuere, utrum exiſtimes homini jam adoleſcenti, an viro, an, ut omnem ambagem auferam, ſapienti ſine intermiſſione ineſſe rationem, dum mente ſanus eſt, ſicut bonam valetudinem corporis, dum peſte, ac vulneribus caret, an ſicut ambulare, ſedere, loqui, modò ineſſe modo deeſſe? Ad. Sanè menti ſemper puto ineſſe rationem. Aug. Quid hoc dum per ea, quæ conceduntur, ac manifeſta ſunt, vel interrogando alium, vel coniiciendo alia perducimus nos ad alicujus rei cognitionem? Videtur ne tibi aut nos aut quivis ſapiens ſemper facere? Ad. Non ſemper. Non enim ſemper homo quilibet aut ſapiens quantum opinor, vel ſecum, vel cum alio quærit aliquid diſſerendo. Nam qui quærit, nondum invenit; ita ſi ſemper quærit, nunquam invenit. Sapiens autem jam invenit, ut nihil aliud dicam, vel ipſam ſapientiam, quam cum eſſet ſtultus diſſerendo fortaſſe, aut quoquo modo alio poterat, requirebat. Aug. Rectè dicis. Quare intelligas volo non eſſe iſtam Rationem, dum per ea, quæ conceduntur atque cognita ſunt, ad aliquid incognitum ducimur, hoc enim non ſemper, ut jam conſenſimus, ineſt menti ſanæ, ratio autem ſemper. Ad. Intelligo, ſed quorſum iſta? Aug. Quia paulo ante dixiſti, propterea me tibi debere aſſentiri ſcientiam nos habere ante rationem, quod cognito aliquo nititur, dum nos Ratio ad incognitum ducit, nunc autem invenimus, non rationem vocandam eſſe dum hoc agitur. Non enim ſana mens agit hoc ſemper, cum ſemper habeat rationem. Sed rectè iſta fortaſſe ratiocinatio nominatur, ut ratio ſit quidam mentis aſpectus, ratiocinatio autem rationis inquiſitio, ideſt, aſpectus illius per ea, quæ aſpicienda ſunt motio. Quare iſta opus eſt, ad quærendum, illa ad videndum. Itaque cum ille mentis aſpectus, quem rationem vocamus, conjectus in rem aliquam videt illam, ſcientia nominatur. Cum autem non videt Mens, quamvis intendat aſpectum, inſcitia vel ignorantia dicitur. Non enim, & his corporalibus oculis omnis qui aſpicit, videt, quod in tenebris facillimè animadvertimus. Ex quo licet, ut opinor, aliud eſſe aſpectum aliud viſionem, quæ duo in mente rationem, & ſcientiam nominamus, niſi quid te adverſus hæc movet, aut parum dilucidè iſta diſtincta arbitraris. Ad. Et mihi hæc diſtinctio placet, & libenter aſſentior. Aug. Vide ergo nunc utrum nos aſpicere putes, ut videamus, an videre, ut aſpiciamus. Ad. Hinc vero nec cæcus quidem quiſquam dubitaverit, aſpectum eſſe propter viſionem, non viſionem propter aſpectum. Aug. Fatendum igitur, viſionem pluris quam aſpectum eſſe pendendam. Ad. Fatendum omninò. Aug. Ergò & ſcientiam pluris, quam rationem. Ad. Conſequens video. Aug. Placet nè tibi meliores, aut feliciores eſſe hominibus beſtias? Ad. Avertat Deus tam immanem amentiam. Aug. Rectè ſanè exhorruiſti, ſed ad id non cogit ſententia tua. Dixiſti enim eas habere ſcientiam, & non habere rationem. Rationem autem habet homo, per quam vix ad ſcientiam pervenitur. Sed ut concedam facilè perveniri, quid nos adjuvabit Ratio ut beſtiis nos anteponendos putemus, cum illæ habeant ſcientiam, & hanc pluris quam Rationem pendendam eſſe compertum ſit. Ad. Cogor omninò aut ſcientiam Beſtiis non concedere, aut nihil recuſare quin mihi merito anteponantur. Sed quæſo explica illud, quod de cane Ulyſſis commemoravi, quale nam ſit, nam ejus admiratione commotus tam inaniter latravi. Aug. Quid autem hoc putas eſſe niſi vim quamdam ſentiendi: non ſciendi? Senſu enim nos multæ Beſtiæ ſuperant, cujus rei cauſam non hic locus eſt; ut quæramus,

ramus, mente autem ratione, scientiâ nos illis Deus præposuit. Sed ille sensus ea quibus tales animæ delectantur, accedente consuetudine, cujus magna vis est, potest discernere, atque eo facilius, quod Anima belluarum magis corpori affixa est, cujus illi sunt sensus, quibus utitur ad victum voluptatemque, quam ex eodem illo corpore capit. Humana vero Anima propter Rationem atque scientiam, de quibus agimus quod sunt ista longè præstantiora sensibus, suspendit se a corpore quantum potest, & ea, quæ intus est libentius fruitur voluptate, quantoque in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit. Indè est, quod etiam Pueri vagientes, quanto alieniores a Ratione sunt, tanto facilius discernunt sensu etiam contactum, conjunctionemque nutricum, nec odorem aliarum possunt sustinere cum quibus consuetudo non fuit. Quamobrem quamvis aliud ex alio inciderit, libenter tamen in eo sermone demoror quod, admonetur Anima, ne se ultrà quam necessitas cogit refundat in sensus, sed ab his potius ad se ipsam colligat, & repueraſcat Deo, quod est novum hominem fieri vetere exuto, a quo incipere propter neglectam Dei legem certa est necessitas, quo neque secretius quicquam scripturis divinis continetur. Vellem hinc plura dicere, ac me ipsum constringere, dum quasi tibi præcipio ut nihil aliud agerem, quam reddere me mihi, cui me maximè debeo atque ità Deo fieri, quod ait Oratius. Amicum mancipium domino. Quod omninò fieri non potest, nisi ad ejus reformemur Imaginem, quam nobis ut præciosissimum quiddam, & charissimum custodiendam dedit, dum nos ipsos nobis tales dedit, qualibus nihil posset præter quam anteponi. Hac autem actione nihil mihi videtur operosius, & nihil est cessationi similius, neque tamen eam suscipere, aut implere animus potest, nisi eo ipso adjuvante, cui redditur. Unde fit ut homo ejus Clementia reformandus sit, cujus bonitate, ac potestate formatus est. Sed ad propositum redire cogimur, Quare vide, utrum tibi jam probatum sit feras non habere scientiam, totamque illam veluti imaginem scientiæ, quam miramur, vim esse sentiendi? Ad. Probatum sanè, & siquid de hoc diligentius quærendum est, aliud tempus aucupabor, nunc nosse cupio, quid hinc conficias.

EXPOSITIO.

ENodandam in hoc Textu sibi proponit Augustinus dubitationem superius allatam, an scilicet jam adducta sensus Definitio amplectatur omnem sensum; & ratio ambigendi est, quia cum dicitur, sensus est corporis Passio immediatè non latens Animam, tunc in natura sensus elucet necessariò scientia, idem enim est aliquid non latere Animam, ac illius scientia Animam habere, quod namque non latet Animam, scitur. Si ergò sensus scientia est, sanè dicendum est non sentire Bestias, si verum est, Bestiis nullam inhærere scientiam. Cum autem hoc falsum omninò sit, sequitur, tanquam illegitimam improbandam esse traditam definitionem, quæ non omnem sensum amplectens incurrit in idem vitium, quo laborat definitio, qua dicitur, omnis homo est Animal mortale Rationale Grammaticum, cujus morbus redundantia est, & excessus, quia amplectitur aliquid quod neutiquam necessarium est, sed supervacaneum. Nam sicuti non oportet, Ani-

Videtur Augustini Definitio de sensus natura non competere singulis rebus, quæ sensu pollent.

Animal esse Grammaticum, ut sit homo, ita neque opus est, ut scientia polleat Animal, ut sentiat.

An deneganda sit bestiis scientia?

Antequam verò ad hujus Difficultatis solutionem descendat Augustinus, quæstionem proponit, an tantum ratione careant Bestiæ, ut eis tamen rectè scientia concedi valeat. Quippe non videtur scientia omninò bestiis deneganda ob plures, & miras operationes illarum, quæ & feras etiam scire ostendunt, in cujus rei gratiam affertur Exemplum de Cane, qui post annos viginti suum Dominum recognovit. Hinc ut hunc errorem detegat, ac demonstret, non tantum ratione, verum & scientiâ Bestias carere, primò Adeodatum interrogat, an Ratio ordinata sit ad scientiam, an potius scientia ad Rationem. Atque post varias disputatiunculas ad argutandum potius, quam docendum institutas, tandem admonet, Rationem se habere veluti medium ad scientiam acquirendam, idcircò diligenter enititur aperire, quid sit ratio, quid ratiocinatio, quid verò scientia. Ratio est aspectus Animi, quo Animus Verum contemplatur, seu est ipse met oculus interior Intelligentiæ, cujus ope mens veritatem detegit, ac intuetur. Hic autem interior oculus revera nihil aliud est nisi ipsa potestas intelligendi, munita, & instructa primis, ac ingenitis notionibus, in quibus immutabiles quædam artium, & doctrinarum veritates exhibentur. Ratio hoc modo accepta, etiam cum actù non intelligimus, adhuc integra manet in Animo, cui inseparabiliter intelligendi virtus inest. Ratiocinatio est usus, applicatio, & disquisitio Rationis; Ratiocinari enim dicimus cum ratione, seu intelligendi facultate primis, & manifestissimis veritatibus roborata ad aliquod obscurum, & latens verum detegendum utimur; eo modo, quo Corporis oculos adhibemus, ut aliquam latentem rem nobis aperiamus. Hinc sicuti non satis est carnis oculos in aliquod corpus intendere, seu dirigere, ut corpus videamus, sed ulterius requiritur, ut lux affulgeat, cujus beneficio oculus in visionem erumpat, haud absimili modo, ut interior Intelligentiæ oculus incognitam veritatem quam inquirimus, sibi nudet, & inspiciat, non sufficit, ut in rem quæsitam convertatur, verum etiam oportet, ut illarum primarum veritatum, seu insitarum notionum lumen accurrat, cujus virtute ignota veritas, quæ in illo quodammodo delitescebat, eveletur. Dicitur etiam Ratiocinatio disquisitio Rationis, quia cum Ratiocinamur, veluti quærimus aspectum seu oculum intelligentiæ, quo obscuram & ignotam veritatem intueamur. Quapropter Ratiocinatio ad inquirendum, Ratio verò ad videndum ordinata est. Porrò cum Ratio incognitam rem inspicit, & auxiliantibus ingenitis notionibus detegit, tunc scientia emergit, quæ nihil aliud est, nisi ipsa met visio Rationis, quę cum ab Animo abest, tunc oritur ignorantia: quemadmodum ergò corporeus oculus comparatus est à natura, ut videamus, non enim visio est propter oculum, sed è contrà oculus est propter visionem, eodem pacto cum Ratio sit interior oculus Animi, seu ipsamet Intelligentia, scientia verò sit visio, seu ipsa met actio Intelligendi, manifestissimum est, in scientiæ gratiam institutam esse Rationem, quam nobis provida Natura concessit, ut illius auxilio pervenire possimus ad sciendum, seu firma, & certa cognitione intelligendum verum quod latet, & intellectum effugit. Sic igitur

Quid sit Ratio, quid Ratiocinatio, quidue scientia explanatur.

nullo

nullo pacto Beſtiis inhæret Ratio, quæ ſoli intelligenti Animo congruit, neceſſum eſt, ut etiam Beſtiæ careant ſcientia, quæ præſtantior, & nobilior eſt Ratione, cui tantum præſtat, quantum finis medium antecellit; ſcientia ſiquidem eſt finis, ad quem inquirendo pertingere contendimus, Ratio verò adhibetur tanquam medium, quo ad ſcientiam pervenire valeamus.

Et Ratione, & ſcientia carent Beſtiæ.

Non ineſt igitur beſtiis ſcientia, ſed tantum ſenſus, quo vitæ commoda, & voluptates percipiunt, & eò exquiſitius, ac potentius, quo tenacius illarum Anima corporis organis obſtricta eſt, ob quam Rationem, quam plures beſtiæ validius, & acutius ſentiunt quam homines, quibus præter carnis oculos inſignior Rationis aſpectus adhæret, qui eò facilius, & excellentius verum intuetur, quo magis Animus a ſenſuum ſpectris, & imaginibus abducitur, ac removetur. Hinc Pueri Infantes cum parùm, aut nihil ratione utantur, quæ in illis veluti ſopita eſt, ac latens, ut potè beſtiis ſimiliores, vegetos magis, magiſque exquiſitos ſenſus habent, ut plures ſenſilium rerum affectiones percipiant, ac mutuò ſecernant, quas deindè in adultiori ætate vix dignoſcunt ob uſum Rationis, & ſcientiæ acceſſum, quo Animus non parum à ſenſibus alienatur & quodammodo ſejungitur. Ex quo colligitur, quam ſalutare ſit ad rationem perficiendam, ac veritatis contemplationem Animum a ſenſuum conſuetudine avocare, quod expeditius medium eſt, ut a noxiis hujus ſæculi illecebris, & voluptatibus Deo reconciliemur, ac renaſcamur. Hùc enim tendunt inſigniora ſacrarum literarum documenta, ut carne, & ſenſibus edomitis, ad res intelligibiles, ac ſpirituales corporeis ſimulacris rejectis aſcendentes ſpiritu renovemur, atque illi Vero coniungamur, ad cujus æternam fruitionem intelligens Animus perpetùò tendit, & ordinatur.

Eo magis Animus perficitur, quo a ſenſuum conſuetudine abducitur,

Porrò doctè, ac piè nos hortatur Auguſtinus, ne Anima ſe ultrà quam neceſſitas cogit, refundat in ſenſus, ſed ab his potius ad ſe ipſam colligat, & repueraſcat Deo, quod eſt novum hominem fieri vetere exuto, a quo incipere propter neglectam Dei legem certa eſt neceſſitas, quo neque verius, neque ſecretius quid quam ſcripturis Divinis continetur. Siquidem quò magis Animus abſtrahitur à ſenſibus, ſeu minus ſentiendi facultatem exercet, eò magis in ſe collectus intelligit, atque Rationi conjungitur. E contra verò dum magis in ſenſus illabitur; Decreſcit magis, ut ita dicam, Intelligentia, magiſque a Ratione avertitur, quę minus valet, cum nimium prævalent, & inſoleſcunt ſenſus. Idcircò ait Auguſtinus: Enitar, ut me reddam mihi, cui me maximè debeo, atque ita Deo fieri, quod ait Horatius, Amicum Mancipium Domino; quem locum tamen reprobat, & retractat eximius Doctor ſequentibus verbis: Ubi videor dicere potius debuiſſe, redderer Deo, cui me maximè debeo. Sed quoniam prius ſibi ipſe homo reddendus eſt, ut hic quaſi gradu facto, inde ſurgat, atque attollatur ad Deum. Sicut filius ille minor prius reverſus eſt ad ſemet ipſum, & tunc ait, ſurgam, & ibo ad Patrem meum. Ideò ſic ſum loquutus. Denique mox addidi, atque ità fieret Amicum Mancipium Domino. Quod ergo dixi, cui me maxime debeo, ad homines retuli; Magis enim mihi met debeo, quam hominibus cæteris, quamvis Deo magis, quam mihi. Redditur ergo Animus ſibi ipſi cum à ſenſuum Conſuetudine

Vt a ſenſuum imaginibus Animum avocemus nos hortatur Auguſtinus.

Cum inſoleſcit ſenſus decreſcit & enervatur Intelligentia.

ne

ne se abducens, rationi, & Intelligentiæ se restituit; cum autem se in se collegerit, atque se in se cernit, & intelligit, illicò ad interiorem quamdam sui Authoris cognitionem attollitur, qui in solo Animo quærendus est, & deprecandus.

CAPVT XXV.

TEXTUS.

Aug. *Quid aliud putas nisi definitionem illam sensus, ut antea, quod nescio quid plus, quam sensum includebat ita nunc contrario vitio vacillare, quod non omnem sensum potuit includere. Habent enim feræ sensum nec habent scientiam, quidquid autem non latet, scitur, & omne quod scitur, ad scientiam profectò pertinet, de quibus omnibus jam mihi tecum convenit. Aut igitur non est verum, sensum esse passionem Corporis non latentem Animam, aut eo carent Bestiæ, quia scientia carent, sensum autem concedimus Bestiis. Definitio ergò illa vitiosa.* Ad. *Fateor nihil me invenire quo resistam.* Augus. *Accipe aliud quo magis definitionis pudeat. Nam meministi ut opinor tertium definitionis vicium tibi demonstratum, quo prorsùs nihil est turpius, cum ex neutra parte uera est, qualis est illa hominis. Homo est animal quadrupes, nam sivè omnis homo animal est quadrupes, sive omne animal quadrupes homo est, qui dicit, atque affirmat, insanit profectò, si non jocatur.* Ad. *Verum dicis* Aug. *Quid si in hoc vitio ista nostra deprehenditur, putasnè quidquam magis esse quod sit explodendum, atque exterminandum de Anima.* Ad *Quid id recusei? Sed nollem, si fieri potest etiam hic tamdiù detineri, atque interrogatiunculis agitari.* Aug. *Nihil est, quod metuas jam enim confectum est negocium, an tibi non dum persuasum est, cum de differentia ferarum, & hominum ageretur, aliud esse sentire, aliud scire?* Ad. *Imò maximè.* Aug. *Aliud ergò sensus, aliud scientia.* Ad. *Ita est.* Aug. *Non autem sentimus ratione, sed aut visu, aut auditu, aut olfactu, aut gustu, aut tactu.* Ad. *Assentior.* Aug. *Et omne quod scimus ratione scimus. Nullus igitur sensus scientia est. Quidquid autem non latet, ad scientiam pertinet. Ad nullum ergò sensum per-*

pertinet non latere, ut nullus homo quadrupes recte dici possit. Quamobrem ista nostra definitio susceptata tua, non solum alienos terminos invasisse, neque aliquid sui juris reliquisse, sed nihil omnino habuisse proprium, totumque alienum occupasse convicta est. Ad. Quid ergò agemus? Patieris ne illam de judicio ita discedere? Quanquam enim ego ei defensionem qualem potui præbuerim, tu tamen ipsam litis formulam, quæ nos decepit composuisti. Et ego quidem tametsi obtinere non potui, bona (tamen) fide affui, quod mihi satis est. Tu verò si prævaricationis arguaris, quid facias a quo, & producta est, ut jurgares audenter, & oppugnata ut turpiter cederet? Aug. Nunquidnam est hic quitquam Iudex, a quo huic, vel mihi metuendum sit? Ego te privatim quasi adhibitus juris consultus instruendi causa refellere volui, ut cum ad judicium ventum fuerit, paratus assistas. Ad. Est ergo aliquid quod pro ista proferas quam mihi invalidissimo temerè defendendam, tuendamque commendas? Aug. Et certè. Ad. Quidnam id est, obsecro? Aug. Quia quanquam sit aliud sensus, aliud scientia, illud tamen non latere utriusque commune est. Non latet enim quidquid Animæ apparet, sive per temperantiam Corporis, sive per intelligentiæ puritatem, atque illud primò sensus, hoc autem alterum scientia sibi vindicavit. Ad. Manet ergò illa definitio tuta, & probata? Aug. Manet verò. Ad. Ubinam ergo deceptus sum? Aug. Ubi rogavi, utrum omne quod non latet sciatur. Tu enim huic rogationi temerè assensus es. Ad. Nam quid velles ut dicerem? Aug. Non continuo esse, & scientiam si quid non latet, sed si per rationem non latet. Cum autem per corpus non latet sensum vocari, si per se ipsam non lateat corporis passio. An ignoras quibusdam philosophis, & peracutis visum esse, ne id ipsum quidem quod mente comprehenditur, ad nomen aspirare scientiæ, nisi tam firma comprehensio sit, ut ab ea mens nulla ratione queat dimoveri. Ad. Accipio ista gratissimè. Sed quæso, quoniam quid sit sensus, subtilissimè quantum arbitror explicatum est, referamus nos ad illam quæstionem, propter quam explicandum hoc susceperamus. Attuleram enim ego argumentum quo tantùm probarem animam esse, quantum ejus est Corpus, eò quod tangentem a capite usque ad pedis extremum pollicem sentit quaqua-

versum tetigeris, atque indè ad sensus definitionem morarum plenissimam, sed fortè necessariò delati sumus. Itaque ipsum fructum tanti operis, jam ostende, si placet. Aug. Est omninò, atque uberrimus. Nam tantum quod quærebamus, affectum est. Si enim sensus est Corporis passio per se ipsam non latens animam, quod ut firmissimè teneremus, diutius quàm velle, sermocinati sumus, meministi ne tandem nos comperisse ibi sentire oculos, ubi non sunt, vel potius ibi pati? Ad. Memini. Aug. Etiam illud dedisti nisi fallor, nec modo dubitas dandum fuisse Animam multò quam totum Corpus est, esse meliorem, ac potentiorem. Ad. Age si corpus potest, ibi pati aliquid, ubi non est, propter quandam cum Anima contemperationem, quod oculis in cernendo accidere inventum est, adeòne Animam crassam, & pigram putamus, per quam ipsi oculi tantum possunt, ut eam lateat Corporis passio, si non ibi jaceat, ubi passio ipsa contingit? Ad. Multum, me movet ista conclusio, & ità multum, ut omninò stupeam, & non solum quid respondeam, sed prorsus ubi sim non inveniam. Quid enim dicam? Sensum non esse, cum Corporis passio per se ipsam non lateat Animam? Quid erit aliud, si hoc non est? Oculos nihil pati cum videmus? Absurdissimum est eos ibi pati, ubi sunt, ut se ipsos non videant, nec ubi sunt, quidquam est præter ipsos. Non esse oculis animam potentiorem, cum eadem sit istorum potentia? Nihil est dementius. An hoc dicendum est potentius esse ibi pati, ubi quidque sit, quàm ubi non sit? Sed si hoc verum esset, non esset præstantior visus cæteris sensibus. Aug. Quid quod ictum aliquem, vel incidens quippiam, vel humoris perturbationem cum ibi patiantur oculi ubi sunt, neque hoc animam latet, nec ista passio visus, sed tactus vocatur, & tamen talia pati oculus posset etiam in exanimi Corpore, quamvis deesset anima, quam passio non lateret; illud autem quod pati non potest oculus, nisi adsit Anima, idest quod videndo patitur, hoc solum ibi patitur, ubi non est, ex quo cui non videatur, nullo loco Animam contineri? Siquidem oculus, quod est Corpus, id tantùm non loco suo patitur, quod nunquam sine anima pateretur.

EX.

EXPOSITIO.

SI nulla igitur, prosequitur Augustinus, scientia inest Bestiis, quibus tantum quinque sensibus cognoscere, ac percipere datum est, necessario infertur, illegitimam esse sensus Definitionem, qua affirmatur, tunc Animam sentire, cum eam corporis passio neutiquam latet, seù cum corporis passionem scit, seu scientia comprehendit. Cum autem Bestiæ verè sentiant, quamvis tamen scientiam a se ipsis rejiciant, manifestum est, allatam definitionem non tantum plus continere, verum etiam & alienos terminos invasisse, cum amplectatur extraneum, & alienum attributum, quod nullo pacto cum sensus natura coniungi potest. Aliud enim est sentire, aliud scire, aliud sensus, aliud scientia. Quapropter hæc definitio non minus vitiosa est, quam sit illa qua dicitur, Homo est Animal quadrupes, cujus falsitas, & enunciatione, & conversione constat. Ut ergò hanc difficultatem funditus everteret Augustinus, Adeodatum admonet, ne vocum obscuritate, & amphibologia deinceps decipiatur, deceptus enim est, dum putavit idem esse scire, ac Animum non latere, non enim quid quid Animum non latet, scientiâ semper deprehenditur. Hinc duplici modo potest aliquid Animam non latere, primo per corporis temperantiam, deindè per puritatem Intelligentiæ. Dicitur res non latere Animam per corporis temperantiam, cum Anima id quod immediatè patitur corpus, percipit, seu cum passio corporis apparet, & manifestatur Animæ, quæ corporis mutationem cognoscat, veluti ex vi ipsius mutationis corporis, occasione scilicet motus, & impressionis organorum ob spiritus ætherei & rerum externarum impulsum, nervorum filamentis communicatum, modo quo supra latis exposuimus. Cum autem hoc pacto Anima percipit, ipsamque corporis per mutationes non latent, tunc haud scire, sed tantùm illa sentire, seù uno ex quinque sensibus percipere dicitur; Nam verè cum sentit, externarum rerum imagines in se recipit, corporis passionem agnoscit, atque adeò nullo pacto eam latet quod corpus immediatè patitur. Quod etiam bestiis convenire, fatetur Augustinus, quibus tantùm concedit cognitionem organicam, & corpoream, quam ex solo organorum mutatione, & impressione acquirunt Bestiæ, quę solo sensu pollent, & ad solas corporeas, & sensiles res convertuntur, quarum actiones apertè nobis indicant, non alios oculos habere nisi carneos, neque alio lumine perfrui nisi corporeo. Non latere verò Animam per puritatem Intelligentię, hoc idem est, ac scire. Scitur enim, quid Intelligitur, & firmissima ratione adeò tenetur, ut omni dubitatione semota, nullo pacto ab eo demoveri valeat Animus, in qua inconcussa, & firmissima rerum cognitione sita est scientię natura, qua non sensibus, sed ratione res animo innotescunt. Duplici ergò intuitu, seu oculo gaudet homo; primus est corporeus, & externus, quo sensiles, & extensas res, corporisque passiones percipit, & ipse met Sensus est, quo utitur ad corporis custodiam, & incolumitatem. Hinc ut corpora & sensilia cernat, corporeo lumine sensum impellente indiget. Alter verò oculus dicitur interior, & invisibilis, ipse ni-

Definitio sensus ab Augustino excogitata Dialecticæ legibus dissentire videtur

Dubitationem solvit Augustinus.

Aliud est scire per sensum aliud per rationem.

Dupliciter aliqua res Animum non latere dici potest.

Quæ ratione Bestiæ scire dicuntur.

mirum aſpectus Rationis, qui, immutabilis veritatis ſpiritali, & incorporea luce roboratus, ea, quę corporibus pręſtant, & altioris ſunt ordinis, inſpicit, & contemplatur, ob cujus interioris, ac pręſtantioris oculi dignitatem, & majorem perfectionem cunctis Beſtiis excellit.

Sanioris Dialecticæ preceptis conſentaneam eſſe ſenſus definitionem ab Auguſtino inventam evincitur.

Cum ergò in allata definitione dicitur, Animam non latere, quod Corpus immediate patitur, hęc vox, non latere idem ſonat, ac apparere, & manifeſtari aliquid animo per temperantiam corporis mediante organorum mutatione, non verò per puritatem Intelligentiæ, ſeù mediante Ratione. Quamobrem cum non latere primo modo acceptum non ſolum hominibus, verùm etiam Beſtiis perfectè congruat, planè infertur, nullo morbo noſtram Definitionem laborare, in qua nullum alienum, & extraneum, aut ſuperfluum attributum continetur, ſed tantum id, quod ad ſinceram, & integram ſenſus naturam ſpectat, ut & enunciatione, & converſione omninò veritati conſentanea ſit, nam dum attentè conſulimus ſingulorum ſenſuum vim, & actionem, evidenter patet primò enunciatio, ideſt omnis ſenſus eſt Corporis paſſio, immediatè non latens Animam, deindè converſa Propoſitio, nempè, omnis Paſſio immediatè non latens Animam ſenſus eſt. In qua definitione tandem, ut vides, non tantùm hominis, ſed etiam Beſtiarum ſenſus elucet.

Quo modo inſectilis & in corporeus Animus undique in corpore ſentiat aperitur.

Supereſt porrò, ut principalem quæſtionem, cujus gratia cætera dicta ſunt, reſolvamus. Quæritur enim, qui fieri poteſt, ut Animus quantitatis, & molis expers in quavis tamen corporis parte, quæ patitur, ac tangit, illicò ſentiat, ac percipiat; ſi enim undique in corpore ſentit, cum corpus tangitur, rationi congruum videtur, quod ille ſit in toto corpore per ſuæ ſubſtantię expanſionem diffuſus, & explicatus. Hanc dubitationem argutè, & ingeniosè ſequenti modo ſoluit Auguſtinus. Corporis oculus eſt profectò infimioris ordinis quam ſit Anima, quæ illo eſt pręſtantior, & perfectior, nam tota vis videndi ab Anima oculo communicatur, quę cum recedit, non amplius exanimis oculus videndo patitur, qui tantum ratione conjunctionis cum Anima viſum & aſpectum pati dicitur; Atqui corporeus oculus, ut ſuperius demonſtratum eſt, cum videt E. G. ſolem, non patitur, ac videt ubi eſt, ſed tantum ubi non eſt, in Stellarum nempè Regione, ubi eſt Sol, qui oculo tangitur, ſeù ex quo oculus patitur, perfectio verò quędam eſt, ibi rem pati poſſe, ubi non eſt; major enim vis, & activitas requiri videtur, ut oculus videat, & patiatur in remotiſſimis locis, ubi non eſt, quam ſi videndo pateretur, ubi eſt. Si ergò oculus, qui imperfectior, & deterior eſt animo, ut videndo ſentiat, aut patiatur aliquid, non eſt neceſſe, ut ſit in eo loco, in quo videndo patitur, quantò magis hæc vis, & præſtantia percipiendi, & patiendi concedenda eſt Animæ, quæ non minus, ac oculus ſentiendo patitur, ubi non eſt, ut verè ſentiat, ac percipiat corporis paſſionem, ut dolorem exempli gratia in pede, abſque eo quod expanſa in pede ſit, ac jaceat. Si enim oculus videndo patitur ubi non eſt, quid prohibet excellentiorem Animam pariter percipere dolorem pedis, ubi non eſt? nam ut corporis paſſionem, percipiat, non eſt neceſſe ut explicetur, & jaceat diffuſa in illa parte tanquam in loco, ubi contingit

Animam ſentire ubi non eſt acutè, & ſolidè demonſtratur.

Anima dolorem ſentit in corporis organo ubi neutiquam expanſa eſt.

muta-

mutatio, seu passio, sed satis est, ut ob unionis leges corporis passio illam non lateat modo supra explicato, Ex eo igitur quod Anima in singulis corporis organis, cum hæc tanguntur, & vulnerantur, sentit, nullo pacto inferri potest, Animam in corporis spatio exporrectam, atque corporea mole instructam esse.

Singuli sensus in solo cerebro perficiuntur.

Hùc accedit, neque verum esse, ut opinatur Epicurus, visionem E. G. fieri in oculo, aut sonum in auditus organo perfici, aut procreari dolorem in pede, cum hic spina pungitur, cum potius dicendum esset singulas has perceptiones seu sensationes progigni tantùm in cerebro, in eo nempè loco, in quem a corporis extremitatibus exporrecta nervorum filamenta desinunt; quippè si impulsus, & impressio externarum rerum corporis organa impellentium ab extremitatibus nervorum usque ad illorum originem, & principium non propagatur, etiamsi vulneretur pes, aut luce, & sono aures & oculus concutiantur, neque dolor, neque auditus, neque visus in Animo excitantur. Quod liquidò constat, siadeò nervorum filamenta ligentur, & disponantur, ut motus externorum corporum ex illorum extremitatibus nullo pacto perduci usque ad cerebrum possit. Quin etiam sæpissimè homines dolorem, aut voluptatem sentiunt in organis, seu membris, quibus carent, nam plures amputato brachio ex aliqua causa dolorem aliquando sentiunt, qui ipsis in brachio, quod non habent, progigni videtur, in quo casu verè dici potest, Animam sentire dolorem, ubi non est; sentit enim dolore affectum brachium, quod non est. Hæc & alia non minus solida, quam amæna, & ingeniosa in quodam nostro Opusculo aperiemus, ubi nova methodo copiosè agemus de sensus natura, & potissimùm de sensu visus, & auditus, qua occasione plura haud injucunda de lumine, & sono aperiemus.

Experimentum quo liquidò patet Animam sentire, ubi non est.

CAPVT XXVI.

TEXTUS.

AD. *Quid faciam, quæso te? Non ne istis rationibus confici potest, animas nostras non esse in corporibus? Quod si ita est, non nè ubi sim nescio? Quis enim mihi eripit, quod ego ipse Anima sum?* Aug. *Ne perturbere, ac magis bono animo facito sis. Ista enim cogitatio ad nos met ipsos nos invitat, & quantum licet avellit a corpore. Quod autem tibi visum est, non esse Animam in corpore viventis animantis, quanquam videatur absurdum, non tamen doctissimi homines, quibus id placuerit defuerunt, neque nunc arbitror deesse: Sed ut ipse intelligis, res est subtilissima, & ad quam cernendam mentis acies satis purganda est. Nunc attende potius, quid aliud afferes quo convincas animam vel longam, vel latam esse, vel quid ejusmodi. Nam illud argumentum tuum de tangendi sensu sentis non attingere veritatem; nec valere aliquid, ut eam per totum corpus tanquam sanguinem diffusam esse convincat, aut si jam quod afferas nihil habes, videamus quæ restant.* Ad. *Nihil haberem fortasse nisi recordarer quantùm*

tum pueri mirari ſoleremus palpitantes lacertarum caudas amputatas a cætero corpore, quem motum ſine Anima fieri nullo modo mihi perſuadere poſſum, neque quo pacto fiat, ut nullum ſit animæ ſpacium, quando prætidi etiam cum corpore poteſt, intelligo. Aug. Poſſem reſpondere aerem, & ignem, quæ duo per animæ præſentiam tenentur in corpore terreno, & humido, ut omnium quatuor fiat contemperatio, dum poſt ejuſdem animæ abſceſſum ad ſuperna evadunt, ac ſeſe expediunt, movere illa corpuſculà tantò concitatius, quantò plagæ recentiores ſubitò erumpunt, deindè porrò motum langueſcere poſtremò deſinere, dum minus, minuſque fit quod effugit, ac deindè totum evolat. Sed ab hoc me revocat, quod his hauſi oculis penè ſerius, quam credi poteſt, ſed certè non ſeriùs, quam deberem. Cum enim nuper in agro eſſemus Liguriæ noſtri illi adoleſcentes, qui tunc mecum erant ſtudiorum ſuorum gratia, animadvertunt humi jacentes in opaco loco reptantem beſtiolam multipedem, longum dicam quemdam Vermiculum, uulgò notus eſt, hoc tamen quod dicam nunquam in eo expertus eram. Verſo namque ſtylo, quem fortè habebat Unus illorum animal medium percuſſit. Iam ambæ partes corporis ab illo uulnere in contraria diſceſſerunt tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore niſu, quam ſiduo hujuſcemodi animantia forent. Quo miraculo exterriti, cauſæque curioſi ad nos ubi ſimul ego, & Alipius conſidebamus, alacriter viventia fruſta illa detulerunt. Neque nos parum commoti, ea currere in tabula quaquaverſum poterant cernebamus, atque unum ipſorum ſtylo tactum, contorquebat ſe ad doloris locum, nihil ſentiente alio, ac ſuos alibi motus peragente, quid plura? Tentavimus quatenus id valeret, atque vermiculum, imò jam vermiculos in multas partes concidimus; ita omnes movebantur, ut niſi à nobis illud factum eſſet, & comparerent uulnera recentia, totidem illos ſeparatim natos, ac ſibi quemque vixiſſe crederemus. Sed tunc Ego quod illis adoleſcentibus dixi, cum intuente me intuerentur, tibi nunc dicere vereor. Iam enim tantum proceſſimus, ut niſi tibi aliter reſpondero, quod ſecundum meam cauſam probabiliter valet, tota noſtra intentio per tam longum munita Sermonem, ab uno vermiculo penetrata ſuccubuiſſe videatur. Illis autem præceperam, ut in ſtudiis ſicut cæperant, ſuum curſum tenerent, ità eos opportunius aliquandò ad quærenda & diſcutienda iſta, ſi res moneret eſſe venturos. Sed quæ illis diſcedentibus cum Alipio ſermocinatus ſum cum uterque noſtrum pro ſuo quiſque modulo recodaretur, & conjectaret, & quæreret, ſi exponere velim, longè plura a nobis dicenda ſunt, quam ab ipſo principio tantis ambagibus, atque anfractibus dicta ſunt. Non apud te tamen tacebo quod ſentio, niſi mihi tunc multa jam nota eſſent de corpore, de ſpecie, quæ ineſt corpori, de loco, de tempore, de motu, quæ ſubtiliſſimè, atque abſtruſiſſimè propter hanc ipſam quæſtionem diſſeruntur, ad dandum palmam iis, qui corpus eſſe animam dicunt, declinarem. Quapropter te, ut poſſum etiam atque etiam moneo, ne temerè, aut in libros, aut in diſputationes loquaciſſimorum hominum, nimiumque ſenſibus his corporeis credentium te præcipites, donec corrigas, firmeſque veſtigia, quæ uſque ad ipſum Deum Animam ducunt, ne ab illo ſecretiſſimo, & tranquilliſſimo mentis habitaculo, a quo nunc dum hæc incolit peregrina eſt, ſtudiis facilius, & laboribus quam inertia, deſidiaque avertaris. Hunc autem accipe contrà illud, non quod ut ſentio multum moveris, non quod robuſtius de multis, ſed quod brevius, neque quod mihi probabilius quam cætera, ſed quod tibi aptius eligere potui.

Ad. Dic oro te quam citiſſimè potes. Aug. Primum illud dico, ſi maximè cauſa lateat,

lateat, cur in concisione quorumdam corporum illa contingant, non continuò nos hoc uno ita perturbari oportere, ut tam multa, quæ superius luce clariora tibi visa sunt falsa esse arbitremur. Fieri enim potest, ut hujus rei causa nos lateat, quæ vel humanæ naturæ occultata est, vel sit alicui homini cognita, nec iste a nobis interrogari possit, aut etiam hoc ingenio simus, ut satisfacere nobis interrogatus non possit. Nunquidnam ex eo quidquid ex contraria parte firmissimè didicimus, ac verissimum esse confitemur, labi nobis, atque extorqueri decet? Atqui si illam maneant integra, quæ interrogatus certa, & indubia esse respondisti, nihil est, quod istum vermiculum pueriliter metuamus, quanquam vivacitatis, & numerositatis ejus causam non valeamus afferre. Si enim apud te de aliquo fixum immotumque constaret, quod esset vir bonus, eumque in latronum convivio, quos persequereris, deprehenderes, atque aliquo casu antequam abs te interrogari posset, moreretur, quamlibet causam putares potius illius cum sceleratis conjunctiones, atque convivii, etiam si te semper lateret, quam scelus, & societatem. Cur ergò non cum tam multis argumentis superius editis, atque abs te firmissimè comprobatis planum tibi factum sit, non loco Animam contineri, atque ob hoc nullius talis esse quantitatis, qualem in corporibus cernimus, aliquam suspicaris esse causam, cur nonnullum animal concisum in omnibus partibus vivat non eam tamen, quod cum corpore anima concidi potuerit? Quam si reperire non possumus non ne quærendam est potius vera, quam falsa credenda?

EXPOSITIO.

DIfficilior, & nova difficultas ex rebus superius expositis emergere videtur. Si Anima, ut in corporis organis sentiat, ac percipiat, non oportet, ut expansa sit, & jaceat in ea parte, ubi Passio, seu mutatio contingit, facilè inferri possit, Animam nullo modo esse in viventis Animantis corpore, quamvis in ipso agat, & operetur, quod tamen Rationi dissentaneum, & absurdum esse existimandum est; quid enim absurdius, quam dicere, Animam non vivere, & regnare in corpore, quod animat, & vivificat. Cui difficultati occurrit Augustinus docens id haud prorsus falsum esse, cum non desint doctissimi Viri, qui tueantur, Animam non vivere & esse in eodem corpore, cui vitam, & robur tribuit; admonet tamen hanc rem esse captu arduam, & valdè involutam, quam tantum cernere, & detegere potest Animus, cujus Ratio summoperè valida est, atque à sensilium rerum contagio purgata. Quod si modum loquendi temperemus, & voces planius exponamus, haud absurdum, sed veritati consonum videbitur, quod in viventis Animantis corpore non sit Anima. Duplici enim modo potest aliqua res dici esse in aliquo spatio, & loco: primò per diffusionem substantiæ quæ spatio circumscribatur, & locis contineatur, quo pacto in spatiis jacere dicuntur corpora, & juxtà hunc sensum verum est, humanum Animum neque in vivente corpore esse; Siquidem cum ipse sit, insectilis, & inextensus nulla ratione potest corporis spatio comprehendi. Altero verò modo res dicitur respondere spatio per operationis præsentiam, quia nimirum agit, & operatur in spatio. Quo pacto etiam & ipse met Deus a quavis corporis mensura abhorrens ubique locorum esse dicitur. Quo modo pariter Anima verè est in corpore, quod animat, in quod juxtà naturæ

An citra rationis injuriam Animam corpori conjunctam in corpore non esse dici valeat?

Anima dicitur esse in corpore haud expansionè substantiæ, sed operationis præsentiâ.

turę leges agit, ut nulla sit corporis pars, cui operando conjunctus, & præsens non sit animus, qui ut potè incorporeus tantum operationis præsentià dicitur esse in corporis spatio. Cum ergò jam penitus enodatum sit argumentum Epicuri depromptum ab Anima sentiente in quavis corporis parte, in aliam dubitationem incurrit Augustinus, quam illi Adeodatus proponit, quæ sequens est. Sunt quamplura Animalia, ut lacertæ, serpentes, & quidam vermiculi, multipedes, quorum corpora si concisa, & discissa fuerint in duas aut plures partes, totum Animal minimè moritur, sed adhuc in suis fragmentis ac dissociatis partibus vivere, & sentire videtur, nam si illas partes, in quas Animal discerptum est, stilo pungas & vulneres illicò contorquentur, varioque concipiunt motus, quod planè indicat in ipsis cum sensu, & motu pariter Animam vigere, ut plura integra Animalcula propriis animabus prædita esse appareant. Porrò non potest in huiusmodi Animantibus hoc contingere, nisi Anima sectilis sit, & unà cum sanguine in singulis organici corporis partibus effusa, & explicata, ut non minus, ac corpus in partes discindatur.

An scisso corpore lacertarum ac serpentum in plures partes pariter secetur Anima.

Sunt quedam Animalia quæ discissa, & in plura fragmẽta distributa viuunt.

Propositã difficultatem enodat Augustinus.

Huic dubitationi dupliciter satis facit Augustinus, & primò respondet, quod dùm hujuscemodi Animalcula in plures partes scinduntur, tunc verè abit, & à toto corpore insectilis recedit Anima, tantùmque in corporis fragmentis aer, & ignis remanent, seu subtilior magisque ætherea pars sanguinis; Siquidem, ut experientia admonemur, humor quidam valdè viscatus, & tenax horum Animantum artubus inest, in quo vehementer irretitur, & implicatur subtilissimus Spiritus e sanguine eductus, qui dum frustula illa, in quibus detinetur, impelluntur, ac vulnerantur, ob mæchanicas leges structuræ in quosdam motus conulsivos erumpit, ut dum Animantis partes multifariam contorquentur, sensu, & Anima pollere videantur, qui quidem motus paulatim langueścunt, ac tandem ætherea parte avolante extinguuntur.

Deindè respondetur ab Augustino. Etiamsi concedamus in concisi Animantis fragmentis adhuc remanere vitam, ac sensum, non ideò tamen citra ullam dubitationem existimandum est discissam, ac solutam in plures partes Animam fuisse, fieri enim posset, ut integra, & incolumi manente Anima, adhuc tamen aliquam, ut ita dicam, vitæ, & sensus portionem detineant fragmenta, in quæ distributum est Animal. Quippè licet arduum, & valde laboriosum id videatur, attamen hæc difficultas contingere potest, non quia res sit à veritate aliena sed potius quia nos latet aliqua causa, cujus cognitio, ad tantum arcanum intelligendum, necessaria sit; Etenim tam robusta, & valida sunt argumenta, quæ ut superius ostendimus, Animam inextensam, & insectilem esse ostendunt, ut alicujus delitescentis principii ignorantiæ, & nostræ mentis imbecillitati allata difficultas attribuenda sit. Cum enim jam ratio firmissimè, & indubitanter, insectilem, & incorpoream Animæ naturam ostenderit, nullo pacto, ait Augustinus, puerili timore hujusmodi incisos vermiculos noster expaveścat Animus qui cum ad se ipsum convertitur, & se in semetipso videt, suamque vim & potestatem supra corpus intelligit, confestim se incorporeum, & ab omni quantitatis, spatiorumque mole immunem inspicit; Idcircò satis est nobis

Fieri posset ut lacertarũ fragmenta vivant, quamvis insectilis & incorporea sit illarum Anima.

nobis, dum nos met ipsos diligenter investigamus, nostrum Animum insectilem, & incorporeum jam inveniſſe, tametsi quid in bestiis contingat, ob latens aliquod principium ignoremus.

CAPUT XXVII.

TEXTUS.

DEinde quaeso abs te, utrùm putes in verbis nostris aliud esse ipsum sonum, aliud quod sono significatur. Ad. Ego utrumque idem puto. Aug. Dic mihi sonus ipse unde procedat cum loqueris. Ad. Quis dubitat a me procedere. Aug. Abs te ergò sol procedit, dum nominas solem? Ad. De sono me, non de re ipsa interrogasti. Aug. Aliud ergò sonus est, aliud res, quam significat sonus, tu autem utrumque idem esse dixeras. Ad. Age jam concedo aliud esse significantem sonum aliud rem, quae significatur. Aug. Dic ergò utrum possis ignarus Latinae linguae nominare in loquendo solem, si non intellectus solis praecederet sonum? Ad. Nullo modo possem. Aug. Quid antequam ipsum nomen de ore procedat, si volens id enunciare, aliquandiù te in silentio teneas, non ne in tua cogitatione manet, quod expressa voce alius auditurus est, Ad. Manifestum est. Aug. Quid cum ipse sed tantae sit magnitudinis, num illa notio ejus, quam cogitatione ante vocem tenes, aut longa, aut lata aut quid ejusmodi videri potest? Ad. Nullo modo. Aug. Age jam dic mihi cum ore ipsum nomen erumpit tuo, atque id ego audiens, solem cogito, quem tu antevocem, & cum ipsa voce cogitasti, & nunc fortasse ambo cogitamus, non ne tibi videtur nomen ipsum veluti accepisse abste significationem, quam ad me per aures deportaret? Ad. Videtur. Aug. Cum ergo nomen ipsum sono, & significatione constet, sonus autem ad aures, significatio ad mentem pertineat, non nè arbitraris in nomine velut in aliquo animante sonum esse Corpus, significationem autem quasi Animam soni? Ad. Nihil mihi videtur simimilius. Aug. Attende nunc, utrum nominis sonus per literas dividi possit, cum anima ejus ideſt significatio non possit? siquidem ipsa est, quam paulò antè in nostra cogitatione nec latam, nec longam respondisti tibi videri. Ad. Prorsùs assentior. Aug. Quid cum per literas singulas sonus ille dividitur,

videtur tibi significationem illam retinere? Ad. Quomodò possunt singulæ literæ significare quod nomen quod ex his confectum sit, significat? Aug. At cum perdita significatione discerptus in literis sonus est, nunc aliud putas esse factum, quàm dilaniato Corpore discessisse animam, & quasi mortem quamdam Nominis contigisse. Ad. Non solum assentior, sed ita libenter ut nihil me magis hoc sermone delectaverit. Aug. Si ergò satis perspexisti in hac similitudine, quomodo possit dissecto Corpore Anima non secari, accipe nunc quomodo frusta ipsa Corporis cum Anima secta non sit, vivere possint. Jam enim concessisti, & rectè, ut opinor, significationem, quæ quasi Anima soni est, dum nomen editur, per se ipsam nullo pacto dividi posse, cum ipso sonus, qui velut corpus ejus est, possit. Sed in Solis nomine ita soni est facta divisio, ut nulla pars ejus significationem aliquam retineret. Itaque illas literas dilacerato Corpore nominis, tanquam exanima membra, ideò significatione carentia considerabamus. Quamobrem si aliquod nomen invenerimus, quod divisum queat etiam singulis partibus quidpiam significare, concedas oportet non omnimodam veluti mortem tali præcisione factam esse, cum sibi membra separatim considerata quodlibet significantia, & quasi spirantia videbuntur. Ad. Concedam omninò, & ut jam id ipsum sones flagito. Aug. Accipe. Nam dum viciniam Solis attendo, de cujus nomine superius egimus, Lucifer mihi occurrit, qui profectò inter secundam, & tertiam syllabam scissus non nihil priore parte significat, cum dicimus luci, & ideo in plus, quàm dimidio corpore nominis vivit extrema etiam pars habet animam, nam cum ferre aliquid jube√ris, hanc audis. Cui enim posses obtemperare, si quis tibi diceret, fer codicem, si nihil significaret, fer: quod cum additur luci, lucifer sonat, & significat stellam, cum autem demitur, non nihil significat, & ob hoc quasi retinet vitam. Cum autem locus, & tempus sit, quibus non omnia, quæ sentiuntur, occupantur, ut potiùs, quæ occupant, quod oculis sentimus per locum, quod auribus per tempus dividitur. Ut enim vermiculus ille plus loci totus, quam pars ejus occupabat, ita majorem temporis moram tenet cum Lucifer dicitur, quam luci tantummodò diceret. Quare si hoc significatione vivit in ea diminutione temporis, quæ diviso illo sono facta,

cta est, cum eadem significatio divisa non sit, non enim ipsa per tempus distendebatur, sed sonus; ita existimandum est, secto vermiculi corpore, quanquam in minore loco pars eo ipso, quo pars erat viveret, non omninò animam sectam, nec loco minorem esse factam, licet integri animantis membra omnia per majorem locum porrecta simul possederit. Non enim locum ipsa, sed corpus, quod ab eadem agebatur tenebat, sicut illa significatio non distenta per tempus, omnes tamen nominis literas suas moras, ac tempora possidentes, velut animaverat, atque compleverat. Hac similitudine interim contentus sis, peto, quam te seriò delectatum. Quæ autem subtilissime de hoc deputari possunt, it aut non similitudinibus, quæ plerunque fallunt, sed rebus ipsis satisfiat, ne in præsentia expectes. Nam & concludendus est tam longus sermo, & multis aliis, quæ tibi desunt, animus ad hæc intuenda, & perspicienda præcolendus est, ut possis intelligere liquidissimè, utrum quod a quibusdam doctissimis viris dicitur, ità sese habeat Animam per se ipsam nullo modo, sed tamen per corpus posse partiri.

EXPOSITIO.

PUlcherrimum quidem, & ingenioſum eſt exemplum a nominis natura depromptum, quod in hoc capite affert Auguſtinus, ut planius explicet, qua ratione fieri poſſit, ut conciſi Animantis partes diſiunctim motu, & ſenſu præditæ vivant etiam recedente Anima, quæ inſectilis, & inextenſa eſſe ſuſtinetur, ut neutiquam in Corporis fragmentis conciſa ſit, ac diviſa. Nomen duo complectitur ſonum ſcilicet articulatum, & rem ſignificatam, que mediante ſono exprimitur. Sonus a Corpore procedit, ore nempè efformatur, qui literis, & ſyllabis conſtat, qui omninò ſejungitur a re, cujus arbitrarium ſignum eſt. Cum autem alterum alloquens, de ſolis exempli gratia, motu & velocitate, ediſſerens, hanc vocem, Sol, pronuncio, tunc oportet, ut Ideam, & notionem ſolis, de quo loquor, habeam, quam pariter opus eſt, ineſſe animo illius, quem alloquor, niſi enim & Ego, & qui audit, ſolis ideam haberemus, ſeu nobis ſignificatio vocis conſtaret, nullius rei, aut notionis ſignum, Sonus ore pronunciatus eſſet: Cum igitur ſolem ore profero, dum ſonus a me procreatus audientis aures ferit, & impellit, veluti Idea ſolis quæ animo meo inhæret, in alterius mentem tranſmittitur, ut eodem tempore, quo ſonus producitur & Ego & Auditor de eodem Sole cogitemus. Jam liceat ſonum, corpus, notionem verò, ſeu Ideam Solis ſono addictam nominis Animam appellare. Hinc nomen quodammodo ex anima, & corpore coaleſcit.

Qua ratione ſerpentes diſciſſi vivent elegant, elegantiſſimè nominis exemplo declaratur ab Auguſtino.

Nominis Anima idea eſt, corpus vero ſonus.

ſcit. Quippè ſonus veluti vas & receptaculum eſt, in quo ſignificatio ſeu ſolis Idea, ut ita dicam, continetur, quæ dum ſonum perficit, & complet, ipſum ſignificativum reddens, haud incongruè animæ aſſimilatur.

Nominis Anima inſectilis, corpus verò divisibilis eſt.

Anima verò nominis, Idea ſcilicet ſolis in allato exemplo omninò inſectilis eſt, & inextenſa, ut neque in loco, neque in tempore diſtendatur; Siquidem neque longa illa eſt, neque lata, aut profunda, cum a quavis corporis menſura ſit aliena. Sonus è contrà, cui ſolis Idea obſtringitur ſectilis eſt; & ſi non loco, temporis tamen ſpatio reſpondet; compingitur enim ex literis, quæ ſunt partes conſtituentes integrum nominis ſonum, cujus pars major majori parti temporis, minor verò pars minori commenſuratur, totus verò ſonus toti tempori, quo pronunciatur reſpondet, ad eum modum, quo totum corpus toti loco, pars verò corporis parti loci congruit. Sectile partibuſque efformatum eſt corpus nominis, inſectilis verò, & partibus omninò carens anima; ſcindatur ergò in ſuas partes, nempè in tres literas ſonus, vox ſcilicet Sol, jam dum nominis corpus conciditur, & in ſuas partes ſolvitur, recedit illicò à ſono ſignificatio, ſeù ſonum deſerit Idea ſolis, quæ integro ſono jungebatur. Porrò dum ſcinditur corpus, & incolumis manens idea ſolis ab illo ſejungitur rectè dici poteſt emortuum jacere, & interiiſſe nomen, ut non tantùm integer ſonus verum etiam, & ſingulæ illius partes, in quas ille ſolutus eſt, exanimes, & vita ſignificationis deſtitutæ jaceant. Hoc exemplo rectè explicatur, quo pacto in Animantibus, dum corpus ſcinditur & in ſuas partes ſolvitur, Anima verò ab ea recedens nullo pacto dividatur, ſed integra maneat. Attamen expendamus, quesò, an poſſit afferri nomen talis naturæ, ut dum illius corpus, ſeu ſonus in plures partes conciditur, inſectilis Anima, ſeu ſignificatio toti ſono addicta abeat, fragmenta vero ſoni adhuc animata maneant aliqualem ſignificationis vitam retinentia. Hujus generis nomen eſt vox ſignificativa Lucifer, qua utimur, ut alteri exprimamus Ideam quam habemus de *Stella*, quæ matutino tempore ſolem præcedit. Jam dilaceretur hoc nomen Lucifer in duas partes, quarum prima ſit major nempè Luci, altera verò minor, ſcilicet fer; Profectò totum nomen interiit, receſſit enim ab illius corpore Anima nimirum ſignificatio, & Idea Stellæ ſolem præcedentis, quæ nullo pacto utpotè inſectilis ſciſſo ſono in partes ſoluta eſt; quamvis tamen abiiſſe dicatur integra Anima totius nominis, nihilominus fragmenta ſoni, quę ſuperſunt, Luci, ſcilicet & fer, & ſi prima anima careant, quæ totum compleverant nomen, animata adhuc, ſeù ſignificationis vita prædita remanent, nam, Luci, ſignificat Lucem, fer verò illud verbum indicat, quo utimur, cum alteri præcipimus, ut rem aliquam ex uno ad alterum locum transferat; En quo pacto in hoc exemplo Anima totius nominis inſecta abjit, fruſta verò nominis ad huc viventia, ut ita dicam, & Anima inſtructa remanſerunt: ſimili modo quo contingere diximus in illis Animalculis quorum Anima licet ſit inſectilis & ſciſſo corpore recedat, fragmenta tamen quæ remanent, adhuc vitam, & ſenſum detinent. Cavendum tamen eſt, proſequitur Auguſtinus, ne verſipellex, ac ſimulatus ſimilitudinum aſpectus nos decipiat. Soli igitur Rationi innitendum eſt, quæ ut vi-

Quo pacto nomen intereſſe dicatur?

Quædam eluent nomina quę adhuc dicisſa, anima prædita manent.

dimus

dimus satis nobis aperit insectilem esse nullaque corporis mole laborare Animam, quamvis hæc sectile, & extensum Corpus animet, & vivificet.

CAPVT XXVIII.

TEXTVS.

NVnc accipe a me si velis, vel potius recognosce per me, quanta sit Anima non spatio loci, ac temporis, sed vi ac potentia. Nam ità si meministi propositum, ac distributum jam diù nobis est. De numero verò Animarum nescio quid tibi respondeam, cum hoc ad istam quæstionem pertinere putaveris. Citius enim dixerim non esse omninò quærendum, aut certè nunc tibi differendum, quam vel numerum ac multitudinem non pertinere ad quantitatem, vel tam involutam quæstionem modo a me tibi posse expediri. Si enim dixero unam esse Animam conturbaberis, quod in altero beata est, in altero misera, nec una res simul & beata & misera potest esse. Si unam simul, & multas dicas esse, ridebis nec mihi facilè, undè tuum risum comprimam, suppetit. Sin multas tantummodò esse dixero, ipse me ridebo, minusque me mihi displicentem quam tibi perferam. Audi ergò quod ex me bene te audire posse polliceor. Quod verò aut ambobus aut alteri nostrum ità onerosum est, ut fortasse opprimat, ne subire aut imponere velis.

Ad. *Cedo prorsus, & quod tibi congruenter mecum videtur agi posse quantum valeat Anima, expecto ut exponas.*

Aug. *O utinam doctissimum aliquem, neque id tantum, sed etiam eloquentissimum, & omninò sapientissimum, perfectumque hominem de hoc ambo interrogare possemus, quonam ille modo, quid Anima in corpore valeret, quid in se ipsa, quid apud Deum cui mundissima proxima est, & in quo habet summum, atque omne bonum suum dicendo, ac disputando explicaret. Nunc autem cum mihi ad hanc rem desit alius, audeo tamen tibi non deesse, sed hoc mercedis est, quod dum valeat Anima, indoctus expedio, quid ipse valeam securus experior. In primis tamen tibi amputem latissimam quamdam & infinitam expectationem, ne me de omni Anima discussurum putes, sed tantum de humana, quam solam curare debemus, si nobismet ipsis curæ sumus. Hæc igitur primò quod cuivis animadvertere facile est, corpus hoc terrenum, ac mortale præsentia sua vivificat, colligit in unum, atque in uno tenet, diffluere, atque contabescere non sinit, alimenta per membra æqualiter suis quibusque redditis distribui facit, congruentiam ejus, modumque conservat non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo, atque gignendo. Sed hæc omnia homini etiam cum arbustis communia videri queunt. Hæc enim etiam dicimus vivere, in suo vero quidque illorum genere custodiri, ali, crescere, gignere videmus atque fatemur.*

Ascende itaque alterum gradum & vide quid possit Anima in sensibus, ubi evidentior, manifestiorque vita intelligitur. Non enim audienda est, nescio quæ impietas rusticana planè, magisque lignea, quam sint ipsæ Arbores, quibus patrocinium præbet, quæ dolere vitem, quando uva decerpitur, & non solum sentire ista cum cæduntur, sed etiam videre, atque audire credit. De quo errore sacrilego alius est differendi locus. Nunc quod institueram attende, quæ sit vis Animæ in sensibus, atque in ipso motu, manifestior est Animantis

quo-

quorum nobis cum iis, quæ radicibus fixa sunt, nulla potest esse communio. Intendit se anima in tactum, & eo calida frigida, aspera lenia, dura mollia, levia, gravia, sentit, atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, formarum, gustando, olfaciendo, audiendo, videndoque dijudicat. Atque in iis omnibus ea quæ secundum naturam sui corporis sunt asciscit, atque appetit, reiicit, fugitque contraria. Removet se ab his sensibus certo intervallo temporum, & eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, imagines rerum, quas per eos hausit, secum caterватim, & multipliciter versat, & hoc totum & somnus, & somnia. Sæpè etiam gestiendo, ac vagando facilitate motus delectatur, & sine labore ordinat membrorum concordiam, pro copulatione sexus agit quod potest, atque in duplici natura societate, atque amore molitur unum. Fatibus non jam gignendis tantummodò, sed etiam fovendis tuendis, alendis, atque conservandis conspirat. Rebus, inter, quas corpus agit, & quibus corpus sustentat, consuetudine se innectit, & ab eis quasi membris ægrè separatur; quæ consuetudinis vis etiam sejunctionem rerum ipsarum, atque Intervallo temporis non discissa Memoria vocatur. Sed hæc rursus omnia posse Animam etiam in bestiis nemo negat. Ergò attollere in tertium gradum qui jam est homini proprius, & cogita memoriam non consuetudine mollitarum, sed animadversione, atque signis commendatarum, ac retentarum rerum innumerabilium, tot artes Opificum, agrorum cultus, extructiones urbium, variorum Ædificiorum, ac moliminum multimoda miracula, inventiones tot signorum in literis, in verbis, in gestu, in hujusce modi sono, in picturis, atque figmentis tot gentium linguas, tot instituta, tot nova, tot instaurata, tantum librorum numerum, & hujusmodi monimentorum ad custodiendam memoriam, tantamque curam Posteritatis, officiorum, potestatum, honorum, dignitatumque ordines sive in familiis, sive domi militiæque in Republica, sive in prophanis sive in sacris apparatibus, vim ratiocinandi, & excogitandi fluvios Eloquentiæ, carminum varietates, ludendi, ac jocandi causa milleformes simulationes, modulandi peritiam, dimetiendi subtilitatem, numerandi disciplinam, præteritorum ac futurorum ex præsentibus conjecturam. Magna hæc, & omninò humana. Sed est & adhuc ista partim doctis, atque indoctis, partim bonis, ac malis animis copia communis. Suscipe igitur, atque insili quarto gradui, ex quo bonitas incipit, atque omnis vera laudatio. Hinc enim anima se non solum suo, si quam universi partem agit, sed ipsi etiam Universo corpori audet præponere, bonaque ejus bona sua non putare, atque potentiæ pulchritudinique suæ comparata discernere, atque contemnere. Et inde quo magis se delectat, eò magis sese abstrahere a sordibus totamque emaculare, ac mundissimam reddere, & comptissimam, roborare se adversus omnia, quæ de proposito, ac sententia dimovere moliuntur, societatem humanam magnipendere, nihilque velle alteri, quod sibi nolit accidere, sequi authoritatem, ac præcepta sapientum & per hæc loqui sibi Deum credere. In hoc tam præclaro actu animæ inest adhuc labor, & contra hujus mundi molestias atque blanditias magnus, acerrimusque conflictus. In ipso enim purgationis negocio subest metus mortis sæpè non magnus, sæpè verò vehementissimus. Non magnus tum, cum robustissimè creditur, nam videre, utrum hoc sit verum, non nisi perpurgatæ Animæ licet, tanta Dei providentia, justitiaque gubernari omnia, ut nulli mors iniquè accidere possit, etiam

etiamsi eam fortè iniquus intulerit. Vehementer autem formidatur mors in hoc jam gradu, cum & illud eò creditur infirmius, quò solicitius quæritur, & eo ipso minus videtur, quo tranquillitas propter metum minor est investigandis obscurissimis rebus per necessaria. Deindè quo magis magisque sentit Anima, eo ipso quod proficit, quantum interstit inter puram, & contaminatam eo magis timet ne deposito isto corpore minus eam possit Deus quam se ipsa ferre pollutam. Nihil autem difficilius quam & non metuere mortem & ab illecebris hujus mundi, sicut pericula ipsa postulant, temperare. Tanta est tamen Anima, ut etiam hoc possit adiuvante sanè justitia summi, & veri Dei, qua hæc Universitas sustentatur, & regitur: quas etiam factum est, ut non modo sint omnia, sed etiam sic sint, ut omninò melius esse non possint. Cui se in opere tam difficili mundationis suæ adjuvandam & perficiendam, piissimè, tutissimèque committit. Quod effectum erit, cum fuerit ab omni Animæ tabe libera, maculisque diluta cum se denique in se ipsa lætissimè tenet, nec omninò aliquid meruit sibi, aut ulla sua causa quidquam angitur. Est ergo iste quintus Gradus. Aliud est enim efficere, aliud tenere puritatem, & alia prorsus actio, qua se inquinatam redintegrat, alia qua non patitur se rursus inquinari, in hoc gradu omnifariam concipit quanta sit. Quod cum conceperit, tunc verò ingenti quadam, & incredibili fiducia pergit in Deum, idest in ipsam contemplationem veritatis, & illud propter quod tantum laboratum est, altissimum, & sacratissimum præmium; Sed hæc actio idest appetitus intelligendi ea quæ verè, summèque, sunt, summus aspectus est animæ, quo perfectiorem, meliorem, rectioremque non habet.

Sextus ergò erit iste gradus actionis. Aliud est enim mundari oculum ipsum Animæ ne frustra, & temere aspiciat, & pravè videat, aliud ipsam custodire, atque firmare sanitatem, aliud jam serenum, atque rectum aspectum in id, quod videndum est, dirigere. Quod qui prius volunt facere, quam mundati, & sanati fuerint, ità illa luce reverberantur veritatis, ut non solum nihil boni, sed etiam mali plurimum in ea putent esse, atque ab ea nomen veritatis abjudicent, & cum quadam libidine, & voluptate miserabili in suas tenebras, quas eorum morbus pati potest, medicinæ maledicentes refugiant. Undè divino afflatu, & prorsus ordinatissimè illud a Propheta dicitur: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritus enim rectus est, credo quo fit ut Anima in veritate quærenda deviare, atque errare non possit. Qui profectò in ea non instauratur, nisi prius cor mundum fuerit, hoc est, nisi prius ipsa cogitatio ab omni cupiditate, ac fece rerum mortalium sese cohibuerit, & eliquaverit jam verò in ipsa visione, atque contemplatione veritatis, qui septimus atque ultimus animæ gradus est neque jam gradus, sed quædam mansio, quo illis gradibus pervenitur, quæ sint gaudia, quæ perfruitio veri, & summi boni, cujus serenitatis, atque æternitatis afflatus quid ego dicam? Dixerunt hæc quantum dicenda esse judicaverunt magnæ quædam, & incomparabiles animæ, quas etiam vidisse, ac videre ista, credimus. Illud planè nunc audeo tibi dicere, nos si cursum, quem nobis Deus imperat, & quem tenendum suscepimus, constantissimè tenuerimus, perventuros per virtutem Dei, atque sapientiam ad summam illam causam, vel summum Authorem, vel summum Principium rerum omnium, vel si quo alio modo res tanta

congruen-

congruentius appellari poteſt, quo intellecto verè videbimus, quam ſint omnia ſub ſole vanitas vanitantium. Vanitas enim eſt fallacia, vanitates autem, vel falſa, vel fallentes, vel utrique intelliguntur. Licet tamen dignoſcere quantum inter hæc, & ea, quæ verè ſunt diſtet, & quemadmodum tamen etiam iſta omnia Deo Authore creata ſint, & in illorum comparatione nulla ſint, per ſe aut em conſiderata mira, atque pulchra. Tunc agnoſcemus, quàm vera nobis credenda imperata ſint, quàmque optime, ac ſaluberrimè apud matrem Eccleſiam nutriti fuerimus, quæve ſit utilitas lactis illius, quod Apoſtolus Paulus paruulis ſe potum dediſſe prædicavit, quod alimentum accipere cum quis matre nutritur, utiliſſimum eſt, cum jam grandis eſt, pudendum reſpuere, cum opus eſt, miſerandum reprehendere aliquando, aut odiſſe ſceleris, & impietatis, tractare autem, ac diſpenſare commodè, laudis, & charitatis pleniſſimum eſt. Videbimus etiam naturæ hujus corporeæ tantas commutationes, & viciſſitudines, dum divinis legibus ſervit, ut etiam ipſam reſurrectionem carnis, quæ partim tardius, partim omninò non creditur, ita certam teneamus ut certius nobis non ſit, ſolem cum occiderit, oriturum. Iam verò eos, qui ad exemplum ſalutis noſtræ, ac primicias a filio Dei potentiſſimo, æterno, incommutabili ſuſceptum hominem, eumdemque natum eſſe de Virgine cæteraque hujus hiſtoria miracula irrident, ſic contemnemus tanquam eos pueros, qui cum pictorem propoſitis tabulis, quas intueatur, pingentem viderint, non putent poſſe hominem pingi, niſi aliam picturam, qui pingit aſpexerit. Tanta autem in contemplanda veritate voluptas eſt, quantacunque ex parte eam quiſque contemplari poteſt, tanta puritas, tanta ſyncritas, tam indubitanda rerum fides, ut neque quidquam præter ea ſciſſe ſe aliquando aliquis putet, cum ſibi ſcire videbatur, & quo minus impediatur anima toti tota inherere veritati, mors quæ anteà metuebatur, ideſt ab hoc corpore omnimoda fuga, & elapſio pro ſummo munere deſideretur.

EXPOSITIO.

Quanta ſit Intelligẽtis Animæ poteſtas expenditur.

CUm, quantus ſit humanus Animus, inquiritur, ut ipſe met Auguſtinus, hujus operis initio admonet, ſi nomine quantitatis moles, & extenſio corporis intelligitur, nulla ſanè occurrit reſponſio; Siquidem, ut ſuperius ſolida, & operoſa ratiocinatione oſtendimus, Animus nulla corporum magnitudine tumet, ſed inſectilis prorſus eſt, & incorporeus; Si verò venit quantitas virium, & poteſtatis, verè magnus Animus dici poteſt, ac veluti ſua quantitate pollere. Idcircò ſupereſt, ut Auguſtino docente, accuratè expendamus, quanta ſit vis Animæ, ſeu quantum valeat, ac poſſit Anima corpori, ſibi ipſi, ac Deo comparata; Nam magnoperè potens eſt, ſi ad corpus referatur ingentibus pariter viribus gaudet, dum a corporum conſideratione ſeiuncta in ſemetipſa ſiſtit, ac manet, ac tandem robuſtiſſima evadit, dum incommutabili verò copulatur, atque ad ſuum Pulcherrimum Authorem tendit. Vim autem ac poteſtatem Animi in ſeptem gradus diſtribuit Auguſtinus, in quibus totum Animæ robur pleniſſimè continetur, quos gradus ſingillatim cogitatione revolvemus, atque pro viribus tam arduam, atque & involutam rem explanare curabimus.

Anima & ſibi ipſi & Deo & corpori comparata ſummopere potens eſt.

De Animæ poteſtate in ſeptẽ gradus diſtributa.

PRI-

PRIMVS GRADUS.

Animatio.

Vires ſuas primùm Anima in corpore organico, cui cunjungitur, ampliſſimè nobis aperit dum illi vitam & robur elargitur. Etenim adeò robuſta eſt, ut ſuæ operationis præſentia ſingula corporis organa animet, perficiat, ac vivificet, quæ in unum colligens, ab externarum rerum injuriis oculata quadam ſagacitate vindicat, ac tuetur. Non alio tamen pacto vivificat, niſi cogitatione imperando, regit enim ac moderatur Aethereum halitum, qui in cerebro ſuam ſedem obtinens, ſuo afflatu, & impulſu ſingulis corporis membris congruas vires ſubminiſtrat, ac veluti balſamicus quidam vigor corruptionem ac putredinem impedit, ne corporis partes marceſcant, ac mutuò ſejungantur. Cum ergo vitalis hic, & ſubtiliſſimus halitus Animæ nutibus obtemperet, ac tandiù incolumis, integer, & vegetus in organis conſervetur, ac duret, quamdiù in corpore cogitat Anima, manifeſtè ſequitur, Animam ſua præſentia verè corpori vitam impartiri, quæ dum multifariam voluntatis imperio æthereum ſpiritum, tanquam ſuum inſigniſſimum inſtrumentum, multifariam agitat, movet, atque dirigit, corporis incrementa promovet, ac ſingulis illius partibus congrua ſua diſtribuit alimenta, quæ omnia quibuſdam localis motus legibus, additione, & Secretione, æthereo halitu undecunque accurrente, miro quodam artificio perficiuntur. Hæc autem non tantum hominibus, verum etiam & Plantis communia eſſe videntur; Nam Plantæ non minus ac humana corpora & creſcere, & nutriri, quin etiam quodam inteſtino motu animari dicuntur. Qua ratione verò id in plantis peragatur, altioris quidem eſt indaginis, & ad hunc locum minimè ſpectat.

SECUNDUS GRADUS.

Senſus.

Animationi ſenſus ſuccedit, in quo inſigniùs Animæ poteſtas effulget; Nam in ſenſibus maximè prævalet, ac manifeſtatur animati corporis vita. Senſus autem nihil aliud eſt, quàm Animæ vis, & facultas cogitandi dependenter a corpore, ſentit enim Anima, cum de aliqua re cogitat ob impreſſionem factam à rebus externis in corporis organa, modo quo ſuperius expoſuimus, ſenſus indolem, & naturam cum Auguſtino enucleantes. Dum verò multifariam corporis organis, ſenſuum miniſterio, utitur Animus, hic ad corporis cuſtodiam, ac tutelam potiſſimùm a natura deſtinatur, quippe qui dum varias corporũ formas, ac diverſas ſenſiles qualitates ſentiendo percipit, ea quę corpori noxia ſunt, rejicit, quæ vero ei congruunt amplectitur. Ex hac ſentiendi virtute motus voluntarii, ſpeciei propagatio, & quamplures alię inſignes operationes in corpore ortum ducunt, quæ non tantum ait Au-

gustinus, hominibus, verum etiam & irrationalibus Animantibus sunt communes, quibus non minus ac nobis sentiendi potestas congruere videtur.

TERTIUS GRADUS.

Ars.

Cum Animam ad liberales artes, & prestantissimas Disciplinas, ad Reipublicæ, & humanæ societatis bonum ordinatas, comparamus, sensuum vires excedere, ac validiorem illam esse intelligimus; mirum enim in modum Animę potentia manifestatur in Artibus, quarum ope quidquid ad humanæ societatis commodum, delectamentum, ac felicitatem tendit, excogitatum est. Nam Animus artium, ac disciplinarum solertia munitus, ac roboratus, ad mensuram sensilem revocat Universum, arithmeticas supputationes perficit, syderum cursus emetitur, tempora cronologico calculo dirigit, universam telluris superficiem, in Regiones, ac Provincias distributam, oculis in geographicis tabulis exhibet, ex cujus tandem peritia tot gentium idiomata, tot ingeniosa architecturæ monumenta, urbium constructiones, atque tot innumera inventa in humani consortii gratiam originem traxerunt, ut ad Animæ virium magnitudinem explorandam, ac dignoscendam satis sit, intelligentiæ aciem in solas Mathematicas disciplinas dirigere, ex quarum speculatione, usu, atque solertia, Optica, Perspectiva, Nautica, Astronomia, Musica, Mæchanica facultas, ac plures aliæ præstantissimæ doctrinæ, quæ vulgò Phisico Mathematicæ nuncupantur, ad hominum societatem beandam, exornandam, ac multifariam locupletandam derivarunt, quas cum cogitatione revolvo, humanum Animum, Creantem Dei Sapientiam æmulari intueor, ut ille præclarius interminatę Dei Potentiæ imitamentum, artibus ac disciplinis obarmatus, citra errorem dici valeat. Hujusmodi tamen vires ex artibus depromptæ, & doctis, & aliqua ex parte imperitis, & bonis, ac malis hominibus sunt communes.

QUARTUS GRADUS.

Virtus.

In triplici gradu jam exposito Animus aut in corpore, aut mediante corpore, aut circa corpora operatur. Dum autem ad quartum gradum attollitur, a singulis corporibus quodammodo se sejungens, ad se ipsum redit, atque suam vim, ac potestatem in semetipsa metitur, & perscrutatur. Hic verò conatus, quo Animus a cogitatione cuncta corpora removere studet, Virtus nuncupatur, a qua omnis bonitas, ac vera laudatio incipit, qua nimirùm justus ab injusto secernitur Animus; valdè tamen arduum & operosum est, Animum nimiùm corporibus cogitandis assuetum a corporum consideratione abducere, & a sen-

ſuum imaginibus à vocare quin etiam tantùm corporis bonis ac ſenſilibus voluptatibus ſe obſtrinxit Animus, ut nihil ei difficilius ſit, ac durius, quàm carnis cupiditates à ſe rejicere, & a corporum impuritate, ac turpitudine ſuum amorem removere, idcircò niſi peculiare quoddam Dei miſerentis auxilium acceſſerit, nunquàm ad hujuſmodi virtutis gradum aſcendet Animus, quimo tem, ſeu corporis diſiunctionem plurimùm expaveſcens, ad ſe redire ſummopere renuit, ſuam ut ità dicam, naturam ingredi, relicto extraneo ægri fert, ac vehementer, extimeſcit. Dum ergo Animus ad ſe ipſum accedere enititur, acerbiſſimus quidam enaſcitur conflictus; quo imaginandi, ac ſentiendi virtutes quodammodo cum intelligentia & Animo ſe ipſum inquirente pugnant; Hinc vix Animus immundiſſimas phantaſmatum acies a ſe rejicit, quod illico turmatim, ac ſummo impetu in eum irruunt, & veluti quaquaverſum obſident, ut ſæpiſſimè contingat eò tumultuoſius, ac fortius ſenſilium rerum imagines, ac voluptatum carnis memoriam, mentem invadere, & oppugnare, quò validius illa a phantaſia, atque ſenſibus ſuam conſiderationem diſſociare ſtudet. Quamobrem haud naturæ viribus, ſed Divino afflante auxilio aliquando contingit, ut omni corporis ſimulacro poſthabito, carnis illecebris ſpretis, ſibi ipſi ſeſe reſtituat Animus, ac turpi viſibilium rerum amore purgetur. Quæ laudabilis, ac ſummè ſalutaris purgatio virtute perficitur. Virtus autem nihil aliud eſt, quam ipſemet Amor ordinatus, quo Animus corporeis rebus ſibi ſubditis ac deterioris ordinis haud perfruitur, ſed tantum ut rector, ac Dominator utitur, ad ſola incommutabilia & ea, quæ ſunt altioris, ac pręſtantioris conditionis, tanquam ſuæ fruitionis objecta, ſuum amorem caſtè ac piè convertens. Cum ergò Amor ſuo reſtituitur ordini, ut utendis utamur, haud fruamur, fruendis fruamur, non verò utamur, tunc ex Animo virtus emergit, cujus ope Animus quantum ſingulis corporibus excedat, atque ſuis bonis deteriora, & infirmiora ſint corporis bona ingenti cum gaudio dignoſcit. Idcircò quo magis a ſenſuum apparentiis, ac ſpectris ſe velut a vinculis ſoluit, eo impedimentis ſemotis liberior, ac potentior evadit, atque expeditius ea, quæ ſublimiora, & altiora ſunt, intelligit.

QVINTVS GRADVS.

Tranquillitas.

Cum Anima, adjuvante ſanè iuſtitia ſummi, ac veri Dei, qua rerum univerſitas regitur, ac conſervatur, ab omni tabe, ac terreni amoris maculis in quarto virtutis gradu ſe liberaverit, ſibi ipſi iam feliciter reſtituta, quintus ſuccedit gradus, nempè tranquillitas, quæ tunc evenit, cum prorsùs phantaſmatum turba debellata, ſenſibus, & concupiſcentiæ perturbationibus edomitis, in ſemet ipſa, carne ſilente, lęta ſiſtit, ac quieſcit Anima, cujus vires adeò affluunt, ut haud facilè a ſerenitate, qua perfruitur, dimoveri valeat. Cum verò Animus a corporum conſuetudine ſe abducens, de carnis voluptatibus triumphum,

phum deportant, cum se ipsa commoratur, ac tota in suam intelligendi potestatem immergitur, innumeras dotes, ac præstantissimas affectiones in se detegit, ac cernit, & potissimùm eam voluptate pariter, ac ingenti terrore perfundunt, duę illę immensæ, ac infinitæ intercapedines, aut si mavis capacitates, quę ipsius veluti fundum, ac interiorem naturam efformant, quarum altera summo, & Universali vero, incommutabili, & illimitato Bono altera tantum impleri, & perfici potest. Quæ cum vacuæ, & suis congruis naturis denudatæ Animo manifestantur, nihil sanè Animo acerbius, ac durius accidere potest, nàm ei metum, tristitiam, ac perpetuam agitationem, & sollicitudinem conciliant. Cum verò spes in tranquillitatis gradu accedit, ut immensus uterque fundus, & impetus infinito Vero ac Bono tandem saturetur, ac expleatur, tunc vehementissimum consurgit gaudium, quo Animus ad suam metam, ac terminum, veluti suprà se assurgens, verè tendere incipit, suasque vires planiùs percipiens, eo magis corpora, ac caducas res contemnit, ut summo labore ad sensiles res inspiciendas, ut corporis incolumitas exposcit, convertatur.

SEXTUS GRADUS.

Ingressio.

Purgatus jam in quarto, ac summa tranquillitate in quinto gradu perfruens Animus, illicò ad incommutabile, & infinitum verum interiori Intelligentiæ oculo intuendum, ac veluti in illius penitioribus contemplandum præparatur. Idcircò tranquillitati succedit ingressio, qua mens ingenti quadam, & incredibili fiducia in Deum pergit, idest in ipsam contemplationem veritatis, ad quod obtinendum non seculares, ac prophana, sed potissimum evangelica virtus, ac cordis puritas conferunt, quæ nisi accesserint, ipsum nitidissimum, ac firmissimum veritatis lumen caliginosum, quin etiam inane, ac fictitium videbitur iis, qui non adhuc ut oportet purgati, & solida virtute, ac sincera pietate muniti in illimitatum ac legitimum verum inspiciendum coinquinatum, ac caligantem cogitationis oculum dirigunt, qui cum illud sustinere nequeant, in easdem tenebras, quas a se ipsis eliminare conantur, infeliciter irruunt. Jam igitur in hoc gradu uterque infinitus Animæ fundus falsarum, ac fallacium rerum amore, & inanibus imaginibus expurgatus ad summum Verum, ac Bonum recipiendum magnopere disponitur. Quę Pręparatio excellens quædam vis, seu actio est, appetitus scilicet intelligendi ea, quæ verè sunt, quarum cognitio solis piis & castis animis conceditur. Siquidem nequit Animus ad hunc gradum attolli, nisi primò spiritus rectus, firmiter nempè adhærens Deo, atque cor mundum, omni nimirum cupiditate, ac mortalium rerum fęce vacuus, & expeditus fuerit. Tum enim recta, & pura evadit mens, cum nullo fœdo corporum amore maculatur, atque constantissimè ad solum Deum, veluti ad sui terminum, ac metam aspirans, a veritatis agnitione neutiquam removeri, aut deflectere potest.

SE-

SEPTIMVS GRADVS

Contemplatio.

Postquam Animus Virtute, Tranquillitate, ac in sexto ingressionis gradu ad immutabilis, & sempiternæ Veritatis agnitionem se præparaverit, tandem ad perfectissimum, ac postremum gradum pertingit, quo ipsi Deo ineffabili modo conjungitur, & in ipsam immarcescibilem veritatem quaquaversum immergitur, ut in Deo manere, ac perfectè vivere dici valeat. Quæ tamen sint ingentissima gaudia, quæ pleniſſima voluptas, quibus contemplans Animus in hoc septimo gradu perfruatur, magnæ, & incomparabiles quædam Animæ in semet ipsis satis perceperunt, ac docuerunt. Nam si finitæ, & exiguæ res, ut sunt corpora, aut aliquæ veritates a Geometria, aut Arithmetica, aut a quavis alia prophana scientia, & seculari disciplina propositæ multum Animum movent, & alliciunt. Sanè inexplicabilis erit voluptas, incomparabile, & captu difficile gaudium, quo perfunditur Animus, cum, si fas est dicere, ipsomet infinito Vero, ac immenso Bono in suis penitioribus tangitur, & afficitur, quo utraque ampliſſima *mentis* capacitas expletur, ac satiatur. Dum autem Animus interminati veri fulgore irradiatur quantum ipse valeat, ac singula corpora, ipsumque visibilem Universum antecellat intelligentia planissimè assequitur, quin etiam futilem, ac nugosam hujus sæculi sapientiam contemnens, ac tanquam fatuam, & stultam irridens apertè noscit, umbratiles, ac larvatas res esse eas, quas prophani disputatores inani, & fraudolenta loquacitate nos docere solent, si ille summo, & incommutabili vero comparentur, quod in puriſſimis ac incontaminatis Animis effulget, & peculiari quadam latentis operationis præsentia inhabitat. In cujus inextinguibili, & nitidissima luce errorum tenebris excussis, quam solida, ac vera sint, Christianæ Religionis mysteria inspicit Animus, irridens stultitiam, ac insaniam illorum, qui fidei arcana contemnunt, quia illa neque sensu, neque intellectu clarè deprehendunt, ac denique intelliget, quam imbecillis, ac languida sit humanæ sapientiæ vis, quæ vix exigua dignoscit; ut certum ab incerto difficilè secernat, ac sæpissimè umbras, & figmenta, ut solidissimas veritates, & ex adverso vera, ac solida ut fictitia, ac larvata, præpostero judicio magnipendat' aut aspernatur.

Ad hanc igitur salutarem, ac veram sapientiam tendamus, quæ sola Intellectus nostri famem explet, totam sciendi cupiditatem occupat, & implet, ad quam cum divina gratia auxiliante pervenerimus in ea bona incidemus, quæ fusè in hoc capite prosequitur Augustinus, & nos copiosius, & operosa argumentatione in nostris investigationibus aperiemus, cum de duplici immenso Impetu Humanæ mentis ad incommutabile Verum, & infinitum Bonum disputationem instituemus.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

TEXTVS.

AVdisti quanta vis sit Animæ, ac potentia, quod ut breviter colligam quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse quod Deus est, ità præsumendum nihil inter omnia, quæ creavit, Deo esse propinquius. Ideoque divinè, ac singulariter in Ecclesia Catholica traditur, nullam creaturam colendam esse Animæ, libentius enim loquor his verbis, quibus mihi hæc insinuata sunt, sed ipsum tantummodò rerum, quæ sunt omnium creatorem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ædest incommutabilem veritatem, incommutabilem æternitatem, incommutabilem charitatem, unum verum Deum, atque perfectum, qui nunquam non fuerit, nunquam non erit, nunquam aliter fuerit, nunquam aliter erit. Quo nihil sit secretius, nihil præsentius, qui difficilè invenitur ubi sit, difficilius ubi non sit, cum quo esse non omnes possunt, & sine quo esse nemo potest, & si quid de illo incredibilius, convenientius tamen atque aptius hominem dicere valemus. Hic ergò solus Deus Animæ colendus est, neque discretè, neque confusè. Quidquid enim anima colit ut Deum, necesse est, ut melius esse quam se ipsam putet. Animæ autem natura nec terra, nec maria, nec sydera, nec luna, nec Sol, nec quidquam omninò quod tangi, aut his oculis videri potest, non denique ipsum, quod videri a nobis non potest, cælum, melius esse credendum est. Immò hæc omnia longè deteriora esse, quàm est quælibet Anima, ratio certa convincit, si modò eam veri Amatores ducentem per insolita quædam & ob hoc ardua constantissimè, atque observantissimè, sequi audeant. Si quid verò aliud est in rerum natura præter ista, quæ sensibus nota sunt, & prorsus quæ aliquod spacium loci obtinent, quibus omnibus præstantiorem animam humanam esse diximus. Si quid ergò aliud est eorum, quæ Deus creavit, quiddam est deterius, quiddam par, deterius ut Anima pecoris, par ut Angeli, melius autem nihil. Et si quando est aliquid horum melius, hoc peccato ejus fit, non natura. Quo tamen non usque adeò fit deterior, ut ei pecoris Anima præferenda, aut conferenda sit. Deus igitur solus ei colendus est, qui solus ejus est Author. Homo autem quilibet alius quanquam sapientissimus, & perfectissimus, vel prorsus quælibet anima Rationis compos, atque beatissima amanda tantummodo, & imitanda est, eique pro merito, atque ordine quod ei congruit, deferendum. Nam Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Errantibus vero cognatis Animis, & laborantibus quantum licet atque præceptum est opem ferendam esse, sciamus, ita ut hoc ipsum, cum bene agitur Deum per nos agere intelligamus. Neque quidquam nobis proprium vindicemus inanis gloriæ cupiditate decepti, quo uno malo a summo in ima demergimur. Neque viciis oppressos, sed ipsa vicia, neque peccatores, sed ipsa peccata oderimus. Omnibus enim subventum velle debemus, etiam qui nos læserunt aut lædere, aut omninò lædi volunt. Hæc est vera, hæc est perfecta, hæc sola Religio, per quam Deo reconciliari pertinet ad Animæ, de qua quærimus magnitudinem, qua se libertate dignum facit, nam ille ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, & in cujus servitio placere perfectè sola libertas est. Sed video me pene excessisse metas propositi mei, ac sine ulla interrogatione

tam.

tamdiù tibi multa dixisse neque id me pœnitet. Nam cum sint ità per tam multas Ecclesiæ Scripturas dispersa, quanquam ea non incommodè collegisse videamur, plenè tamen intelligi nequeunt, nisi quisque in illorum septem quarto gradu fortiter agens, pietatemque custodiens, & ad ea percipienda sanitatem, ac robur comparans, inquirat omnia singilatim diligentissimè, ac sagacissimè; Namque illis omnibus gradibus inest distincta, & propria pulchritudo, quos actus melius appellamus. Quærimus quippè de Animæ potentia, & fieri potest, ut hæc omnia simul agat, sed id solum sibi agere videatur quod agit cum difficultate, aut certè cum timore. Agit enim hoc multò quam cætera attentior. Ascendentibus igitur sursum versus. Primus actus docendi causa dicatur Animatio, Secundus, sensus. Tertius Ars, Quartus Virtus, Quintus Tranquillitas, Sextus Ingressio, Septimus contemplatio. Possunt & hoc modo appellari. Primus de corpore, secundus per corpus, tertius circa corpus, Quartus ad se ipsam, Quintus in se ipsam, Sextus ad Deum, Septimus apud Deum. Possunt & sic. Pulchrè de alio. Pulchrè per aliud, pulchrè circa aliud, Pulchrè ad pulchrum, pulchrè in pulchrò, pulchrè ad pulchritudinem, pulchrè apud Pulchritudinem. De quibus omnibus post requiras, si quid videbitur aperiendum, nunc ideò volui tot ista signare vocabulis ne te moveat, cum alii aliis nominibus eadem vocant, aut aliter etiam partiuntur, & ob hoc aut ista, aut illa improbes, innumerabilibus enim modis eadem res, & appellari, & dividi possunt rectissimè, ac subtilissimè, sed in tanta copia modorum utitur quisque quo se congruenter uti existimat. Deus igitur summus, & verus lege inviolabili, & incorrupta, qua omne quod condidit, regit, subiicit animæ corpus animam sibi, & sic omnia sibi, neque in ullo actu eamdem deserit, sive pœna, sive præmio. Id enim judicavit esse pulcherrimum, ut esset quidquid est, quo modo est, & ita naturæ gradibus ordinaretur, ut considerantem Universitatem nulla offenderet ex ulla parte deformitas omnisque Animæ pœna, & omne premium conferret semper aliquid proportioni justæ pulchritudinis, dispositionique rerum omnium. Datum est enim animæ liberum arbitrium, quod cui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur usque adeò cæci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana, atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant, nec tamen ita liberum arbitrium animæ datum est, ut quod libet eo molliens, ullam partem divini ordinis, legisque perturbet. Datum est enim a sapientissimo atque invictissimo totius creaturæ Domino, sed ista ut videnda sunt, videre paucorum est, neque ad hoc quisquam nisi vera Religione sit idoneus. Est enim Religio vera, qua se uni Deo Anima, unde se peccato velut abruperat reconciliatione religat. Innectit ergo Animam in illo actu tertio, atque incipit ducere, purgat in quarto, reformat in quinto, introducit in sexto, pascit in septimo, atque hoc fit aliàs citius, aliàs tardius, ut quæque amore, ac meritis valent, omnia tamen Deus justissimè moderatissimè, pulcherrime facit, quoquo modo sese habere voluerint, de quibus facit. Iam verò etiam puerorum infantium consecrationes quantum prosint, obscurissima quæstio est, non nihil tamen prodesse credendum est. Inveniet hoc Ratio cum quæri oportuerit, quanquam & alia multa jam diù quærenda tibi potius aliquandò, quam cognoscenda protulerim. Quod fiet utilissimè si duce pietate requirantur. Quæ cum ita sint, quis est qui juste stomachetur, quod agendo, atque ministrando corpori anima data sit cum tantus, & tam divinus rerum ordo connecti melius non possit? Aut quærendum putet, qualis in hoc mortali, & fragili corpore

pore efficiatur cum & in mortem propter peccatum jure contrasa sit, & virtute hic etiam possit excellere? Aut qualis post hoc corpus futura sit, cum & pena mortis necessariò manere debeat, manente peccato, & virtuti, pietatique sit deus ipse ideſt veritas ipsa præmium? Quare si jam placet, tam longum sermonem terminemus aliquando, & implendis Dei præceptis vigilantissimè, & religiosissimè operam demus non enim est alia fuga de tantis malis. Si quid autem obscurius a me dictum est, quam velles, facitò ut memoriæ mandatum aliàs opportunius requiras. Neque enim deerit nobis quærentibus se, qui desuper est Magister omnium. Ad. *Ego verò & hac ratione tua ita sum affectus ut eam intercipellare nefas putaverim, & si tibi modus sermonis hic placet, tresque illæ quæstiones quæ remanebant, tam breviter perstringendæ in præsentia visæ sunt, cedam judicio tuo, ac deinceps tam magnis rebus investigandis, non modo tempus propter tuas occupationes, sed etiam me ipsum opportuniorem servabo.*

EXPOSITIO.

CUm Augustinus a primo animationis gradu ad contemplationem usque Veritatis, ad gradum scilicet omnium præstantissimum ascendens, summas, ac peramplas Animæ vires, ac per mirabilem potestatem explanaverit, plura valdè utilia, & Christianæ Pietati magnoperè consentanea ex septem expositis gradibus colligit. Et primò de Animæ nostræ dignitate, ac præstantia subtiliter edisserens, humanum Animum inter Deum. & corpora collocat, ea lege, ut Animæ corpus, Deo verò Anima subdatur. Idcircò præter Deum nihil in sp ctatissima creatarum rerum universitate præstantius, ac perfectius Anima esse, admonet, ut solus Deus qui unicus, ac ultimus finis, & scopus, & sui ipsius, & cunctarum substantiarum est, gratia sui. & absoluta quadam adoratione sit ab Animo nostro colendus, & adorandus, in quem, tanquam in suum verum, & infinitum Bonum creata voluntas inevitabili quodam impetu incessanter fertur. Primo enim & immediato cultu, ut ita dicam, ille solus, qui verè, & incommutabiliter est, atque infinito excessu melior Anima, a nobis & amandus & adorandus est. Cum ergò singula corpora sint infimioris ordinis, & aliæ finitæ substantiæ tantum æquent, non superent Animæ perfectionem, sequitur solum Deum excellere Animæ. Ex quo plane innotescunt, creatarum rerum harmonia, & consonantia, Universi decus, ac pulchritudo, rationalis quoque amoris ordo, ex quo honestas, ac morum elegantia profluit. Quemadmodum etiam, quænam sit vera Religio, qua Animus vitiorum maculis purgatur, Deo reconciliatur, ac verè conjungitur, optimè colligitur.

Humanus Animus inter Deũ & corpora collocatus.

Singulis corporeis rebus longe præstantior Animæ.

Furor Animæ ad incommutabile verum & Bonum.

Posteà Augustinus ad septem Animę gradus rediens, primum gradum Animationem appellat qua animus ad alium, nempè ad rem extraneam, & deteriorem, seu ad corpus regendum, ac vivificandum, pulchrè ideſt congruа, & concinna quadam operatione convertitur. Nuncupat verò secundum gradum Sensum, in quo Animus pulchrè per alium, per extraneum scilicet corpus agit, ac cogitat. Tertiò

Septem gradus Animæ ulteriùs explicantur.

Gra-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [196] - 166
PUBLIC DOMAIN

graduiartis nomen tribuit, quo Animus circa alium, nempè circa corpora a ſua natura aliena potiſſimum agit, ſed pulchrè, modo nimirum valdè congruo, & naturæ legibus conſono. Gradus, qui artem ſequitur, virtus ab Auguſtino nominatur, cujus ope Animus pulchrè ad pulchrum, ſcilicet ad ſe ipſum accedit. Animum verò pulchrum dicit, quia ipſe inſignius, ac nobilius incommutabilis Pulchritudinis imitamentum eſt. Nam, ut in noſtris Inveſtigationibus aperiemus, ſumma, & ſincera pulchritudo, ipſa met incommutabilis, ac ſempiterna Vnitas eſt, corpus verò numerus eſt, ac multitudo, ſola autem Anima genuinum Vnitatis veſtigium, ob quam rationem non corpus, ſed Animum meritò pulchrum appellat Auguſtinus, pulchritudinis nempè participationem, ac veſtigium. In quinto gradu, qui tranquillitas dicitur, Animus apud ſe ipſum, ſeù pulchrè apud Pulchrum eſſe, intelligitur, in ſemetipſo nempè manens & quieſcens. Sextum deindè gradum ingreſſionem appellat incomparabilis Doctor, cujus auxilio Anima Deo approximatur, ſeù pulchrè ad pulchritudinem tendit, & mirum in modum accedit. Tandem in poſtremo gradu, cui contemplationis, ſeù manſionis nomen datur, Animus apud Deum, ſeù pulchrè apud pulchritudinem eſſe dicitur, quo pacto tota Animæ perfectio conſumatur, illiuſque vis quàm maximè augeſcit, & ampliatur.

In Tertio Gradu tamen dum Animus ſupra corpora, & irrationales Animas mirificè elevatur, ad ſublimiorem vitam duci incipit. Purgatur verò in quarto, reformatur, ac plurimùm perficitur in quinto, introducitur, ac vehementer ad ſummam felicitatem præparatur in ſexto, ac demum paſcitur in ſeptimo, veritatis ſcilicet contemplatione enutritur, beatur, atque ſuæ integræ perfectioni, & poteſtati reſtituitur. Jam tres aliæ quæſtiones, quas in ipſomet operis veſtibulo propoſuit Auguſtinus remanent enodandæ, quæ multùm profectò involutæ ſunt, & perdifficiles, cur nimirum corpori conceſſus fuerit Animus, deinde quas mutationes ſubeat, cum corporis adnectitur organis, poſtremò qua ratione intelliget, ac aget Animus a corpore ſejunctus. Has verò quæſtiones inſolutas, & intactas relinquit Auguſtinus, cujus præcipuus ſcopus in hoc libro eſt, primò ratione præfulgente oſtendere, nulla corporum mole Animum conſtare, deinde aperire quanta ſit Animæ poteſtas, ac vis tum corpori, tum ſibi ipſi, tum incommutabili Vero comparata: Quæ duo ſanè negocioſa, & peracuta argumentatione ſolidè ac ſubtiliter præſtitit, ut jam evidentiſſimè pateat magnam ac miram naturam eſſe Animam, quæ nulla ſpatiorum magnitudine tumens, mira, & magna poteſt, atque ſub ſolius Dei imperio jacens, ſydera, elementa, & ampliſſimum ſenſilem Vniverſum virtute, venuſtate, & perfectione admirandum in modum antecellit.

De hujuſcemodi tamen Animæ noſtræ virtute, præſtantia, dignitate hìc conciſo ſermone, & craſſiori minerva ratiocinati ſumus, cum in hoc comentario precipuus noſter ſcopus fuerit, Auguſtinenſem Textum tantùm pro viribus exponere, & ubi ille majorem patitur difficultatem breviter confirmare. Eamdem attamen mate-

riam fusiùs, enucleatiùs ac diligentiùs exagitabimus in libro nostrarum investigationum, ubi intimiùs humanæ Animæ vires, indolem, & affectiones explorare curabimus, quin etiam, occasione textus jam a nobis in prima huius Operis parte explanati, quamplures quæstiones excitabimus, in quibus potissimùm summam æqualitatis naturam, insectilium rerum potestatem, rectam dubitandi Methodum, sinceram ventorum originem, latentem sensus causam Mathematicarum dimensionum veritatem demonstrativa quadam ratione atque copiosè aperiemus. Tantum hìc nobis liceat pro huius primæ partis coronide sequens monitum in medium afferre, quod ex primo capite Libri Divi Aurelii, Augustini de Animæ Quantitate hausimus, & summopere iuvat, ut Animus ad sui naturam & originem rectè perscrutandam, ac pariter ad Augustini Doctrinam in secunda & tertia parte huius Operis planiùs intelligendam, quam maximè disponatur.



SALU-

SALVTARIS ADMONITIO

Vt Animus ad se ipsum accuratè inquirendum, Augustino docente, disponatur, humanæ quoque literaturæ vitia nullo negotio detegantur, atque vitentur.

Quæ suprà nos sunt investigare non liceat. Nemo autem se suprà se esse putet, aut res à sua natura alienas inquirens, se inquirere negligat.

CUm præclarissimus Augustinus de Animæ Quantitate opus aggrediens, exordium capiat à Socratis sententia, qua prohibemur ea requirere, quæ suprà nos sunt, pariterque Animum ad se ipsum investigandum invitet; nobis occasionem præbet, plura hìc salubriter admonendi. Primò non liceat ea perscrutari, quæ supra nos sunt. Rem aliquam supra nos esse triplici modo intelligi potest. Primò ut naturæ dignitate, perfectione, & excellentia hominis Indolẽ antecellat, quæ nempè altioris sit ordinis, & suprà humanam substantiam assurgere dicatur. Ut Deus, cuius summè perfecta, & intemerata natura exiguæ, & limitatæ creatarum rerum virtuti antecedit; Quapropter suprà nos esse infinita sanè distantià dicitur.

Deindè aliqua suprà nos esse affirmantur, in quantùm superant nostram intelligendi facultatem, intrà cuius confinia, atque terminos minimè coercentur; sed extrà. ut ita dicam, Rationis Regnum, ac dominatum in amplissima rerum Universitate florent, ut suis viribus humana Ratio illa detegere, atque in sui conspectum sistere nequeat. Quo pacto quamplura maximè abdita Sacrosanctæ Religionis mysteria se habent. Postremò aliquid suprà nos esse dicitur, quod, & si sub intelligentiam cadit, attamen adeò sensuum aciem fugit, ut sensus, ac phantasiam penitùs lateat; idcircò iuxtà quidem humanum intellectum, suprà verò sensuum potestatem sit, quo pacto suprà nos esse res spiritales, & incorporeæ dici possunt.

Jam dum admonemur, ne ea, quæ suprà nos sunt, inquiramus, nulla res venit hominis naturam insperans primo modo. Nam quamvis Deus, qui solus humano præstat animo, nobis infinitè, ac summè præcellat, quantum nimirum absolutissimum omnium Exemplar suis imaginibus, ac delineamentis, in quibus admirandum in modum adumbratur, præstat, & excellit, attamen plus quàm cæteræ res accuratè, diligenterque investigandus est, & inquirendus; cum nihil Operi ratione prædito, atque Vitali imagini congruentiùs sit, ac decentiùs, quàm suum Auctorem, & Exemplar acerrima quadam animi attentione inquirere, & contemplari, a quo intelligentiam, vitam, & existentiam, quæ illum summoperè

Deus etsi nobis infinitè præstat, investigandus tamen suo modo est, & inquirendus.

Nihil animæ decentius, quàm suum Exemplar, atq; Auctorem inquirere, & contemplari.

exprimunt beneficentissimè acceperunt. Etenim adeò in singulis notitiis, atque intimioribus Mentis nostræ secretis sapientissimus Vniversi Moderatur, & Arbiter sese delineavit, suaque splendidissima vestigia in nos mirificè impressit, cum, docente Psalmista, vultus sui lumen super nos signaverit; ut creata mens à suo Authore cognoscendo, atque Exemplari incessanter inquirendo se neutiquam abstinere valeat. Præterea cùm id tantummodò quod verè est, atque omnem perfectionem cumulatissimè amplectitur, sit expletivum finitæ Intelligentiæ Bonum, quod singula nostra desideria implere, & occupare capax est; oportet ut, dum summam appetimus felicitatem, summumque bonum inquirimus, & Deum jugi & inevitabili quodam impetu inquiramus, & suprà modum investigemus.

Invitabili, ac ingenito quodam impetu ad Deum investigandum humanus animus fertur.

Attamen Deus investigabilis, & imperscrutabilis naturæ, tanquàm inaccessibilis lux, in sacris litteris frequentissimè dicitur. Deus enim nulla ratione investigari potest, cum nos infinitè superet, atque ab imbecilli, maximèque tenui intelligentia capi, & comprænendi nequeat; Etenim si esset nobis vestigabilis, finitus potius, naud interminatus foret, dum nostram limitatam exæquaret intelligentiam.. Quo profectò nihil stultius, nihil amentius, quod egregiè indicasse videtur Augustinus Tomo x. Sermone clxxxix. Vis scire naturam Dei, hoc scito, quod nescias. Idcircò duo hìc propemodum pugnare, invicemque adversari videntur. Primum est, Mens *finita* suaptè natura ad suum Exemplar, & Auctorem inquirendum & evelandum fertur, cujus anticipatam, ac ingenitam cognitionem, ut sit, & vivat, habere necesse est; Alterum est. Increatum finitæ Mentis exemplar infinitam perfectionem redolens, suæ naturæ necessitate tantùm à se ipso, minime a limitato intellectu pervestigari, atque intelligi potest.

Investigabilè, Deum sacræ litteræ nuncuparunt.

Si Deus a finita mente caperetur, finitus haud interminatus foret.

Difficultas quædam oritur.

Ut autem hæc invicem conciliemus, atque, quod arduum, ac monstrosum quidem paradoxon prima fronte videtur, Deum investigamus, sequens statuimus principium, quod infrà enucleatius, atque uberius invicta ratione, & singulari quadam methodo ostendemus; Deum nimirum esse summum, ac primum omnium Exemplar; quod se ipsum in se ipso naturæ suæ necessitate exprimat, in extraneis verò, creatisque rebus ex liberrima sua voluntate adumbret. Etenim se ipsum non intelligere, atque se in se non incessanter intelligendo exscribere, Deus nullo modo potest; secus summa, & perfectissima natura nequaquam esset; Creaturas verò adeò intelligit, atque se in ipsis exprimit, ut potuerit, si voluisset se extrà se non intelligere, se in creaturis non exprimere, ac tantùm se in se, haud extrà se repræsentare; aliter sibi neutiquam sufficeret, suæque intelligentiæ complementum, & plenitudinem a rebus extre se positis emendicaret, quod perfectissimę substantię dissentaneum est. In hoc autem primo, & generalissimo exemplari cunctarum perfectionum, veritatumque imagines, ac Ideæ continentur, quæ nempè tùm Divinam, tum creatam naturam respiciunt.

Deus est summum, ac primum omnium Exemplar.

Deus necessariò se ipsum, liberrimâ verò suâ voluntate creaturas intelligit.

Humanæ mens insignius divinæ substantiæ imitamentum.

Inter verò res, quas Deus procreavit, ut se ipsum insigniùs repræsentarent, & excellentiùs exprimerent, humana quidem Mens est, in

in quam se impressit, atque dilineavit; nempè adeò illam affecit, & in illam inevitabilem suam operationem exercuit, ut quædam ejus vestigii portio emerserit, ac extrà ipsum in lucem prodierit, quæ effigiem, atque delineamenta amplecteretur, quamplurium idearum, atque primarum notionum, quæ vel naturæ necessitate, vel ex arbitrio in Exemplari, & Prototypo continentur. Quapropter Anima, ut ità dicam, vestigium, & inumbratio cujusdam portionis Infinitæ, ac summæ substantiæ est; Etenim non omnia, quæ in exemplari elucent, in Anima delineata, & adumbrata vigent, sed tantùm minima perfectionum pars, quibus illimitata Dei natura comprehenditur.

Humana mens haud perfectè sed ex parte tantùm suum Exemplar repræsentat.

Hæc autem delineamenta, & vestigia divinarum Idearum cum ipsa finita Mente procreata, insignem illam hominis facultatem constituunt, quę Ratio nuncupatur, quæ vel est primarum notionum, ac ingenitarum veritatum, quæ divinas Ideas æmulantur, congeries, vel potestas quædam à Deo menti tradita ideandi (si fas est dicere) ac delineandi quasdam res, ac veritates determinata quadam mensura, simili modo quo Deus liberrimè creatas res delineare, atque sua interminata intelligentia revolvere, & multifariam architectari, sibi complacuit.

Quid sit Ratio, exponitur.

Attamen non tantùm Ideas, ac cognitiones aliquarum rerum quæ a sua natura differunt, suisque notionibus similes Supremæ Mentis Majestas in humanam mentem impressit, verùm etiam in qualibet humanæ mentis Idea, & cognitione se ipsam egregiè adumbravit, nempè in singulis animæ facultatibus atque actionibus sui effigiem insigniter expressit, cum ubicunque creata Mens se verterit, atque ad se ipsam se converterit, id quod verè, & citrà terminos est, necessariò intuebatur, sub cujus forma, & imagine quidquid cognoscit sibi repræsentat, cum quidquid cogitat aliquid esse, nt vestigium ejus quod verè est, intelligat.

Dei notio in quavis humanæ mentis cogitatione continetur.

Quapropter ex ea parte, qua se in humanam mentem Deus impressit, ac delineavit, intelligibilem, ac vestigabilem se nobis reddidit, atque adeò Ratione ducę perscrutandus, & verè inquirendus est; nempè in sui vestigio, & imitamento, quod tanta mensura, & limitato modo humanæ menti munificentissima manu largitus est, ultrà quod ratione Deum investigare, ac perscrutari non conceditur, cum illam omninò lateat infinita, ac immensa Divinæ Naturę perfectio, quæ supereſt, & cujus creata Mens vestigium, ac delineamenta nulla complectitur, ex qua parte investigabilis, & incogitabilis Deus est, rationem humanam penitùs fugiens.

Exponitur quo pacto Deus dicatur Ratione investigari.

Quod si Deo aliquandò arriserit humanæ menti se, ex parte qua illam latet, manifestare, ut quasdam veritates nobis patefaciat, quæ in prima rerum constitutione creatæ intelligentiæ aperire noluit, tunc, cum hujusmodi veritates non contineantur intrà Regnum, ac potestatem Rationis, sed extrà ejus confinia dominentur, ad fidem, atque gratiam solùm spectare, rationisque vim, atque robur superare dicuntur,

Qua ratione Deus per fidem Animæ se manifestè aperiatur.

Ex rebus jam firmatis, atque crassa Minerva explanatis apertissimè liquet, quo pacto Deus vestigabilis pariter, & sub nostram investigationem minimè cadens, latens unà, & notus, luminosus, & summè itidem tenebrosus, luce, & caligine circumdatus citrà errorem dici

Quo pacto Deus absconditus, pariter, ac apertus dicatur.

valeat

valeat; Idcircò cum irradians Dei pars, ut ità dicam, qûę nobis rationis auxilio innoteſcit, ſit infinitè minor ea, quæ tenebris circumfuſa deliteſcit, cujus exigua tantùm ac minima particula, opitulante, fide, nobis manifeſtatur; ſequitur vix a nobis inveſtigari, ac verè Deum intelligi poſſe, ut tenebræ, quæ Divinam circumdant naturam, infinitè ex ſuperent Rationis lucem, qua inveſtigari, ac intelligi poteſt, hinc jure merito abſconditum abſolutè, & imperſcrutabile in ſcripturis Supremum Numen appellatur.

Exemplum in medium adducitur, quo facilius Deum abſconditum unà, & apertum eſſe intelligamus.

Ut autem hæc facilius intelligamus, fingamus animo Aeneam mille cubitorum laminam, in qua mille diverſarum rerum imagines ejuſdem magnitudinis ſint ſcalpro delineatæ, quæ ceræ unius cubiti figillandæ applicetur; ex mille una tantùm Aeneę laminæ imago ſui veſtigium, ac delineamentum in ceram imprimet, quod ſe habebit veluti typus, illa verò ut prototypus, atque exemplar, erit enim veſtigium in cera relictum imago imaginis à prima derivata.

Jam ponamus, jocandi cauſa, ceram imaginandi poteſtate pollere, ut imaginari apta ſit ea, quæ ab imaginibus ænei corporis in ſe impiam impreſſis repręſentantur; profectò æneum, ut ità dicam, exemplar, & multifariam configuratum in aliqua ſui parte juxtà unam tantùm imaginem agnoſceret, quod tamen ſecundum majorem ſui partem penitus ceram lateret, dum hęc ex mille unam tantùm figuram percipęret; ut cera ſuis viribus, niſi robuſtioris rei virtute magis extenderetur, in majoremque excreſceret molem, prętèr unam, nullam aliam imaginem, quę in exemplari continetur, phantaſia pertingere poſſet. Quamobrem facultas, qua cera polleret inveſtigandi, & percipiendi æneum exemplar ſecundùm minimam eius partem, in una nimirùm tantùm idea ſui Exemplaris, poſſet appellari Ratio: potentia verò detegendi ſuum Exemplar, ubi tenebris involuitur, ſi validior aliqua cauſa illam exporrigens, & augens latentem aliquam figuram per figillationem cerę manifeſtaret, fidei virtus quodammodo nuncupari poſſit, quæ ingenitas ceræ vires exſuperat.

Exemplum alterum accedit, quo Deum inveſtigabilem ſimul, & inveſtigandum eſſe declaratur.

En aliud accedat exemplum, quod mirificè confert, ut intelligamus, quo pacto Deus, dùm nos infinitè latet, aliquo tamen modo innoteſcat, & inveſtigari ratione poſſit. Eſto ingentiſſimus globus, qui in ampliſſima ętheris Regione ſeſe in orbem perpetuò torqueat, qui tantùm in aliqua minima ſui parte extrorſum lucem, quam in ſuis interioribus uberrimè continet, evibret, atque emittat, ut in ſui longè majori parte lux intùs deliteſcens, foras non emergat. Quin etiam animo fingamus alterius corporis cæleſtis lumen nullum occurrere, quod externam noſtri globi ſuperficiem irradiet, & illuſtret. Jam oculus aciem ſurſum in firmamenti faciem intendens, videret globum in minima ejus ſphæricæ ſuperficiei parte; globus nimirum oculo manifeſtaretur ex ea tantum parte, ubi pullulat, ac foras emergit lux, cum tamen in cæteris ſuis partibus oculum effugeret, ac lateret. Hinc eodem tempore, quo oculis ſe exhiberet globus vaſtiſſima caligine, ſummeque denſis tenebris refertus, in maxima ſui parte abſconditus, ac penè integer obvelatus eſſet.

His exemplis, & ſi pingui minerva in medium adductis, non parùm adjuvatur imbecillis noſtra Intelligentia, ut interminatam noctem, quæ

quæ Divinam Naturam insuperabiliter caligine foris quaquaversùm ambit, dum graciliſſimus quidam, ſummèque tenuis ejus perfectionis radius nobis affulget, planius percipiat, atque deindè intelligat, Deum inveſtigabilem juxtà, & ratione inquirendum, apertum, & obvelatum, radiantem, & caliginoſum eſſe. Proſunt etiàm hujuſmodi exempla, ut fidei, & Rationis Indolem, ac diſcrimina expeditius intelligamus, quæ tandem nos admonere videntur humanum Intellectum potius intelligere quid non ſit Deus, quàm quid revera ſit. Etenim ex ea parte, qua immensùm tenebræ ſpatiantur, tantùm intelligimus Deum imperfectionem omnem penitus a ſe rejicere, quapropter tantùm innoteſcit, quid non ſit; ex ea verò parte, quæ ſanè minima eſt, ubi Deus irradians rationi ſe revelare gaudet, quid ſit etiam ſplendidiſſimè manifeſtatur. Idcircò cum Deus ſit infinitè tenebroſus, cùm illius perfectio, quæ nos latet, terminos nullos patiatur, tantum verò luminoſus modo finito, ac limitato, infertur nos magis intelligere Deum per attributa, ut cum ſcholis loquar, negativa quàm poſitiva, remotione nimirum imperfectionum, qua, quid non ſit Deus tantum innoteſcit.

Fidei, ac Rationis diſcrimen facilè ex jam expoſitis rebus colligitur.

Quapropter ſtatuimus, quod licet Deus ſit infinitè ſuprà hominis naturam interminatæ ac ſummæ perfectionis excellentià, attamen inveſtigandus eſt, & inquirendus ex ea parte, qua rationi affulget; Tantum enim prohibemur, Deum requirere, ubi caligine refertus obductus eſt; quod ſi fidei lumine affulſerit, tunc quæ nobis proponit, firmiſſimo aſſenſu veluti velatis luminibus adoret Animus, ut non audeat inveſtigare Ratio. Nam ſtultum ac turpiter audax eſt, ratione duce, ea requirere, quæ noſtræ intelligentiæ minimè congruunt, ut videre velimus, quò videntis rationis radius non pertingit, ſed inevitabilis inſcitiæ tenebræ ſeſe explicare incipiunt: irritus namque omnis noſter conatus, vanuſque labor eſt, & cum ſuprà nos aſſurgere temerè contendimus, illicò ad nos præcipites ruentes in fædiſſimos errores turpiter illabimur. Hoc pacto ſuprà humanum intellectum quam plura Religionis myſteria dicuntur, quæ haud intelligenda, ſed credenda tantum proponuntur; nam cum in Rationis lumine, nempè in primævis creatæ mentis notionibus nullo modo eluceant, ſequitur omninò humanam latere Rationem, quæ aut primas, & innatas veritates modo ſupra expoſito contemplatur, aut ex ipſis tanquam ex totius humanæ ſapientiæ ſemine quidquid intelligit, auxiliante ratiocinio deducit. Quapropter non temerarium tantùm, verùm & ſtultum eſt inveſtigare velle, quæ non ut inveſtigentur, ſed ut ſubmiſſo animo credantur, divinitus nobis exhibentur. Audi Auguſtinum, *C. VIII. Ser. XXII. Si Inſcrutabilia Scrutari veniſti, & inveſtigabilia inveſtigare crede, jam periiſti: Tale eſt velle Scrutari inſcrutabilia, & inveſtigabilia inveſtigare, quale eſt inviſibilia videre, & ineffabilia fari.*

Etſi Deus nos infinitè exſuperat, attamen inquirendus eſt & inveſtigandus.

Nihil ſtultius, quam intelligere velle ea, quæ captum noſtrum exſuperant.

Idcircò qui inveſtigabilia credit, ut inveſtigare non audeat, hìc verè credendo intelligit; Intelligit namque haud inveſtiganda, ſed fide tenenda tantum eſſe, quæ ſub humanam inveſtigationem non cadunt. Utinam hoc ſalutare ſummèque inſigne documentum humana ſapientia religioſiſſimè amplecteretur; Sanè tot hæreſum, atque ſchiſmatum monſtra Religionem neutiquam everterent, ac perturbarent. Etenim

Ratio præcipit inveſtigabilia credenda haud inveſtiganda eſſe.

non

non ob aliam rationem tot errores cultum, ac Theologiam summoperè fœdarunt, nisi quia humana Ratio suorum confinium impatiens suprà suas vires audacter assurgere ausa, investigabilia fidei arcana perscrutari enititur. Quid enim arrogantius, atque à ratione alienius, quàm velle investigare, quo pacto Fidei mysteria citrà pugnam invicem copulentur, aut, dum rationem exsuperant, rationi non adversentur? Ut enim haud Andabatarum more, veluti defuncta ratione cæcutientes, sed intelligentiæ oculis videntes, ut rationalem naturam addecet, credamus, satis est intelligere, non invicem luctari, & pugnare, sed mutuò connecti, & exosculari, quæ eadem supremi Numinis veracitas Fidei, & Rationis voce hominibus manifestavit. Etenim cum credere nihil aliud sit, quàm Deo per interiorem fidei illustrationem loquenti assentiri, intelligere verò constantissimo Dei Testimonio in evidentiæ fulgore exscripto suffragari; apertissimè liquet verè nos intelligere, cum credimus. Intelligimus nempè ob summam, & immutabilem Dei dicentis veracitatem, fidem cum ratione perfectissimè congruere; quamvis quo pacto hujusmodi concordia atque consonantia fiat, imbecillis Ratio pervestigare nullo modo valeat.

Fides, & ratio Dei Testimonio diversimodè nobis proposito innituntur.

Supereſt ut exploremus, an ea, quæ suprà sensus sunt, requirere liceat. Etenim non desunt, qui censeant humanam intelligentiam ea superare, quæ sensus exsuperant, ut nisi res sint juxtà sensum, sensui videlicet manifestæ, à nuda, & simplici intelligendi facultate *minimè* percipi, & investigari valeant. Quamobrem existimant, non congruere captui nostro, quæ à sensuum dominio ac judicio abhorrent, ut idem sit rem sensilem non esse, ac non esse intelligibilem. Quidquid igitur juxta horum hominum mentem sensilem aliquam affectionem non redolet, prorsus investigabile est, cum illius nullam veram, & claram cognitionem habeamus. Temerarium autem, ac stultum est, ea perscrutari, quorum aut nullam, aut confusam & obscuram tantum notionem habemus. Hinc quidam celeberrimus corpuscularis Philosophiæ sectator memoriæ occurrit, qui adeò tenaciter sensuum auctoritati *obstrictus* erat, ut nisi aliquid sensibus subjaceret, aut nihil, aut penitus à Philosophorum investigatione alienum esse censeret. Quapropter localem motum, quo nihil sensibus, ac phantasiæ manifestius, in tanto pretio habebat, ut dicere soleret, se tantum localem motum intelligere: Da mihi (ajebat) motum, & philosophabor, motum deme, naturam pariter, & intellectum auferes. Attamen quantum hæc opinio à veritate deflectat, atque sit rationi apertissimè dissentanea, infrà invicto sanè ratiocinio ex Augustini præsertim doctrina de prompto demonstrabimus. Etenim ostendemus innumera, clara, & distincta notione humanam mentem intelligere, quæ sensuum & phantasiæ aciem prorsus effugiunt.

Sunt qui putant investigandum haud esse quod sensuum potestatem exsuperat.

Plura percipit intellectus, quæ sensibus nullo modo subjacent.

Deindè admonemus, nos nullo pacto suprà nos esse. Qui fallacissima sensuum auctoritate de rebus judicium ferre assuescunt, sibi nullo negotio persuadent, se tantum intelligere ut corpore constantes, non autem quatenus immortali, ac rationali spiritu pollent; corpus verè se intelligere, animam se ignorare putant; hinc substantiam spiritalem sempiternam a corporis spatiis abhorrentem in homine, præter crassum, ac subtile corpus, efflorescere, fide haud ratione se animo assequi arbi-

Sunt qui perperam censeant nos suprà nos esse s. Animum à corpore sejunctum spectemus.

tran-

trantur, ut credere, neutiquàm animam intelligere censeant, idcircò ajunt: nisi fides doceret, ignoraremus, an præter corpus, substantia inextensa, & immortalis à corporum tumore aliena in homine vigeat.

Hęc tamen opinio ortum ducit à corrupta, & prava consuetudine de corporeis rebus judicandi. Etenim, cum spiritalis, atque incorporea substantia sub sensus non cadat, ideò putant, hanc nostrum intellectum pariter latere, ut nihil intellectui pateat, nisi quod sensibus innotescit, quasi intellectus à sensibus penderet, & ab illorum evidentia suam vim, ac potestatem emendicaret. At proh Deum, quàm immaniter falluntur? est quidem Animus noster suprà sensum, non autem suprà se ipsum; sensum quidem non se ipsum effugit, haud animus animum latet, cum nihil animo se ipso notius sit præsentius, ac manifestius.

Animus, & si sensus latet, sibi ipse tamen innotescit.

Quid enim incongruum magis, magisque inconveniens, atque à sapientissimo Naturę genio magis dissentaneum, quàm animum extranea corpora percipere posse, animo nos elementarem, aut cælestem substantiam intelligere, infinitas numerorum series, & innumeras figurarum proprietates investigare, & detegere posse; se ipsum tamen animum ignorare, se ipsum effugere, ac latere? Quid quæsò in hac rerum universitate absurdius, monstrosius quàm id ignorare, quo cætera intelligimus? Etenim, si Animus potens ac capax est corpus agnoscere, quod alterius naturę profectò est, ab animi substantia alienum, ut extranenm veluti cum sui natura pugnans perscrutari, & introspicere valeat; potioti jure se ipsum, cui summoperè congruit, intelligere aptas erit animus, cum facilius, minusque laborioſum sit animo, se ipsum, quam extraneas naturas à sui substantia alienas, & extrà se positas requirere, & intelligere. En quo pacto, quod docemus, roborat, ac firmat Augustinus Lib. de Spiritu, & Anima Capite, primo. *Non est res peregrina, nec longe quærenda ù nobis, animus est, quo ista sapimus. Sed est semper nobiscum, adest, tractat, loquitur, & intùs versatur. Datum est illi tam ingentium rerum secreta scire, & se ipsum cognoscere non posse? Paucis siquidem licet ipso animo animum cernere, ideſt ut ipse animus se videat. Fieri autem non potest quadam divina providentia, ut inveniendi facultas desit religiosis animis se ipsos, & Deum suum piè, castè, ac diligenter quærentibus.*

Nequit mens se ipsam ignorare, si res à suæ natura scientus intelligit.

Nihil animo facilius, quam se ipsum intelligere.

Tandem admonemus, ne res à sua natura alienas inquirens Animus, quid ipse sit, inquirere negligat. Hoc salutare documentum solidè, & ingeniosè Augustinus nobis tradit Lib. IV. de Trinitate, in quo scientiam sui ipsius singulis doctrinis, ac facultatibus, summoperè præferendam esse docet. *Scientiam (inquit) terrestrium Cælestiumque rerum æstimare solet Genus humanum, in quo profectò meliores sunt, qui hanc scientiæ præponunt, Nosse semetipsos; laudabiliorque est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quàm qui, ea non respecta, vias syderum scrutatur etiam cognituras, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse, qua via ingrediatur ad salutem, ac firmitatem suam.*

Nihil, magis Animo conferr, quàm, extraneis rebus posthabitis, se ipsum primò diligenter inquirere.

Quid enim insanius, ac dementius, quàm humanum animum se ipsum relinquere, a se ipso discedere, ut quæ ipsi extranea sunt, quæ ad

ſui natura perficiendam, aut intimius inſpiciendam nullo modo ſpectant, cognitione tantùm complecti? Quod ſanè apud homines frequentiſſimum eſt, qui, hominis ſcientia, & ſedula inveſtigatione poſt habita, ſe ipſos, veluti à ſe ipſis avocantes, tantùm quæ ad homines minimè pertinent, mentis cogitata convertunt; quapropter ex propria quodammodò natura emigrantes, aut inter matheſis cultores ſydera, numeros, figuras, ſonum, pondera, vires, motum diligenter ad menſuram revocant, aut docto, & ingenioſo Chymiſtarum igne manuducti, mineralium ac vegetantium viſcera agitant animo; aut ipſa etiam in Theologorum gymnaſis inacceſſæ Divinitatis arcana, imbecillis rationis uſu perſcrutari, & cogitatione percurrere non verentur.

Summa fatuitas ſe ipſos relinquere, & alienæ perſcrutari.

Hæc autem criminoſa ſummèque deteſtanda negligentia, qua homines ſe ipſos inquirere, minimè curant, ſed potiùs res à ſua natura alienas, ac diverſas meditari, ac perveſtigare gaudent, primò ex admirandarum rerum, ac novitatis amore, qui vehementer in hominum corde flagrat, promanaſſe videtur. Etenim cùm homines ſibi ipſis ſint nimia familiaritate, ac quadam neceſſitudine devincti, & obſtricti, ideò nullo labore ſe ipſos deſerunt, & contemnunt, cùm nihil aut parùm intelligendo profeciſſe putent, ſi in propria natura inveſtiganda tempus abſumatur; quod enim obvium, ac veluti ante oculos nobis eſt, haud remotum, ac rarum, pro nihilo reputari ſolet. Nam cum prorſus illimitatus ſciendi quidam in nobis exardeſcat appetitus, ut ad ſummum, & interminatum Verum velis, remiſque contendamus; oritur ut quæ nobis familiaria ſunt, parvi pendamus, ac tantùm quæ nova, & mirabilia utpotè nos magis ad infinitum Verum conducentia, in pretio habeamus. Ex quo etiam originem trahit quorumdam Pſeudo litteratorum delirium, qui tantum cuidam ſimulatæ, ac larvatæ ſapientiæ operam dantes, ea ſtudia, eaſque exercitationes eligere ſtudent, quæ à vulgari captu, & populorum intelligentia maximoperè diſtant. Etenim non quod ratione dictante inquirendum eſt, & rationalem ſubſtantiam decet, ſed quod vulgus latet, ſcholas effugit, ſedulò, & accuratè quærunt.

Cur homines parùm ſe ſe inveſtigare curent, aperitur.

Cum autem homines tàm turpiter a ſe ipſis recedentes, atque ad res a ſua natura alienas converſos intueor, duo invicem in homine pugnantia, ſibique mutuò adverſantia elucere animadverto; ſummus nempè ſui ipſius agnoſcendi amor, & appetitus, & acerbum odium, quo à ſua natura detegenda, & inſpicienda removetur, ut nos unà intelligere, & ignorare, noti ſimul, & ignoti nobis eſſe velimus. Vellet quidem homo ad felicitatem tendens, ſe omni perfectionum genere exornatum contemplari, ac ſcire, quod verò deficit, ignorare. Idcircò cum homo ad ſe ipſum rediens, atque in ſui penetralia animum convertens ſe intùs videt, tam invalidum, tam imbecillem, ſibique minimè ſufficientem, immanis ignorantiæ tenebris circumfuſum, ac ſuapte natura miſerum intuetur, ut animo nihil magis terribile, magiſque horridum, quàm ſe in ſe proſpectare, præſertim cum Spiritus Sancti donis denudatus, illius vita quæ Deus eſt, recedente; emortuus quodammodò jacet, quapropter adeo ſecum commorari refugit, ut nihil ei gratum magis, ac jucundum, quàm ſui ipſius obliviſci, a ſe ipſo diſcedere,

Duo in homine invicem pugnare videntur, ſui ipſius nempè ſcientiæ amor, & odium.

Nihil corruptis hominibus jucundius, quàm a ſe ipſis diſcedere, ſolaſque extrameas res animo revolvere.

dere, extrà se ipsum cum extraneis rebus commercium inire. Nihil enim homini acerbius, atque durius, quàm se in se colligere, in sua penitiora secedere, atque à corporum glutine, & vinculo se ipsum liberare; ex quo tot ludorum genera, tot ludrica exercitamenta, spectacula, theatra originem traxerunt, quorum auxilio adeò externa corpora lascivientes sensus pertrahunt, oblectant, effascinant, ut animus in sensuum ministerio occupatus a se ipso deficiens, veluti totus in sinum corporum effundatur, ac in sensibus contractus, sui ipsius penitùs obliviscatur. Idcircò tempus festivè, ac lætè conterere, otio indulgere, vires ludo recreare, idem sonat, ac sui ipsius memoriam amittere, atque deponere, animum sui ipsius obliviscì, & cum extraneis rebus tantùm convivere.

Vndè potissimum tot ludorum generator tum duxerint, exponitur.

Idcircò, cum primæ sapientiæ gradus sit, stultitia caruisse, (nemo autem stultitiam a se abjiciat, nisi in se ipsum seriò recedens, suos errores correxerit, suamque detexerit infirmitatem) in aperto est pauciſſimos, aut nullos ad legitimæ sapientiæ gradum assequendum præparatos esse cùm major hominum pars nihil tàm operosum, tàm arduum, tàm difficile offendat, quàm animo à corporum, extranearumque naturarum consideratione avocato, ad se ipsos revertere, secum fixa, ac constanti quadam meditatione commorari. Quamobrem cùm se ipsos intus inspicere multum respuant, & alia ex parte scientiarum, doctrinarumque amore mirum in modum rapiantur, exorta est, immanis illa humanæ eruditionis suppellex, indigestaque moles, qua hominis non se ipsos, aut quid ipsi cogitant, sed propriæ rationis usu posthabito, quod alii homines excogitarunt, atque tot artium inventione in medium adduxerunt, se ipsos deferentes cogitatione tantum revoluere gaudeant. Quemadmodùm ex eodem fonte communis ille error defluxit, quo sinceræ Philosophiæ, ac germanæ sapientiæ studium vulgò non universi humani generis exercitamentum, sed peculiarem quamdam quorumdam hominum, qui Philosophi nuncupantur, artem esse censeant, eo modo quo Musica, Ars saltandi, aut Rethorica se habet; quasi ad solos, & paucos homines, qui in lyceis Philosophorum togam induunt, non autem ad singulos homines sapientiam exercere, rationem nempè, & mores excolere, se ipsos, atque in se ipsis Deum diligenter inquirere, spectaret. Non enim unius, aut paucorum, sed omnium hominum ars, & exercitatio Sapientia est, nempè sui ipsius, suique Auctoris accurata investigatio, a qua nemo citra rationis, & humanæ dignitatis injuriam profectò recedere potest.

Nemo ad sapientiæ studium disponitur nisi a sui ipsius inquisitione exordium capiat.

Ex hoc tandem, quod homines se ipsos investigare, ac secum commorari tantum execrentur, cum pariter se intelligere, & nosse cupiant; factum est, ut sæpè se extra se quærentes, aut se veluti in limine, non verò in penetralibus perscrutantes, germanam, ac legitimam methodum se ipsos inquirendi turpiter ignorarint, quæ docet animum solo animo, & in animo tantum investigari, & inveniri posse. Cujus methodi defectu se ipsos deformarunt, atque cogitatione in monstra, & chimæras quodammodò transmutarunt; cum aut se nimiùm extollentes divina naturà constare existimarunt, undè, idololatria orta est, aut se plus æquo deprimentes cum brutis, & infimioribus corporibus rationalem, ac spiritalẽ animum

mum immiſcuerunt, ex quo impius Epicureiſmus ortum duxit; quapropter homines ſe ipſos deſerentes, & in extraneis naturis ſe tantummodo inquirentes, Animum humanum, aut Deum aut Beſtiam perperam effecerunt.

Primò Homo, quid ipſe ſit ſedulò perveſtiges.

Inquirat igitur primùm homo, quid ipſe ſit, ut quid cætera a ſua natura diverſa ſint, quam expeditiſſimè intelligat. Nam quo pacto cætera ſciet, ſi neſcit ſe ipſum, quo cætera intelligit? Quemadmodum qua ratione certam, & evidentem notitiam rerum poſſidebit, ni primò ſe ipſum diligentiſſimè conſulens, in mentis penitioribus exſcriptas inſpiciat primævas judicandi regulas, quæ in rationis ſecretis tanquàm humanæ ſapientiæ ſemina deliteſcunt? Dum ſe ipſum homo ſolerter inveſtigat, confeſtim ſubſtantiam infinitam à limitata, animum à corpore, ſpiritus attributa à carnis affectionibus perfectè ſecernit; ex quo accurato rerum diſcrimine humanæ ſcientiæ certitudo initium capit. Præterea cum animus ſe ipſum ingrediens, ſe in ſe videt, ſuum Exemplar, cujus imitamentum eſt, illicò videt; quo perſpecto, inſigniora procul dubio rudimenta Naturæ intuetur, quæ expreſſio atque veſtigium Exemplaris eſt. Deindè dum ſe intus intuetur, quantum à Vero, & Bono deficiat, facilè percipiet; nimirum intellectus morbos, quibus avertimur à Vero, voluntatis vitia quibus à Bono deflectimus, nullo labore detegit; quo perſpecto, ad opportuna atque ſalubria perquirenda remedia ſummoperè invitamur, ut Deo tandem reconciliemur, atque ad æternam vitam obtinendam piè, ac religiosè præparemur.

Dum Animus ſe in ſe videt, Deum & ſingula naturæ rudimenta intuetur.

Homo ſe ipſum accuratè inveſtigans, moralis ſcientiæ inſigniora fundamenta nullo labore detegit.

Quapropter ne tempus in vanis, atque inanibus rebus requirendis turpiter conterere videamur, ac pariter ſalutares, maturas, & dignas homine notitias & occupationes à noxiis, futilibus, atque ſuperfluis nullo negotio ſecernamus, quatuor facultatum, ac diſciplinarum genera diſtinguimus, quæ neceſſarias, utiles, ſuperfluas, atque noxias doctrinas complectuntur. Doctrinæ neceſſariæ dicuntur, quæ ad humanam naturam perficiendam, noſtramque beatitatem comparantur; quarum prima & inſigniſſima eſt ſui ipſius ſcientia, à qua nemo citrà culpam, rationiſque injuriam ſe liberare poteſt, quæ veluti fons, & origo eſt, ex qua tres præſtantiſſimæ facultates ſumma magnificentiâ emergunt, & primò enaſcitur ſcientia de Deo in rationis lumine viſo, cujus notio, & anticipatio in quavis noſtra cogitatione delineata continetur; in quam dum intendit animus, ſuæ ignorantiæ caligine diſſipata, illuſtratur, purgatur, roboratur, atque ad intimius, & clarius ſe ipſum proſpectandum ſummoperè præparatur.

Quatuor diſciplinarũ genera diſtinguimus, neceſſarias nempe utiles ſupervacaneas, & noxias.

Quænam ſint neceſſariæ facultates aperitur.

Deindè nullo labore in lucem prodit Dialectica, quæ non garrula, & loquax quædam ars eſt, ad ſophiſmata pertexenda, verborumque portenda evomenda comparata; ſed facultas quædam verum à falſo ſecernendi, ſeù congeries quædam ex inconcuſſis regulis compacta, quarum ope noſtra mens mendacium, præcepſque judicium vitare, obſcuritatem, atque confuſionem dum percipit, declinare valeat; quod ut obtineatur, non requiritur barbarum, ac informe illud aliquorum ſophiſtarum idioma, quo garrire ac verboſa quadam ſubtilitate nugiſque ludere, aut alios fallere diſcimus, ad extinguendum potius quàm fovendum tenuiſſimum humanæ rationis radium comparatum; ſed ſatis eſt ſi nobiſcum commorantes attentè expendamus cur, vel ſemel in errorem illapſi

Quo pacto legitima, ac ſalutaris Dialectica à ſpuria, & noxia ſecernatur.

Modus exponitur, quo unuſquiſque in ſuas cogitationes intẽdens, inſigniores ſincere Dialecticæ regulas reperire valeat.

illapsi sumus, aut in verum, maturumque judicium aliquandò incidimus; quo diligenter expenso, & ad severi examinis trutinam avocato, duo inconcussa præcepta illicò ex animo quodammodò erumpunt, quorum auxilio & falsum vitare, & verum evelare possimus, quæ veluti basis sunt, cui sanioris purioriſque Dialecticæ vis firmissimè innititur. Tandem regula quædam firmissima sese offert legitimum bonum à spurio secernendi, quæ Moralis facultatis solidissima basis est, cui potissimum incumbit, hominis actiones ad summum, & verum Bonum tanquam ad ultimum finem, dirigere, ut indè animi pax, ac tranquillitas oriatur.

Ex sui ipsius investigatione facilè verum à Falso, Bonum à malo secernuntur.

Attamen cum homo, neque solus animus, nequè solum corpus, sed animus corpori conjunctus sit, non tantum indolem animi, verum etiam corporis temperiem, atque structuram, quantum vires suppetunt, investigare, sibique aperire tenetur; quapropter diligenter expendat ea, quæ ad corporis economiam, atque congruum statum tuendum, ac fovendum expeditius manuducunt, ut in corpore sano sana mens eluceat atque ex utriusque partis concordia, & harmonia felicitas hominis proficiscatur. Idcirco Medicinæ facultas pro viribus excolenda est; nempè unusquisque ex iis, quæ quotidie suo corpori nocere aut prodesse experitur, ad sui sanitatem tuendam, suam veluti peculiarem medendi theoriam excogitet, atque firmet, qua quid respuendum, quid amplectendum sit, statim intelligat, atque facilè vitare valeat fraudolentam vulgaris medicinæ insciticiam, haud ad humani generis incolumitatem servandam, sed potiùs oppugnandam, atque impunè evertendam maximoperè comparatam.

Non tantum Animi, verum etiam sui corporis affectiones atque indolem inquirere tenetur homo.

Post necessarias doctrinas, utiles succedunt facultates, quæ quamvis extrà culpam, & ingeniti luminis injuriam omitti, & ignorari possint, attamen vehementer conferunt, ut facilius atque promptius necessariæ disciplinæ ad usum revocentur, nempè ut homo se ipsum auctoremque suum pervestiget, rationem excolat, moresque perficiat. Inter tamen utiliores disciplinas præsertim Arithmetica, & Geometria enumerantur; quæ cum circa constantissimas, ac immutabiles veritates, quæ ad numerorum, figurarumque naturam, & affectiones spectant, occupentur; verè ad Animi fundum, interioremque partem referri videntur; numerorum enim, & figurarum doctrina quodammodo in penitioribus animi, ubi sempiternæ quædam veritates à solertissima Naturæ manu exscriptæ ac delineatæ effulgent, reposita obliteſcit: cum animo namque nascuntur Matheseos rudimenta, ac primordia, quæ in ingenitis ideis, & anticipatis humanæ mentis notionibus continentur. Ex quo manifestum est, animum investigare, in penitiora animi intelligentiæ aciem dirigere eos, qui Arithmeticæ, ac Geometriæ elementa, atque theorias accuratè rimantur, cum verus numerus, absolutissime, & perfectæ figuræ haud in corporibus, sed in animo tantum eniteant, ac commorentur.

Inter utiliores disciplinas Geometria, & Arithmetica præsertim enumerantur.

Deindè, cum ad seipsum investigandum, rationem, atque mores perficiendos, quædam attentissima animi perceptio requiratur, qua animus se ab extraneis rebus abducens in se redeat, secumque commoretur; sequitur multùm nobis Mathesim prodesse, quæ summoperè, numerorum, ac figurarum virtute, attentionem nobis conciliat, animum à sensilium

Matheseos studium mirificè prodest, ut Animus ad se ipsum inquirendum præparetur.

ſilium corporum conſuetudine avocat, ad ſolum Verum venandum, ac mendoſam opinionem execrandam mirum in modum præparat, ac diſponit.

Diſciplinæ Phiſico mathematicæ ex Arithmetica, & Geometria ſenſilium rerum attributis accommodatis ortum ducunt.

Ex Arithmetica autem, & Geometria, numerorum videlicet, ac figurarum doctrina, ſenſilium rerum attributis accommodata, in lucem prodeunt diſciplinæ, quæ Phiſico-- mathematicæ vulgò nuncupantur, quarum vi animus veluti corpori immiſcetur, intelligentiæ ſenſus conjungitur; Etenim puriſſimos numeros, & perfectas figuras, quæ incorpoream animi naturam redolent, cum corporum affectionibus quæ extrà animum enitent, hujuſmodi diſciplinæ connectunt, & admiſcent. Hinc intelligibilem numerum cum ſenſili ſono conjungunt, & procreant muſicam; aut corporis vires, ac pondera cum figurarum proprietatibus adnectunt, & emergunt ſtatica, & mechanica.

Quamobrem cum facultates Phiſico-- mathematicæ ab utiliſſimis diſciplinis, Geometria nimirum, & Arithmetica originem trahant, in noſtram profectò utilitatem cedunt; nam & ſi ad animum excolendum potiſſimum non comparantur, attamen humani generis commodum, vitamque civilem ſuprà modum juvant, ac promovent. Quidquid utilitatis Reipublicæ attulerint artes, ex Phiſico-- mathematicis facultatibus effluxit, quæ tot machinas, totque inventa in ſocietatis Bonum, ac felicitatem nobis dederunt.

Diligenter cavendum, ne immoderatum Matheſeos ſtudium Animũ ab utiliorum artium exercitamento removeat.

Attamen diligenter providendum eſt, ne immoderatum Matheſeos ſtudium impedimento nobis potius, quam auxilio ſit, etenim quantùm, ſi rectè ac temperatè eo utamur, animum ad ſapientiæ apicem pertingendo juvat; tantùm, dum illo abutimur nocet. Nam quidam Mathematici etiam magni nominis florent, qui dum intricatiora, magiſque nodoſa problemata prorsùs ab uſu remota, vigiliis, & operoſiſſimis calculis impalleſcentes, ad alios potiſſimùm Geometriæ cultores laceſſendos, & vexandos contexunt, aut ipſi ſolvere, & extricare enituntur; adeò intelligentiam defatigant, ut Animus quodammodò enervatus, & elumbatus, ineptus, atque invalidus ad ſeveriora ſtudia proſequenda, & exercenda infeliciter evadat, ac veluti totus in geometricis figuris, ac laborioſa Algebriſtarum ſupputatione immerſus, & occupatus, neque ſeipſum, neque excelſiores veritates inſpicere, & perſcrutari maſculè, & ſolidè valeat. Hinc nihil ſtultius, nihil ineptius infeliciſſima illorum occupatione, qui uſum vitæ, & neceſſarias diſciplinas contemnentes, ſuæque felicitati minimè conſulentes, animi cogitata perpetuò torquent, corporiſque vires labefactant, ut inutiles, ac valdè ſpinoſas quæſtiones Analyticæ artis adjumento, cum temporis jactura ſolvant.

Phiſicæ facultatis exercitatio vehementer confert, ut homo ſe ipſum, ac Deum planius intelligat.

Utilis diſciplinæ nomen lubenti animo Phiſicæ facultati tribuerem, ſi hæc cautè, & providè pertractetur; Etenim cum Mundus corporeus, cujus illa inveſtigatrix eſt, totus quodammodò contrahatur, & in epitomen redigatur in humano corpore, quod meritò paruus mundus nuncupatur; ſequitur Phiſicam artem mirificè prodeſſe, ut Macrocoſmi, nempè mundi magniſtructura, vi, partiumque concordia, & harmonia planè perſpectis, noſtri corporis fabrica, & economia expeditius inveſtigentur. Prætereà creatus intellectus, dum ſpectabilem Univerſum ſedulò contemplatur, ſummam Supremi Conditoris ſapientiam, virtutem, atque exiſtentiam clariùs intelligit, cum corporeus mundus, ut

potè

potè Dei vestigium, & imitamentum dici possit Deus adumbratus, ac multifariam, & juxtà plures facies in materia, seù corpore exscriptus. Quidquid autem ad Dei cognitionem recto tramite nos manuducit, summè quidem utile, summèque fructuosum est; quapropter summoperè utilis Phisica facultas erit, cujus ope in rerum visibilium fœcunditate, energia, pulchritudine, bonitate, & congruentia, summi opificis, atque exemplaris indoles, & perfectiones insigniter expressæ prospectantur; ut nemo naturam intus inspiciat, & Universi penetralia perscrutetur, quin illicò suum Auctorem singulas res procreantem & moderantem intueatur. Quapropter, qui dum visibilem mundum contemplatur, Deum in eo expressum non videt, hic profectò cæcutiens Universum ignorat; non videt, sed deceptus videre, & intelligere putat, aut non quod factum est, sed tantum, quod ipse temerè effinxit, animo intuetur.

Ut tandem Phisica facultas in humanam utilitatem cedat, primum eam præcedant severissima hominis investigatio, atque genuinæ Dialecticæ canones, ne præcipiti judicio de externorum corporum natura ratiocinemur; nam hominis scientiâ, & excolendæ rationis arte posthabitis, Philosophus Verum cum Falso, exemplar cum vestigio, Spiritum cum corpore facilè confundens haud verum, & sincerum sed imaginarium, & monstrosum Universum pro arbitratu, cogitatione revolvet. Hinc homines Physicam artem necessariis facultatibus præponentes, in naturalium rerum causis detegendis minimè profecerunt, sed invicem implacabili contentione pugnantes, in plures abiere sectas, atque innumera systemata sibi adversantia, nugis, rixisque plena, à sapientissimo Naturæ genio aliena excogitarunt; nam dum se ipsos ignorant, & cætera a se ipsis remota ignorare, & cogitando pervertere oportuit.

Qui se ipsos ignorant, & universam naturam ignorare necesse est.

Deindè antè Phisicæ studium Arithmetica, & Geometria præluceant, tanquam oculatissimi delitescentis Naturæ exploratores. Nam cum Mundus corporeus nùmerus quidam partium æqualitate, proportione, & convenientia, ad Unitatem incessanter tendens sit, in quo tendendi modo integra mundi pulchritudo sita est, idemque geometricis figuris ampliſſimè à natura quaquàversum affectus, & designatus, planissimè liquet, quòd nisi primò numerorum, ac figurarum doctrina affulserit animo, irrito conatu mundi primordia, ac latentia elementa explorare tentabimus. Hinc ad modùm veterum sapientum consuetudo approbanda est, qui adolescentes Mathesis rudimentis haùd imbutos à Philosophiæ sacrario arcebant. Demum ut ex naturalis scientiæ studio uberrimus fructus colligatur, adeò primæ, & ingenitæ veritates nostra ratiocinia præire debent, ut tantùm in Phisicis dissertationibus amplectantur ea, quæ illis congruunt, aut necessariò ex illis erumpunt, ut assensus non emergat, nisi primò evidentia manum præstet; quod si hæc non eniteat, sed tantùm quædam veritatis imago animo sese offerat, tunc probabilitati sanè non acquiescamus. Nihil enim audax magis, magisque stultum, quam opinari, nempè sistere, ulteriùs non progredi, in fucata quadam, & umbratica veritate acquiescere, cum adhùc dubitandum est, atque in præceps judicium irruendi periculum imminet. Quapropter cum sola verisimilitudo adest, quid res sit nullo modo pronunciemus, tantùm, quid possit esse, aut quid nobis videatur, citrà temeritatem affirmemus.

Qui figuras, ac numeros ignorant, & naturam nescire oportet.

Firmissimum Rationis lumen, haud opinio philosophicum judicium præcedat.

Super-

Supervacaneas artes appellamus, quæ parùm, aut nihil ad Animum excolendum, ac beandum conferunt,

Supervacaneas autem artes appellamus eas, quæ parùm aut nihil ad animum excolendum atque ſerenandum conferunt, quæ nimirùm hominis beatitatem, vitæque uſum neutiquam reſpiciunt, ſed potiùs hominem à ſe ipſo abducentes ad extraneas, & nullius momenti res contemplandas pertrahunt. Cujuſmodi ſe habent aliquorum pſeudo litteratorum ſtudia, & exercitamenta, qui ſe ipſis poſthabitis, atque neceſſariis facultatibus contemptis, aut veterum Romanorum pilea, aut Carthaginenſium calceamenta, aut vetuſtæ Græciæ habitus, lucernas, funera, ſepulchra, & arma ſummo labore, ſummaque diligentia ad noſtræ ætatis memoriam revocare, atque perſpicere ſtudent, ut ſummoperè incumbant in explorandis, atque detegendis priſcæ ætatis moribus, legibus, & conſuetudinibus, inter quos viciſſe, ac triumphum deportaſſe videtur, qui antiquorum monumentorum teſtimonio, quo pacto Rex Macedoniæ Alexander induebatur, aut quibus armis muniebatur Xerſes, aut quo bellicorum inſtrumentorum genere pugnabat Annibal, jam deprehendiſſe jactitat. Hinc ſuarum Regionum geographicam deſcriptionem, propriæ domus economiam, Patriæ leges, & ſtatuta, ſuæ familiæ originem ſæpè prorsùs ignorantes, tantùm vetera, remota, & quæ ætatem noſtram effugiunt, attentè, diligenterque inquirunt, atque dum abſoleta, antiquata, ac longinqua tantùm perſcrutantur, ſe ipſos deſerunt, nec mirantur. Attamen non inficiamur utile, ac laudabile antiquitatum, priſcorumque morum ſtudium eſſe, ſi ad hiſtoriam cùm ſacram, tùm prophanam, qua humana vita gubernatur, perficiendam referatur, aut ſi ſubciſivis horis poſt neceſſaria, ac ſalubriora exercitamenta, ut animus recreetur, & majores vires ad Sapientiam excolendam reſumat, veluti per tranſennam exerceatur.

Supervacaneum etiam immodicum linguarum uſum exiſtimamus; nàm quid inutilius atque inanius, quàm breviſſimum vitæ curriculum ferè totum abſumere in tot diverſorum idiomatum inſuetis vocibus addiſcendis? Ut præcipuum aliquorum ſtudium non ſit res callere, verum evelare, ſed memoriæ facultatem inauditis vocabulis, ac extraneis: barbariſque nominibus opprimere, & onerare; non enim ſapientiæ, ſed inani loquacitati, non rebus, ſed vacuis vocum rumoribus ſtudent. Quapropeer ſummoperè deteſtandi ſunt, qui Hæbraicis, Caldæis, Aegyptiacis, & Arabicis caracteribus delineandis, nominibuſque memoriter recitandis inceſſanter addicti, popularis gloriæ mancipia, dùm inanis gloriæ fumo enutriuntur, atquè dum ſtupendis inſuetorum caracterum figuris, & indigeſta quadam ac peregrina nominum farragine rudem vulgum effaſcinant pariter, & exterrent, vera ſapientia deſtituti, neceſſaria, & utilia ignorantes, ad ſolam laudis jactationem ſe convertunt.

Reprehenduntur, qui nimium Idiomatum ſtudio ſe obſtringunt.

Deniquè noxias facultates appellamus ſingula ſpuriæ, & laruatæ doctrinæ genera, quæ aut ad errorem fovendum, ac promovendum comparantur, aut per opinionum fraudes incedentes, non verum, ſed veriſimile, non evidens, & certum, ſed probabile tantùm venari gaudent; ut non quid res ſint, ſed quo pacto tantùm ex furentis phantaſiæ arbitrio effingendæ ad aliorum ingenia ſuperanda, & excrucianda ſint, maximoperè ſtudeant. Quapropter noxiarum facultatum aliæ

ſunt

sunt superstitiosæ, aliæ pugnaces, & contentiosæ, aliæ phantasticæ ad veritatem exturbandam natæ, aliæ ad quamdam ingenii luxuriem, & rumorum ventos captandos comparatæ. Noxiæ sanè facultates, singulæ divinatrices artes dicendæ sunt, ut Astrologia judiciaria, Geometria, Chiromantia, Hydromantia, & id genus alia, quæ dùm, & cordis secreta detegere, & ventura vaticinari promittunt, innumera errorum monstra pariunt, humanum quoquè Intellectum turpiter à veritate removent. Atque tandem inter noxias doctrinas profectò enumerari potest quædam mendosæ, ac verbosæ sapientiæ species, quæ dùm nudam veritatem indagare, rationem excolere, naturam pervestigare inaniter autumat, dissidia tantùm, garrulas subtilitates, vocum monstra, ac insanientium hominum figmenta recitat, enucleat, interpretatur; hinc audaci, & immedicabili quadam ignorantia laborans, se jam scire atque sublimiorum scientiarum fastigium attigisse impudenter gloriatur.

Noxiarum facultatum aliæ sunt superstitiosæ, aliæ pugnaces, & contentiosæ aliæ phantasticæ.

Dum hæc autem admonemus, quædam haud contemnenda dubitatio occurrit, An nempè Oratoria ars, & Poeseos studium inter supervacaneas, & noxias, an potius inter utiles facultates adscribi debeant. Circà quam rem apertè fatemur, quod si Rhetoricæ, & Poeseos institutum, metam, ac finem consulamus, maximas utilitates hujusmodi disciplinæ conferunt, atque commoda non pauca invehunt; Si verò pravum, ac corruptum quorumdam Oratorum, & Poetarum usum consideremus, in periculosas, atque noxias artes, nescio quo infelici litterarum fato, hujusmodi facultates turpiter degenerarunt, ut laudabiliter è suis eruditis hortis spurios Rethores, ac Poetas, quemadmodùm, & contentiosos Dialecticos, pacatissimus philosophantis Epicuri genius ablegaverit.

Dubitatio quædam emergit, an Oratoria ars, ac Poeseos studium inter utiles disciplinas enumerari debeant.

Et primò si eloquentiæ institutum, ac scopum attentè investigemus, ex hac facultate maxima emolumenta oriri, quis sanæ mentis inficietur? Etenim Oratoriæ artis præcipuus finis est, Veritati patrocinari, virtutes promovere, vitia profligare, atque oppressæ Innocentiæ ad æqui, & justi normam defensionem recipere. Nàm cùm Homo ut potè politici corporis seù societatis membrum, non tantum sibi, verum & cæteris prodesse teneatur; oritur, quod si rationis usu aliquas veritates detexerit, atque ad praxim revocaverit, in societatis Bonum, & utilitatem illas aliis suadere, atque patefacere debeat. Si huiusmodi autem veritates tantùm ad speculationem spectent, nuda ratione detegantur; tunc præclarè aget orator, si planum, atque placidum sermonem adhibeat, ut veritas aliorum animo affulgeat; nam ubi vitæ usus non occurrit, sed tantùm de rebus ad simplicem contemplationem pertinentibus controvertitur, quo magis nuda minusque fucata, at lacertosa quadam ratiocinatione obarmata sese offert oratio, eò fortiùs persuadebit, hominumque animos deflectet.

Oratoriæ artis scopus, ac Institutum aperitur.

Attamen, si veritates ad usum comparentur, & immoderatis, atque indomitis hominum cupiditatibus repugnent, turbatosque animi motus minimè alliciant; tunc concitata vehemens, atque robusta Oratio utilis, ac maximè opportuna erit, quæ tamen animi commotiones, & impetus non exasperet, vehementiusque accendat, sed emolliat, & citrà vim sanitati restituat. In quo rectus Oratoriæ artis

usus summa cum laude situs est. Nàm si mendacium eloquentiæ oblectamentis, lenociniis, atque eximia sagacitate, tanquam validissimis armis ad veritatem oppugnandam utitur, non video, cur veritati non licebit potentissima eiusdem artis machinamenta solerter adhibere, ut promptiùs de errore triumphet, aque legitimum suum suprà humanam mentem dominium nanciscatur. Quapropter ut improbi, ac pertinaces homines ad veritatem, atque virtutum exercitium impellantur, mirùm in modum eloquentiæ studium prodest, cuius scopus est alliciendo copiosè, & eleganter differendo, verum docere, suadere, atque incomparabiliter promovere, ut nihil aliud esse eloquentiam, nisi ipsam sapientiam copiosè, & ornatè differentem, virtutes nimirum, & veritatem splendidissimè docentem, ipse eloquentiæ Princeps Lib. I. De Oratore apertè affirmaverit.

Eloquentia ipsamet sapientia est copiosa tamen, & ornate differens.

Attamen si Oratoria ars (quod vitium haud artis, sed artificis est) à scopo aberrans in quamdam ingentem libidinem, vanamquæ ostentationem, veritatis, ac virtutum amore posthabito, degeneraverit, magno sanè detrimento erit, nam in quamdam versipellem, atque callidam artem conversa ad errorem fovendum, atque humanum ingenium corrumpendum potissimùm conferet. Hinc dum Oratoriæ artis cultores germanæ, ac robustæ eloquentiæ rudimenta in se ipsis assidua meditatione investigare non curant, neque ad veritatem edocendam tantæ facultatis vires comparant, non eloquentes sed loquentes, haud Oratores, sed obstrepentes, atque garruli declamatores facti sunt; qui, dum nimium sermonem excolere student, in rerum ignorantiam irruunt; modicus enim verborum cultus ignorantiam rerum peperit. Quapropter affectata pedagogiæ superstitio orta est, quæ tantùm idiomati exornando, & expoliendo addicta, atque ventum popularem quærens, quamdam horridam eloquentiæ larvam peperit, quæ sermonem, ac loquendi usum summoporè fedare, ac corrumpere ausa est, atque genus quoddam excogitavit, quod, dùm inflato sermone & à loquendi instituto alieno utitur, insueta vocum novitate, audientium mentem excruciat, admirationem quoque excitat, & plausus colligit solùm, quia vulgus quid orator enunciet, intelligentia non assequitur.

Quam noceat corrupta, nimisque lasciviens eloquentia.

Præterea non parùm eloquentiam corrupit, ac deformavit, immoderatum aures demulcendi ac titillandi studium, ut Oratoria ars, voluptati obstricta, enervis mollis, & effæminata evaserit, quæ valido sapientiæ spiritu denudata, neque ad docendum apta, neque animi impetus, ac motus, aut excitare, aut moderari capax sit. Nam nisi rebus, doctrinis, veritatum novitate, ac venustate, argumentorumque acrimonia, ac robore Orator solida, ac sana quadam delectatione auditorum animum prolectet, quidquid ad alliciendum, ac delectandum comparatur, in frigidam, puerilem, atque affectatam quamdam sermocinationem procul dubio degenerabit, quæ ad nauseam doctiores provocat, & à sana doctrinà, morumque studio perversè rudes homines avocat. Duo tamen potissimum Oratoriam facultatem deturparunt, atque dedecorarunt, Lucri nempè, & inanis Gloriæ cupiditas, qui duo morbi universam ferè literaturam corruperunt, ac maculaverunt, ut frequentissimè haud rationi perficiendæ, animoque excolendo, sed distortis, ac pravis hu-

Immodicè aures oblectandi studium suprà modum Oratoriam artem corrupit, & enervavit.

vis hominum affectionibus scientiæ, ac facultates obsequi, atque inservire videantur. Quisquis autem in societatis commodum, & utilitatem eloquentiam sibi comparare exoptat, primò sibi ipsi diligenter studeat, suarum affectionum originem ac indolem sedulò perscrutetur, atque in hanc curam intendat aciem ingenii sui, ut claras, legitimas, atque distinctas rerum notiones assequatur, quo adamussim ad praxim revocato, nervosa, animata, ac vegeta quædam dicendi ratio emerget, quæ dum aures voluptate perfundit, pariter docet, atque turbidas, & concitatas animi motiones pro suo arbitratu sedat, coercet, atque extinguit. Hinc nemo solido nervoso, ac felici sermone eloqui posse putet, si malè & præposterè cogitat, ut nisi primò Animus maturæ sapientiæ exercitatione expoliatur, quò cultior, magisque lasciviens erit sermo, eò magis languida iners, ac torpida eloquentia erit.

Poeseos usus, & abusus aperitur.

Haud absimili modo ratiocinandum est de Poesi. Hæc enim idem sonat, ac Fictio; est enim ingeniosa, ac solers quædam ars, quæ dum humanas actiones effingit, congruisque carminibus exprimit, ad vitam instituendam, ad mores nempè aut perficiendos, aut emendandos pro viribus tendit. Quapropter cum illius finis sit rerum imitatione, carminumque harmonia delectando docere, sequitur Poesim non mediocriter inservire, animumque juvare, ut citrà laborem fictionum, carminumque lenociniis, & oblectamentis ad veritatis contemplationem, virtutum quoquè exercitium suaviter, ac jucundè manuducatur. Quid enim salubrius, utilius, laudabilius, quam citrà vim alliciendo, corruptos, & eperditos homines ad salutarem doctrinam, & virtutis usum amplectendum pertrahere?

Quàtùm Poesis à scopo, suoque Instituto deflectens noceat, in mediis adducitur.

Attamen dum Poesis à scopo deflectens non docere, & admonere, sed tantùm aures effascinare, & allinire studet, in pernicioſam, & pestiferam quadam artem conversa est, cujus lues dum grassatur in auribus, animus miserrimè inficitur. Etenim corrupta ac depravata Poesis, dum a Verisimilitudine recedens & insano quodam furore percita, quidquid animo revolvit, ultrà modum exporrigit, aut contrahit, nimiumque adauget, aut minuit, virulento afflatu phantasiam quodammodò efferat, ut quasi hallucinatus animus, maxima minima, imbecillia fortia, infima sublimia inverso ordine videat, qui phantasmatum tumultus, excessus, ac perturbatio quamdam animi intemperantiam pariens, animi affectus extrà modum agitat, atque in nostram perniciem plus æquo concitat. Hæc enim nimia effervescentis phantasiæ motio intelligentiam obruit, atque ad purissimam veritatis lucem intuendam, ineptam reddit. Dum autem hoc pacto corrumpitur, & insolescit Poesis, ut ex diametro Sapientiæ adversa maximè profectò detestanda est, etenim præcipuum Sapientis munus est singulis rebus, ut ita fatear, sua pretia atque congrua loca adscribere, ut neque sublimia deprimantur, neque attollantur infima; non enim sapit, sed desipit, qui caduca, immortalia, quæ vilescunt, pulcherrima, quæ minima sunt maxima facit. Quæ perversa cogitandi ratio à nimium ebulliente, atque tumultuosa Poesi effluxit, quæ dum imaginandi vim adauget, intelligentiam minuit, dum nimium phantasiæ indulget, rerum naturam invertit; quo enim phantasia intumescit, eò iudicandi vis decrescit. Idcircò quià in juvenibus ob nimiam sanguinis acrimoniam, & effervescentiam immodicè ebullit,

ac prævalet phantaſia enervè, & parum judicium viget. Ex adversò autem, quia in ſenibus pigreſcente ſanguine deferveſcit, ac torpet imaginandi vis, robuſtior, ac vegetior intellectus eſt, ut in juventa ingenium, in ſenecta verò judicium præſertim efflореſcat.

Hac occaſione admonere me non pigeat, nè facilè aſſenſum præſtemus Oratoribus, aut Poetis in quibus plurimum imaginandi vis exardeſcit, atque vehementer æſtuat phantaſia; nihil enim ad decipiendum potentius eſt, quam impetuoſæ, ac turbulentæ phantaſiæ contagium, cujus affiatu nullo negotio in audientium animo propagatur; quapropter cautè legendi ſunt ii auctores, qui fervido, atque concitato temperamento præditi, plus (ut ita dicam) phantaſiæ quam intellectus à natura receperunt, nam dum accenſo, ac tumido quodam Sermone ſua cogitata aperiunt, non difficulter homines à veritate removent, atque periculoſas doctrinas promovent; nam nimium aliorum phantaſias commoventes, dum audientium animus phantaſmatibus totus obſtringitur, ne errorum fraus detegatur ſubdolè prohibent.

Ut igitur quid prælucente ratione, ut veritatis ſtudioſum addecet, inveſtigandum, & ſpeculandum ſit intelligamus ex rebus jam firmatis, firmiſſima quædam Regula ſtatuatur. Quidquid ad Animi perfectionem, ſinceramque felicitatem tendit, captui noſtro accommodatum, citrà culpæ, temeritatiſque periculum inveſtigetur; at ſi ad errorem, aut ingenii tantum oſtentationem comparatur, aut ab humanæ vitæ uſu prorſus alienum eſt, tanquam ſupervacaneum, aut noxium cauta quadam ignorantia a cognitione removeatur. Hinc ſi dum aliquid inquirimus, ratio reluctat, noſtramque inveſtigationem interiori quadam voce redarguit, res quæ inquiritur, vel tanquam ſuprà captum noſtrum, vel ut noxia, & ad hominem minimè pertinens à cogitatione abiiciatur. Sin autem nitidiſſimum rationis lumen approbet, quod perſcrutamur, aut neceſſarium aut inveſtigatu utiliſſimum exiſtimemus.

Jam ex noſtra ſalutari admonitione, quam neceſſarium, rationique conſentaneum ſit Animum ſuæ felicitati, ac perfectioni conſulentem ſe ipſum diligenter, ac legitima methodo inveſtigare intelligimus; pariterque, quid in veritatis inquiſitione, rerumque examine vitandum, aut amplectendum ſit, nè in errorem falſamque ſcientiam incidamus, innoteſcit; quod nos ſummoperè præparat, ut interruptum opus cum Auguſtino felicius proſequamur. Quapropter hoc pacto muniti, ac roborati ad Librum decimum de Trinitate explanandum accedamus.

PARS

PARS SECUNDA

Humanæ Animæ, Natura ab Augustino detecta in Libro Decimo de Trinitate.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [217] - 187
PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [218] - 188
PUBLIC DOMAIN

Elorentiſsimum Auguſtini Ingenium in Libro de Animæ quantitate, quem in prima hujus Operis parte pro viribus explanare curavimus, Animi Naturam æquiſsima judicii lance expendens, primò nulla corporea magnitudine, nullaque mole conſtare Animum, ſed inſectilem, ac prorsùs aſpatiorum dimenſionibus alienum eſse fortunatò eventù detexit: Deindè Animi virium quantitatem per ſeptem aſcendens gradus, tàm adamuſsim ad menſuram revocavit, ut quantum ſit Animæ robur, quanta poteſtas intus inſpexiſse, ac ſalubriter enucleaſse videatur; In Libro autem decimo de Trinitate, in quo totus humanæ mentis ſe ipſam inveſtigantis conatus mirum in modum deliteſcit, ut abditiſsimum Trinitatis Arcanum, quantum finitæ Intelligentiæ imbecillitas patitur, illuſtraret, minuſque tenebroſum redderet, ad Hominis mentem ſe convertit, ut in ea expreſſiorem, inſignioremque quamdam Trinitatis effigiem inveniret. Idcircò Corporeis imaginibus rejectis; Animum in ſemetipſò, in ſuiſque receſsibus perſpicaciſsimo nudæ intelligentiæ oculo intueri, ac detegere gaudet. Quod ut expeditius obtineat, ad reſolutivam, ſeu Analyticam Methodum confugit, cujus ope dum ab animo, quæ extranea, atque ab illius indole aliena ſunt, accurate ſejungit, Animi naturam in ſuis penetralibus proſpero ſucceſsu contemplatur; ut non tantùm quid non ſit, verùm & quid ſit Animus, interiori mentis acie cernat. Quidquid autem ad Animæ naturam inveſtigandam in Libr. X. de Trinitate ſpectat, dupliciter interpretrabimur, primò in medium ipſum met Auguſtinum Animæ noſtræ naturæ perſcrutantem afferemus deinde ſeveriori quadam Analyſi, & amæniori ſtylo Auguſtini mentem ſecum loquentem veluti antè oculos ponemus.

Augu-

Auguſtinus Animæ noſtræ naturam, mira quadam Analyſi, ſummoque acumine perveſtigans in Lib. decimo de Trinitate.

I. *Authoris Paraphraſis in lib x. Divi Auguſtini de Trinitate.*

CUm Hominis fabricam, atque ſtructuram mira, & ineffabili quadam ſolertia à ſummo Opifice, Deo Optimo Maximo cunctarumque rerum moderatore concinnatam intueor, maximaque diligentia contemplor, duo integrum hominem efformantia mihi confeſtim ſeſe offerunt; Corpus nempè, & Anima. Quod enim carnis oculis manifeſtatur, iners, torpidum, craſſis inſtructum organis, ſui ipſius neſcium, ad patiendum potiùs, quam ad agendum aptum, corpus vulgò nuncupamus; Attamen Principium illud, undè vita, & robur potiſſimùm in corpus derivatur, cogitandi, atque intelligendi capax, doloris, voluptatiſque particeps, ſuarumque operationum conſcium, quo felicem vitam exoptamus, ad ſapientiam tendimus, dubitamus, odio habemus, amamus, reminiſcimur, ratiocinamur; hoc profectò eſt, quod in nobis Animam, dum ſentit, imaginatur, ac in corpus agit, Animum verò, aut Mentem, dum intelligit, & ad incorporeas res inſpiciendas convertitur, appellamus. Idcircò cùm Animum dico, principium, quod in me cogitat, atque intelligit, ſeu Mens ipſa venit, quæ procul dubio in homine præter corpus viget, inſigniterque floret.

Quid nomine Animi, quid verò Corporis intelligatur.

Principium in homine intelligendi Animus, ſive mens appellatur.

Quid autem ſit hic Animus, cujus indolis, atque naturæ, ſummolabore, ſummaque diligentia hìc expendere liceat, ut tandem duo mihi innoteſcant, primùm an Animus adeò ſuprà corporis conditionem excellat, altioriſque ſit ordinis, ut penitùs incorporeus exiſtimandus ſit, ut non tantùm ſecundum quoſdam gradus, & modos, ut volatile, ac ſubtiliſſimum corpus a craſſiori, & fixo diſcriminatur, verum etiam juxtà ſui interiorem naturam corporis indolem excedat, ac mirificè ſuperet; Deindè quodnam ſit primævum inſigniuſque attributum, in quod tandem tanquam in ſui originem ac principium reſolvatur Animus; quæ duo, ſi Auſpicante Deo, proſpero ſucceſſu detegam, Animum Animo jam evelaſſe, meritò in Domino gloriabor.

Primò inquirendum eſt an Animus humanus a corpore differat, deinde, quodnam ſit inſignius ac princeps illius attributum.

Ut autem ordinatiùs, atque enucleatiùs rem tam difficilem, tamque negotioſam inveſtigans procedere valeam, primum ab amore, quo in homine Animus ſe ipſum intelligere, ſuamque præſtantiorem nobiliorem que affectionem detegere exoptat, initium capiam, ut ipſe met Animum inquirendi amor, ipſamet animi inquiſitio robuſtius, atque efficacius inſtrumentum evadat, ut quid ſit Animus, quam facillimè intelligam; idcircò ſic liceat ratiocinari. Dum Animus, ſeu mens

Talis indolis eſt Animus, ut dum inquiritur jam' nobis innoteſcat.

mens se ipsam diligenter inquirit, se ipsam profectò intelligere exoptat, quidquid autem ardentissimo studio mens scire desiderat, procul dubio amat, non enim scire appetimus, nisi id quod amamus. Attamen nemo, quod omninò incognitum est, amat, aut intelligere, sibique exploratum reddere cupit. Quod antequam ad animi investigationem descendam, sedulò explorare necesse est, ut nobis manifestè pateat, an cum quamlibet doctrinam, ac rem scire, animoque patefacere in litterariis exercitamentis, usuque vitæ cupiditate flagramus, tantum quod notum est, an potius id quod ignoratur, amore prosequamur, ut non solum quæ patent, verùm etiam & quæ latent Animum, sub nostra desideria cadant, quod cum attentissima quadam animi perceptione expendo, me tantùm quod animo innotescit, neutiquam quod incognitum est, amare posse reperio.

Animus se inquirens se ipsum intelligere exoptat.

Rem omnino ignotum neutiquam amat Animus.

Et primò si ad ipsas mortales, corporeasque res sensibus obnoxias me convertam, illicò intelligo, cum Animus auditus organo utens, ad aliquam rem videndam, ob illius pulchritudinis famam accenditur nihil aliud eum amare, ac vehementer inquirere, nisi id quod jam scit, & intelligit, & hoc est ipsamet generalis corporum pulchritudo. Etenim non ob aliam rationem tunc mens amat, nisi quia plura corpora pulchra vidit, atque adeò id quod in corporeis rebus jam visis inspexit, hoc est quod in remoto, aut latente corpore amat; Idcircò nisi ei primò nota esset pulchritudo, nullum sanè corpus aut remotum, aut latens ardentissimo studio inspicere, & cognoscere exoptaret. Inest enim intrinsecus animo ingenita quædam immutabilis, & sinceræ pulchritudinis notio, quam corporeis rebus accommodat, antequam illas approbet, atque amet. Quamobrem nisi in corporibus Animus proportionis, symmetriæ, partiumque consonantiæ, & æqualitatis, intelligibilis nimirum & immutabilis pulchritudinis vestigia, ac delineamenta quædam videret, corpus nullum profectò amaret, imò respueret, & odio haberet, in quo haud quod videt, aut ignorat, sed tantùm quod scit, & nuda intelligentia assequitur, amat, ipsam nimirùm constantissimam pulchritudinem, quæ nunquam interit, cujus participatione, & imitatione pulchra dicuntur corpora, quam non carnis oculis, sed rationis luminibus tantummodò videt Animus; quamobrem nisi immortalis pulchritudinis natura in primævis, insitisque nostris notionibus illuceret, ac nota esset, nullius sanè corporis pulchritudinem videndi studio, & amore inflammaremur. Hinc cum Virum bonum, cujus nunquam faciem vidimus, amore prosequimur, illum ex virtutem notitia amamus. Etenim in illo virtutem diligimus, quam in ipsa veritate, atque Ratione intuemur; nisi enim universalis, ac immutabilis Ratio, in quam omnis Rationalis animus immergitur, virtutis pulchritudinem, atque præstantiam Animæ nostræ manifestaret, hominem non visum ex sola virtutum fama nullo modo amaremus, atque adeò in Viro bono minimè quod nos latet, a nobisque ignoratur, sed quod intelligentiæ patet, procul dubio amamus. Haud absimili Ratione nisi impressam, cujusque doctrinæ in animo haberemus notionem, cum ad doctrinas assequendas, atque excolendas plerumque laudantium, atque prædicantium accendit auctoritas, nullo ad eam discendam studio flagraremus. Quis enim

Cum animus absentium rerum pulchritudine capitur quod noscit, amat.

Pulchritudinis incommutabilis ideæ quedam inest Animus.

Pulchritudinem quam in rebus corporeis amat Animus, haud sensu, sed nuda revoluimus intelligentia.

Nulla corporum pulchritudine alliceretur Animus, si intelligibilem pulchritudinem primum in semetipsa non cerneret atque amaret;

In viro bono non viso id quod jam scimus, Animoque innotescit amamus.

exempli gratia ſciendæ Rethoricæ ullam curam, & operam impenderet, niſi anteà ſciret eam dicendi, ac ſuadendi eſſe ſcientiam. Hinc niſi, & quid ſit dicere, aut ſuadere, & quid ſit ſcientia, atque Ars, intelligeremus, ſanè nullo Rethoricæ ſtudio, atque amore exardeſceret Animus; qui in ediſcenda arte, quod jam intelligentiâ aſſequitur, & ſcit, hoc amat, cujus amore, & notitia ad artium ſtudium, atque cultum improbo labore duci ſolent homines.

III. *Vir imperitus ſcribendi peritiam exoptans, id quod intelligit, haud quod ignorat amore & deſiderio proſequitur.*

Eadem ratione ſi litteras, ac legendi uſum ſcire, & aſſequi exoptat Vir rudis, literarumque neſcius, quid quæſo intelligere, ac obtinere appetit, niſi id quod jam notum tenet? Amat enim ſolertiam, vim, ac doctrinam illam, quam in ſcribentium exercitatione contingere audit, cujus auxilio abſentes alloquimur, verba ſilentio manufacta, occultiora hominis cogitata in ſe claudentia, longinquis regionibus mittimus, quæ ab eo, cui mittuntur, haud auribus, ſed oculis colligantur; Hinc ſcripturæ poteſtatem, mirumque artificium, quod jam intelligit illiteratus vir, amat, non autem quod neſcit invenire exoptat, ſic namque accenduntur ſtudia diſcentium, etenim quod quiſque prorſus ignorat amare nullo pacto poteſt.

An incognitum rem amet & inquirat, qui latentē alicujus nominis ſignificationem ſcire deſiderat?

Attamen cum quid ſignificet, ſeù ad quam notionem in Animo excitandam apta ſit aliqua vox, cujus ſignificatio me latet, ſcire, atque percipere cupio, tunc profectò nihil aliud niſi quod incognitum eſt, amo, & inquiro; Etenim ſcire exopto, cujus rei, cujuſque notionis ſignum ſit, ſeù ad quid ſignificandum ab hominum arbitrio ordinata ſit vox, quam ad aliquod peculiare idioma ſpectare animo fingimus, at *hoc* quod ſcire, ac animo aſſequi deſidero, hoc ſanè eſt, quod ignoro, non enim cupio intelligere, an vox ſit quidam ſonus articulatus litteris, ac ſillabis efformatus, nam cum vocem ignotæ ſignificationis audio, ſtatim innoteſcit quod ſit vox, ſonuſque quidam ore procreatus, hinc niſi ſcirem illà quaſdam gentes ad notionem aliquam excitandam in humani commercii gratiam uti, jam omni poſthabita inquiſitione quieſcerem, ac nihil ulterius inquirerem, ac diſcere exoptarem. Idcircò non quod mente teneo, ſed quod ignoro, amo, nam quod ſolum ignoratur, inquiritur, ac deſideria noſtra enutrit. Hæc tamen dubitatio nullam profectò vim habet, nulloque negotio ſolvitur. Nam cum quid ſignificet

Cum quid aliqua vox ſignificet inquirimus, haud ignotum, ſed quod ſcimus quærimus & amamus.

alicujus idiomatis vocabulum ſcire cupimus, verè quod ſcimus, haud quod ignoramus, diligimus. Etenim non ob aliam rationem vocum ſignificationes ſcire cupimus, ſummoque ſtudio remotiſſimarum etiam Provinciarum idiomatibus operam damus, niſi quia in ipſa univerſali ratione, ac veritate, qua ſingulæ hominum mentes illuſtrantur, videmus, atque intelligimus, quàm pulchrum, ac laudabile ſit illud doctrinarum, diſciplinarumque genus exercere, quod humanam ſocietatem promoveat, quammaximèque tueatur. atque adeò quam decorum ſit, ac honeſtum linguas ac Idiomata callere, in quorum locupletiſſimo Theſauro cunctarum notionum, rerumque ſigna continentur, quorum auxilio dum hominum penitiora etiam cogitata figuris, articulatiſque ſonis conſignantur, quoddam illuſtre, mirumque animorum commercium ſtatuitur, in quo quod incorporeum, & immateriale eſt, ſenſilium rerum, viſibiliumq; operationum ope humanę Mẽtes, ut in eamdem Rationem, generalemque veritatem copulentur, mutuò ſibi manifeſtant.

Quid in addiſcenda nominum ſignificatione amet Animus aperitur.

Huju-

Hujuſcemodi Societatis bonum, ſummumque commodum Animum ad idiomata excolenda, barbararum etiam gentium voces interpretandas accendit, & hoc eſt, quod in vocibus ignotæ ſignificationis amamus, cum illas exponere, atque interpretrari ſtudemus, ut nimirum quod jam intelligimus, & ſumma animi voluptate in ipſa incommutabili Ratione, ſocietatiſque bono videmus, in idiomatum ſtudio, atque uſu obtineamus, quod niſi intelligeremus, nihil profectò animum ad aliarum Nationum ſigna callenda extimularet. Idcircò cum quod neſcio, ſcire enitor, ac ſtudeo, non quod neſcio, à me quæritur, ſed quod ſcio, cujus gratia incognitum amo, quod nullo pacto quid ſit quærerem, ac agnoſcere exoptarem, niſi quod in Ratione, meiſque imaginibus ac notionibus ſivè ingenitis, ſive fictione quadam elaboratis intelligo, inſpicio, atque amo, in externis rebus ac doctrinis hominum veluti involutum, atque reſtrictum, tanquam in ſua ſpecie genus, invenire, atque contemplari ſperarem, ut non propter ſe, ſed ob id, quod intelligitur, incognitum haud rarò amemus, atque in ea, quæ nos latent, ardenti ſtudio tendamus. Hinc niſi quid ſit ſcire, ac quantam perfectionem, ac nobilitatem, rerum naturas, artium diſciplinarumque ſolertiam, ac notitias intelligere redoleat, interiori quodam intuitu in ipſius Animi penetralibus proſpectarem, nullam ſanè in literariæ rei gratiam operam impenderem, atque adeò cum & quid ſit ipſa ignorantia aut quid ſit me aliquid neſcire, intelligere enitor, in inſcitia ſcientiam, quam agnoſco, in neſciente ipſum ſcire, quod jam intelligo, ſanè amo, ut evidentiſſimum, ac citra quamvis dubitationem ſit, quod penitus latet, ſeù quod in ſuo genere, aut in animi ſaltem ſimulatis fictiſque imaginibus aliquo modo non innoteſcit, nullo pacto à me inveſtigari, atque ſub mea optata cadere: Quamobrem etiam cum res, doctrinaſque ignotas ſcire, ac callere exoptamus, illas non omninò ignoramus, ſed jam inquirentes ſcimus, ut illas inquirere non curaremus, niſi modo jam expoſito, intelligentiâ aſſequeremur.

Propter rem notam quæritur, & diligitur Ignotum.

IV.

Quid contingat Animo ſe ipſum inveſtiganti?

Si autem cum res à ſua natura alienas, atque ſejunctas Animus noſter inveſtigare ſtudet, id ipſum quod quærit, & inveſtigat, intelligit, ac ſaltem ex parte ſcit, quid quæsò continget animo ſe ipſum inquirenti, ſuamque naturam inveſtiganti? Quod cum diligenter expendo, mirum, ac ſtupendum quoddam in mentis noſtræ indole detego, etenim apertè intelligo adeò in ſui inquiſitione, atque inveſtigatione felicem, fortunatumque Animum noſtrum eſſe, ut dum quid ipſe ſit inveſtigare ac ſcire exoptat, ſe ipſum totum, ac pleniſſimè intelligat, ut ſui ipſius inveſtigatio, ipſamet ſui ipſius intelligentia, ac ſcientia jure meritò dicenda ſit. Etenim dum ardentiſſimo deſiderio ſe ipſum agnoſcendi inflammatur Animus, profectò ſe ipſum amat, amat igitur ſe, dum ſe quærit, idcircò ſe intelligit, atque ſcit etiam ſe, dum quid ipſe ſit ſedulò quærit, & inveſtigat; Nemo enim id quod neſcit, amat, aut quod incognitum eſt, ſibi patefacere ſtudet.

Animus dum ſe ipſum inquirit, jam ſe ipſum intelligit.

Animi inveſtigatio, ipſius met Animi ſcientia eſt.

Attamen exploremus, quo pacto mens ſibi incognita ſit, ac patens, dum ſe ipſam quærit. Fortaſsè non omninò ſe intelligit, ut tota ſibi innoteſcat, ſed tantum generali quadam cognitione in ſe videt, nimirum quid ſit ipſa mens Univerſalis agnoſcit, ut tantùm genus ſuum amet, cum ſe ipſam inquirit, aut formam, ſpeciemque aliquam animo

Quæritur quo pacto ſibi innoteſcat Animus ſe ipſum inquirens?

An cum Mens se nosse desiderat, haud se ipsâ sed suum genus tantum agnoscat?

effingit, quam amat, ac ut in se ipsa contempletur. quid ipsa sit, investigat. Quapropter adhuc hæreo, an adeò Animus sit sibi notus, cum se quærit, ut aliquo modo se non lateat, sibique obscurus non sit, ac incognitus. Hoc tamen nullo pacto contingere potest. Etenim cum mens se quærit, ut se noverit, ac se scire oportet, ut intelligat, quid sit nosse, quid sit scire, imò cum se quærit, ut se sciat, atque agnoscat, certò scit, se esse rem appetentem se sciret atque agnoscere, quapropter non tantum quid sit scire, quid nosse, verum etiam scit, atque noscit se velle & amare sui ipsius scientiam, atque cognitionem, intelligit igitur, ac scit, quid ipsa sit, cum se scire, atque explorare studet. Idcircò non tantum genus suum, Mentem nempè universalem in quam omnis Animus convenit, aut idolum aliquod qnod se esse fingit, sed se ipsam intus agnoscit, ac videt mens dum se nosse amat, ac ut se noverit se investigat; cum non alias mentes, aut simulachrum aliquod sui, sed suum scire, suumque nosse intelligit, dum se quærentem, ac se scire exoptantem videt,

Cum Animus se quærit ut se noverit vere se ipsum scit ac intelligit.

Scit se ipsũ Animus dum se inquirentem, aut amantem videt.

V.

Prætereà si dum se scire amat, alias mentes intelligit, aut aliquid extraneum a sua natura alienum noscit, cur se ipsam potius non intelligit, cum se ipsa nihil possit esse præsentius; Nam si Animus naturarum a se diversarum penetralia cogitatione perlustrare potest, ac intelligere ea, quæ nullam cognationem, ac nexum cum ipso habent, cur non valet se nosse, cum nihil sibi se ipso intimius habeatur. Dissonum enim maximèque a ratione & Naturæ institutione alienum videtur, Mentem res a se diversas scire, se autem ignorare, ut id quò cætera scimus, sibi ignotum, obscurumque maneat.

Multo magis se ipsum intelliget Animus, si res a sua natura alienas noscit.

Nihil Animo se ipso presentius.

Quædam Difficultas emergit.

Si tamen ad corporis oculos animum convertamus non adeò potens hęc ratio apparet, ut nequeat facilè dilui & enervarit, mei enim oculi, dum alii orom hominum oculos vident, sibi ignoti se nullo modo vident, sed tantum se vident in speculis, in quibus illorum imago resilit, ac reflectitur. Attamen quod corporeis rebus contingit, neutiquam incorporeo Animo attribui potest, si enim dum Animus se quærit, ac se agnoscere amat, se in se non videt, sibique adhuc ignotus est, ubi igitur se videt? seu unde se intelligit, dum se amat, cùm nihil prorsus ignotum quæri, ac diligi potest. Fortasse se tanquam in speculo, in ratione Veritatis æternæ se videt, dum se quærit, nam ad incommutabilem, ac infinitam Intelligentiam se convertens in ipsa videt, ac intelligit, quàm speciosum sit nosse semetipsum & hoc amat, quod videt, atque in universali Ratione intelligit studetque se fieri, quia quamvis sibi notus non sit, notum tamen ei est, quam bonum sit, ut sibi notus sit. Quàm tamen a verò hæc aberret ratiocinatio, quis sanæ mentis non videt? Quo enim pacto se ignorabit Animus, si quàm pulchrum sit se nosse, jam intelligit; si noscit, quam deceat, se nosse, jam se scit, scit namque quid sit nosse se quod amat, se nempè esse rem, quæ amat se nosse. At hoc est A nimus, res sciens, ac intelligens, sive putet se nosse, sive se ignorare, sive dubitet, an se cognoscat; nam quovis modo putet, semper scit se aliquid de se putare, ac quærere, nimirum se esse rem intelligentem, in quo ut infrà investigabimus, tota humanæ mentis natura sita est.

Dubitatur an Animus, se ipsum inquirens in incommutabili lumine veritatis eternæ se tantum intelligat?

Solvitur Dubitatio.

Animus dum se cogitantem videt, illicò se ipsum in se ipso videt ac necessariò intelligit.

VI.

Dici tamen potest, quod dum Animus se quærit, ut se noverit, haud

haud se ipsum amat, sed beatitudinem, ac securitatem, suum videlicet ultimum finem, ac summum bonum, quod facilius assequi arbitratur, si suam naturam intelliget, ut credat se ad summam felicitatem pervenire non posse, nisi primò se ipsam cognoverit. Hinc quid ipsa sit, Mens quærit, non quia se ipsam quærit, sed quia finem illum optimum amat, quem intelligit, & ratione cujus se ipsam investigat, ac cognoscere studet. Neque tamen vim ullam habet hujusmodi dubitatio. Nam si Mens hanc summam intelligit felicitatem quam amat & in quam tendit, cur potius non intelliget se ipsam, quæ ad beatitudinem aspirat? Quid enim monstrosum, ac non parùm inconveniens videtur Animum intelligere id, ad quod aspirat, se ipsum tamen, quò ad felicitatem tendit, ignorare; si terminum, ac metam suarum operationum agnoscit, quod sanè aliquid ipsò melius est, ac perfectius, cum summum Bonum ad quod animus fertur, supra animum, altiorisque ordinis sit, cur nesciet se ipsam, cujus cognitio sibi ipsi interior, aptior, ac præsentior est.

Nova consurgit Dubitatio.

Animus se ipsum inquirens summum tantùm Bonum ad quod tendit haud se ipsum intelligere ac nosse videtur.

Mens si finem ultimum ad quem dirigitur intelligit, multò magis se ipsam intelligit.

Deindè si se felicem, beatumquè fieri amat, intelliget quidem, se esse rem amantem, seù tendentem ad summum bonum, cognoscet igitur se ipsam, se nempè intelligere, quàm pulchrum, beatumque sit summo bono frui, ex hoc igitur, quod suum ultimum finem agnoscit, profectò se ipsam intelligit. Ulterius, si suæ Beatitudinis, ac finis optimi recordatur Animus, cur sui ipsius obliviscitur? qua enim ratione fieri potest, ut memoria beatitudinis suæ in Animo remaneat, non verò memoria sui cum eo perdurare valeat? & si intelligit illud, quò vult pervenire, cur non se intelliget, quæ vult pervenire, atque beatitudinis bonum assequi, & amplexari?

Animus dum bonum ad quod aspirat agnoscit, se ipsum necessariò intelligit.

Non tantum sui finis verum & sui ipsius ingenita quedam Idea effulget in Animo.

Præterea Mens ipsum nosse amat, cum se quærit, ut noverit, se igitur cognoscentem, quàm pulchrum sit nosse, intelligit, atque adeò se ipsam scit. Quid enim acerbius Animo contingere posset, ut se ipsum ignoraret, ac suæ scientiæ deesset, dum cuncta comprehendere vult, atque ad extraneas res, ut sciat, & intelligat jugi motu convertitur.

VII.

Mens dum se intelligere cupit ac suum nosse amat, verè se ipsum agnoscit.

Deindè Animus dum se nosse, & intelligere cupit, sanè nosse suum amat, ubi ergò nosse suum novit, si se non novit? nam novit, quod alia noverit, se autem non noverit, agnoscit igitur, quid sit nosse. Si ergò se aliquid scientem scit, se nimirum aliquid scire intelligit, quo pacto se ipsam nescit, non enim alteram mentem scientem scit, sed se ipsam, scit igitur se ipsam. Rationi enim reluctat, ac adversatur hoc, quod Animus se scientem etiam extraneas, alienasque quasdam res inspiciat, ac sciat, se verò, quo illas scit, nesciat, ac non intelligat. Cum ipsum scire ac intelligere ipsemet Animus sit. Ulterius cum Animus se quærit, ut se intelligat, quærentem jam se novit, jam se ergò novit, idcircò nequit Animus omninò nescire se, nam etiam dum intelligit, ac scit, se nescire se, se utique scit, scit enim se esse rem, quæ nescit, ac quærit se; Hinc fieri nequit, ut dum Mens se nescit, se nescientem non sciat, nam si se nescire ignoraret, non se quæreret, ut sciat. Atquè adeò etiam posita ignorantia sui Animus se utique sciret, dum se ignorare, ac nescire intelligeret. Hoc enim est Animus, res sciens, & intelligens, quod cum noscitur, & animum intelli-

Animus dum se intelligentem videt, se ipsum utique scit.

Ipsum met intelligere Animus est.

Animus se inquirentem videns jam quid ipse sit in semetipso videt.

Mens dum se quærit ne se ignoret, iam se ipsam scit.

telligere, ac scire necesse est. Quapropter ex hoc quod Animus se quærit, ac se nosse amat, magis se sibi notum, quam ignotum esse convincitur, novit enim se quærentem, atque nescientem, dum se quærit, ut se noverit.

VIII.

In dubium vertitur an Animus se ipsum inquirens, se totum an sui partem tantummodo sciat?

Non adeò tamen rationes allatæ me movent, ut adhuc anceps non sim, ac animo hærens. Etenim posset contingere, ut partem sui aliquam intelligat, atque agnoscat, alteram verò ignoret Animus, ut veluti in duas partes scissus, ac distributus sibi ipsi notus pariter sit, & incognitus, luminosus, & obscurus, ex parte se intelligens & ex parte se ignorans, ut partem sui quærat, cum se nosse amat, ac suam naturam investigat, alteram tamen sui partem sciens, & intelligens. Quid enim prohibet, quod Animus sit idem tidem diversarum partium habitudine sibi manifestus, ac se latens? Huiusmodi tamen oppositio nullius roboris est, ac falsitate laborat. Nam & si Animus nosser non totum verum scit, totus tamen ipse scit, quod intelligit ac scit, scit autem se scire se esse rem se totam quærentem, scit igitur se ipsum totum; non enim Animus amat se ex parte nosse & cum se quærit, non sui partem, sed se totum quærit, cupit enim intelligere, ac nosse, quid ipse integer, totusque sit, atque adeò scit, se esse rem se totam quærentem, ut quid totus sit intelligat, scit igitur se totum, cum se quærit. Nam totus Animus se quærit, ut se totum noverit. Deindè quid Menti tàm notum est, quam se vivere? Scit namque Mens se intelligere etiam dum se quærit, aut dubitat, an se nesciat, nam intelligit se esse rem quærentem, ac se ipsam ignorantem, Conscia enim est suæ ignorantiæ, dubitationis, ac inquisitionis, cum se ipsam inquirit, ac se ignorare existimat. Mentis autem vita ipsum intelligere est. Quid enim propriè, & verè aliud vita est, quam intellectio, ac cogitatio, qua suarum operationum, suæque Beatitudinis conscius est Animus, qua vita carent Bruta, quæ cum non intelligant, verè non vivunt. Jam dum Animus non ex parte, sed totum se vivere scit, totus enim Animus vivit, atquè adeò, cum hìc se vivere nosci, se totum utique scit. Sicuti ergo Mens tota est, sic tota vivit, nequit igitur suam vitam intelligere, quin se totam intelligat.

Animus se totum intelligere exoptans, iam se totum intelligit.

Totus Animus se quærit, ut se totum noverit.

Mens se vivere intelligens se totam intelligit.

Vera vita ipsum intelligere est.

IX.

Mens dum se nosse quærit, iam Mentem esse scit.

Mens se ipsam inquirens haud fictitiam rem, sed verè suam naturam agnoscit.

Nihil aliud est Mens nisi res se quærens ac se quærentem intelligens.

Postremò quid aliud est quæsò Mens, quam res intelligens, ac sui suarumque cogitationum conscia? Cum ergò se nosse quærit, dum se intelligentem, ac cogitantem videt, se esse mentem intelligit, etenim si se cogitantem ignoraret, sanè utrum se quærat, nesciret dum autem se totam intelligentem, ac se quærentem scit, quid ipsa tota sit jam intelligit, ac intuetur. Neque aliquis opponat, quod Mens dum se quærit, unum pro alio accipiat, ut dum se ipsam inquirere, ac intelligere putat, revera decepta phantasma aliquod inane loco mentis, agnoscat? Nam dum Mens se nosse quærit, intelligit se esse rem se quærentem, atque adeò intelligentem, idcircò haud aliud pro alio accipit, sed verè se esse mentem scit, nihil aliud enim est Mens quam res, quæ se cuærit, ac se quærentem intelligit. Fieri autem non potest, quod Mens se quærat, & ignoret, quod sit res se quærens.

Deindè demus etiam Mentem, dum se quærit, non se totam sed partem

tem sui intelligere, adhuc tamen intelligit, se non totam a se inventam, & inspectam esse, sed ex parte, intelligit igitur, quanta sit tota, quod si ignoraret, nesciret, an tota mens a se inventa sit, & intellecta. Neque quærere potest, quod deest, quemadmodum quærere solemus, ut veniat in mentem, quod excidit, nec tamen penitus excidit, quia potest recognosci, cum venerit, hoc esse, quod quærebatur. Attamen qua ratione fieri potest, ut dum Mens se nosse quærit, veluti a se ipsa recedens, in mentem non veniat, & sui obliviscatur, cum Mens sibi præsto sit, & in mente necessariò eluceat.

Etiamsi detur Animum ex parte se intelligere, evidenter infertur se totum intelligere.

Oportet ut Animo totus innotescat Animus.

Hùc accedit, quod si tantum sui parte inventa non se totam quærit Mens, sed sui partem, tota tamen Mens est, quæ illam quærit, quapropter dum quovis modo se nosse quærit, tota sibi confestim occurrit, etenim intelligit, se esse rem totam quærentem, quid sit illius pars, quæ latet, & ignoratur; quamobrem quovis modo se quærat, se procul dubio totam intelligit. Neque opponas non totam mentem se quærere, sed tantum aliquam sui partem, quod nondum inventum est, inquirere. Etenim si hoc verum esset, nulla in mente eluceseeret pars, quæ se quæreret, atque adeò nullo pacto Mens aliquandò se quærit, quod profecto experientiæ adversatur, cum verè nunc Mens mea se quærat ac se nosse exoptet. Nam Mentis pars, quæ se quærit, vel jam inventa est, vel sibi ignota est, ac se latens, si primum nullo pacto se quæreret, cum jam inventa, & nota sit, si verò alterum, tunc Pars ignota non se quæreret, cum se omninò lateat, sed tantum illam quæreret Pars quę jam inventa est, jam nempè se intelligens, sibique cognita, nulla igitur Mentis pars se quæreret, ac se nosse amaret, sed tantum Pars jam inventa, ac nota non se ipsam, sed partem aliam ignotam quæreret, atque adeò nullo pacto Mens quid ipsa sit quæreret, ac nosse vellet, quod ipsamet Mens dum se pervestigat, atque sedulò summaque cura se intelligere nititur, nullo pacto approbat; sed apertæ falsitatis redarguit. Affirmandum igitur est, quod dum Animus se quærit ut se noverit, non tantum se, sed etiam se totum intus intelligit, ac scit.

Animum se investigatem se totum intelligere solidè & subtiliter ostenditur.

Opponi posset non totam mentem sed tantùm aliquam mentis partem se ipsam inquirere.

Si non tota Mens se quereret, vere Mens nunquam se ipsam inquireret.

Nova tamen occurit difficultas. Si Mens adeò sibi nota, & manifesta est, ut etiam dum se nosse quærit, se intelligat, talis igitur indolis est, ut semper illi affulgens notio sui, se ipsam ignorare nequeat. Si autem tanto privilegio gaudet Animus, ut sibi nunquam ignotus, ac se latens esse valeat, cur ei præceptum est, ut se ipsum agnoscat? cur à sapientibus tam frequenter admonetur, ut se cognoscere diligenter, & accuratè studeat. Vanum, ac nullius sanè usus esset hoc præceptum, si ipsa Naturæ necessitate, se ipsum agnoscere, ac scire cogeretur Animus, ut etiam se investigans, ac se latere putans, se sciat, ac apertissimè videat?

X.

Si suapte natura notus etiam est sibi Animus dum se nosse quærit, cur ei precipitur ut se ipsum agnoscat?

Ut autem hæc oppositio quam facillimè refellatur, admonendum est, aliud esse scire, aliud cogitare, ut cognitio, quæ in scientia clauditur, vere ab illa differat, quæ in cogitatione continetur. Nam dum Philosophus, aut Geometra Musicam aut Rethoricam exercet, tunc de Musicæ arte, aut Rethoricæ facultate actu cogitat, seù in Musicæ, aut Rethoricæ Munus incumbit Animus, ut nihil de Geometriæ, aut Phisicæ doctrina cogitet. Attamen dum in solam Musicam, aut Rethoricam animadvertit, phisicæ, aut Matheseos facultatem nullo modo igno-

Aliud est Scire, aliud cogitare.

Præcipitur Animo ut se ipsum cogitet, haud sciat.

Animus se necessario sciens, se ipsum tamen aliquando non cogitat,

Quid recte & honeste vivere sit?

Quo pacto Animus ab incommutabili Pulchritudine turpiter aversatur?

Animus a vero & solido Bono sejunctus, caducis, ac larvatis Bonis obstringitur.

Qua ratione Animus corporeis ac sensilibus rebus amore & desiderio copuletur?

do ignorat, sed illius scientiam possidere dicitur. Nam non ignorat Mathesim Geometra, aut Phisicæ doctrinam Philosophus, dumuterque Musicam, aut alteram disciplinam exercet. Quapropter aliud est scientia, aliud cogitatio. Jam hujusmodi vocibus ritè intellectis ac expositis, haud arduum, ac difficilè erit enucleare, cur Menti ut se ipsam agnoscat, præcipiatur. Non enim ei præcipitur, ut se ipsam sciat, ac intelligat, cum nullo modo se ignorare valeat, sed tantum, ut se ipsam cogitet, seù ut in suas operationes suumque finem, ac munus sedulò animadvertat. Admonetur nimirum, ut secundum naturam suam vivat seù ut immutabilis ordinis, ac Rationis dictamine duce, vitam ducat, ut nempè ordinato amore res appetens, summum Bonum summo amore, cætera verò bona graciliori dilectione, ac propter illud amet, atque adeò regi, & gubernari a deo, qui supra ipsum est, regere ac moderari corpora, quæ infrà ipsum sunt, velit, & appetat; in hoc enim recta, & honesta vita sita est, ut Animus sub eo sit, cui subdendus est, & a quo regi debet, suprà ea verò eniteat, quibus præponendus est, & quæ regere debet. Multa enim humana Mens prava cupiditate percita, perperam, ac adversus ingenitum Rationis lumen agit. Etenim cum summam, ac veram pulchritudinis formam in præstantiori natura, in Deo nempè totam collectam videat, cujus insitam notionem habet, atque ut illa tantum fruatur, quam accuratè insistere debeat, suæ imbecillis, ac tenuis conditionis oblita, quod Authoris tantum est, sibi arroganter tribuere audet, hinc haùd ex Deo tanquam illius imago, & vestigium, sed veluti ex se ipsa progenita, quod Deus est, se esse temerè putat. Idcircò cum quod Dei est in suam naturam transferat, se avertens ab eo, gratia cujus procreata est, & a quo quidquid est, & conservatur emanat, in ea, quæ potius nihil quam ex se aliquid sunt, miserrimè labitur, atque dum suam virtutem, perfectionem, ac beatitatem augere, magisque perficere censet, potius decrescens in defectum, ac miseriam irruite. Etenim dum removetur ab eo, qui solus sibi sufficit, soluque illam beare, ac exornare potest, nulla ratione sibi ipsi sufficere valet, quidquid enim ab eo qui solus verè est, recedit, in id, quod non est incurrit, aut ad nihilum incessanter tendere necesse est. Quapropter à verò, ac solido bono hominis Mens sejuncta, atque falsa, & fucatà quadam felicitate decepta, solummodo gaudens, nullo negotio suam ægestatem agnoscit, atque quam arduum & operosum sit constantem, sinceramque tranquillitatem acquirere intelligit, ex quo fit quod attentius in suas actiones animadvertens, sensilium rerum, corporumque impressionibus diligenter sese applicet, atque majori cura delectationes, ac voluptates, quæ exterius ex corporibus colligere, atque haurire opinatur, tueri, & diligere incipit, existimans haud intus ab eo solum, qui corda, & beat, & docet, sed deforis a mutabilibus, ac deficientibus rebus pacem, gaudium, germanumque bonum emendicandum, & hauriendum esse. Quapropter cum se nullo pacto amittere posse intelligat, quam verò facilè externa, ac corporea bona nos frequentissimè deserant, videat, impensa cura tenere, atque anxiosè illa inquirere studet. Hoc pacto umbras amans, quod fugacius ac inanius est, sibi sistere nititur, tota larvis, ac ementitis rebus addicta.

Hoc pa-

XI.

Hoc pacto dum Mens ab intelligibilium immortaliumque rerum amore sejungitur, quamvis se ipsam intelligat, atque in se ipsa exscriptum, ac inumbratum præstantissimum, ac verum bonum, cujus insignissimum imitamentum est, inspiciat, adeò tamen fædissimis corporum imaginibus cogitatione immiscetur, ac copulatur, ut amoris glutino, ac vi in corpora ipsa transmutetur, ac quodammodò convertatur, idcircò tanta vis est amoris, ut ea, quæ cum amore diù cogitaverit, eique curæ glutino inhæserit, attrahat secum etiam cum ad se cogitandam redit, ut se à corpornm, sensiliumque rerum simulacris dissociatam intueri minimè patiatur; summoperè gaudens in similitudine ac vestigio earum rerum se inspicere, & tanquàm in speculo contemplari, ex quibus voluptatem ac gaudium depromere putat. Idcircò etsi se ipsam intelligit, & necessaria quadam scientia videt, haud tamen se ipsam, sed corpora potius, quibus amore conjungitur, cogitatione revolvit, se ipsam namque quasi corpus factam veluti delirans intuetur, ut aut quod non est, aut se ipsam cum eo, quod ipsa non est, se contemplans, videat. Hinc se ipsam scit, haud cogitat, non in se ipsam, sed extra se foris in corpora, quæ maximoperè diligit, animadvertens.

Decepcus Animus sub corporum imaginè se ipsum intueri assuescit.

Attamen, quia sensiles, ac visibiles res, quas amat Mens, corpora extra ipsam existentia sunt, quorum diuturna quadam familiaritate Mens implicata est, fit, ut cum corpora a sua natura multum aliena secum introrsum tanquam in Regionem incorporeæ naturæ Mens ferre nequeat, eorum imagines attentissimè rapiat, ac convoluat, quæ ex mente, atque in ipsa mente efformantur, etenim quamvis corpora mentem intus pervadere, ac penetrare non valeant, suis tamen imaginibus, quas Mens ipsa cogitans procreat, mentem tenent, ac quaquaversum possident. Licet verò hujusmodi imaginibus efformandis quidam substantiæ suæ Mens elargiatur, sunt enim quidam Mentis modi, ipsa nempè Mens peculiari modo cogitans, attamen servat aliquid quo liberè de specie, ac natura illarum imaginum judicet, etenim Hominum Anima quamvis veluti corporea atque Brutis affinis appareat, cum corporum, sensuumque imaginibus informatur; attamen cum se suprà corpora, ac sensus extollens, de corporum imaginibus, ac sensuum simulacris suprema quadam potestate alterum ab altero secernens, judicia profert, Mens, ac rationalis intelligentia dicitur, cui singula corpora, ac ipsa corporum phantasmata tanquam rei altioris ordinis, supremoque Judici subduntur, ut etsi de sua substantia corporum imagines constant, aliquid tamen in se servat Mens, quo illas earumque exemplaria nobilitate, ac perfectione excedere videt.

Mens corporis imaginibus capta.

Quo pacto Animus & corporibus, & illorum imaginibus se excellere videat.

Corpora supremo Mentis judicio subduntur.

Cum autem Mens corporum imaginibus tanto amore, tantaque familiaritate conjungitur, nullo negotio in fraudem trahitur, ac mirum in modum decipitur, existimans se aliquid illis simile esse. Ita enim illis quodammodò conformatur ac connectitur, ut in illis etsi verè se non videt, se tamen videre putat; non putat verò se corporis imaginem, sed omninò illud ipsum esse, cujus imaginem secum habet. Hinc quamvis revera non sit id, quod in corporum imagine intuetur, sibi tamen ex errore, ut aliquid corporibus simile repræsentat. Viget quippè in Mente judicium discernendi corpus quod foras relinquit, ab imagine, quam de illo secum gerit, ut videat imaginem intus in semetipsa, corpus verò extrorsum elucere,

Animus corporum amore obcecatus se corporeum esse putat.

IX. *Haud ravo extra se ipsum existere putat Animus, quod ei tantummodo inhæret.*

cere, contingit tamen aliquandò, ut arbitretur ipsas imagines, corporumque simulacra, quæ tantum ei adhærent, deforis extra se ipsam esse, ut illis qui dormiunt, aut delirant, aut insaniunt, aut tandem estasim patiuntur, contingere solet, qui cum revera corpora ipsa, quæ sentire censent, minimè existant, tantum in corporum imagines, larvasque quasdam feruntur, quæ haud in semet ipso, sed deforis extra incorporeæ suæ naturæ Regionem regnare putat Animus.

XII. *Quidam ex priscis Philosophis Animam corpus tenuissimum ac longè præstantius esse putarunt.*

Jam cum Mens, aut corporibus, aut illorum simulacris se similem esse putat, se corpus esse putat, attamen optimè scit, ac intelligit, se crassum, & organis instructum corpus regere, ac moderari, ut principatus sui, quo organico corpori dominatur, verè conscia sit. Hinc ortum est, ut quidam ex Philosophis a vero aberrantibus quærerent, quodnam corporis excellentius, ac perfectius genus in crassiori, ac imperfectiori organico corpore infusum sit Mens, cujus magna vis est in corpore, in quo aliquid amplius profectò valet, quam exterior ipsa corporis facies. Quod ut verbis exprimerent, dixerunt, Mentem totam in Anima delitescere, Animam verò partem quamdam etsi nobiliorem ipsius corporis esse, ejusdem prorsus naturæ & conditionis, ac corpora, ut temerè Empedocles, & Ericates existimarunt. Hinc Alii sanguinem, aut cerebrum, alii verò cor Animum esse putarunt, non quidem ut Sacræ Literæ intelligunt, cum apud Psalmistam dicitur: Confitebor Tibi Domine in toto corde meo, aut apud Deuteronomium; Diliges Dominum Deum Tuum ex toto corde tuo; etenim Sacræ literæ ut carnalium hominum captui se accommodarent, quod corporis verè est, vocibus abutentes, ad Animam transferunt, ut deinteriori spiritalis Mentis intuitu, & affectu, qui veluti Animæ cor est, non autem de corde, quod intrà corpus palpitat ac movetur, sermonem habeant: Ex adversò autem Philosophi cum Animam cor appellant, ipsam omninò particulam esse corporis arbitrantur, quam in visceribus dilaniatis intuemur.

Humanum Animum alii, ignem alii aerem, alii aliam corporis speciē esse existimarunt.

Quapropter licet priscorum Philosophorum non pauci Animam corpus esse putaverint, tamen de genere consentientes, de specie discreparunt, idcircò in varias abiere sententias, ut quænam corporis species Mens, aut anima sit, decernerent. Quamobrem non defuerunt, qui apertè docerent Animam hominis concitatissimum, vegetum, ac maximè actiuum ignem in crassioris corporis organis exardescentem esse. Quod verò hi Philosophi ignem, aerem alii effecerunt, ut quidam subtilissimus, ac summè mobilis vapor, aut flatus per crassioris corporis tubulos expansus, jugique motu excurrens, atque quaquà versum se movens sit Animus. Democriti verò sectatoribus placuit Animam effingi ex minutissimis ac individuis corporibus, quæ cum insectilia esse putarent, athomos dixerunt, quæ invicem adhæreant agant, copulentur, atque tali miro artificio mutuò disponantur, ut Mentem, seu principium ipsum intelligendi, quo crassum corpus regitur in homine, procreare, & contexere valeant. His tamen Philosophis refragantur, ac repugnant ii, qui Animam nullam esse substantiam, aut aeream, aut igneam, aut ex athomis fabrefactam esse opinantur, sed aliquid prorsus incorporeum, seu à corporis natura diversum, etenim ex una parte nisi corpus nullam substantiam poterant co-

Aliquibus vetustæ ætatis Philosophis placuit Animum haud corpus sed corporis modò tantum esse, & attributum.

gitare,

gitare, corpus, & substantiam idem esse censentes, ex altera verò parte Animam corpus esse non inveniebant, quapropter Animam nullam substantiam, seù nullam rem se ipsa existentem esse affirmarunt, sed potius substantiæ seu corporis modum, & attributum, ut Animus nihil esset, nisi, aut ipsa corporis nostri temperatio, aut primordiorum, seu elementorum, quibus ista caro tanquam connectitur, ordinata, ac concinna quædam compages, hi tamen omnes eam mortalem esse senserunt, quia sive Anima corpus esset, sive aliqua compositio corporis, non posset utique immortalitatis privilegio frui, ac perpetuò manere, sed tandem cum ipso corpore morti obnoxia interiret, cum aut igne extincto, aut vitali flatu dissipato in partesque suas dissoluto, aut athomis sejunctis, aut corporis temperatione, elementorumque harmonia perturbata, & interire ac perturbari statim Animam oporteret.

Mortalis est Animus, si corpus, aut corporis modus est.

Saniores verò, ac maturiores quidam sapientes extiterunt, qui cum viderent Animam ipsam vitam, quo corpus animatur, ac vivificatur, esse, Vita autem cum ex se vivat, nullo modo interire, ac mori possit, ideò Animam immortalem, & pariter incorpoream esse censuerunt. Hic tamen non immoror in exponenda opinione illorum, qui Animam à quatuor vulgarium elementorum natura sejungentes, quintum quoddam corpus esse dixerunt syderum substantiæ analogum, ut Anima ætherea, ac quodammodo cælestis quædam natura esset, altioris ordinis, & excellentior corporibus quæ sensibus objiciuntur, atque in elementari, & corruptibili Mundo continentur, de quà rè hoc tempore diù disputandum esse non puto.

Saniores Philosophi immortalem pariter & incorpoream esse Animum existimarunt.

Jam cùm corpoream rem aliquam esse dicimus, aut nomine corporis venit res sectilis, & extensa, spatiorum longitudine, latitudine, ac altitudine circumscripta, cuius pars maior, maiorem spatii partem absorbeat, minor verò pars minori parti spatii respondeat, modo quo & ego aliquid corpus esse, & intelligi statuo, quo pacto corporis naturam intellexerunt hi Philosophi, qui Animam corpoream esse putarunt. Aut cum corpus ore pronunciamus menti respondet ipsamet substantia, aut substantia tantum mutationi subiacens, iuxta quam interpetrationem Anima utique corpus esset, sed talis indolis, ut nulla locorum dimensionibus, ac distantiis contineretur, cum quibus de vocabuli significatione neutiquàm pugnandum, nam satis nobis erit, si ostenderimus, Animam incorpoream esse, si incorporeum idem, ac inextensum, insectile, atque nullo pacto in spatiorum mensuris exporrectum esse intelligamus, ut nulla res quanta, ac trina dimensione prædita in medium adduci valeat, cuius naturam a se non rejiciat Animus.

Nomine corporis venit aut res extensa, aut substantia mutabilis.

Si corpori s nomine venit substantia mutabilis, Animus corpus est, si vero res extensa, Animus omninò incorporeus est.

Dum verò in Philosophorum sententias animum converto, atque pariter intelligo prorsùs incorpoream esse Animam, cum spatiorum dimensione nulla comprehendatur, statim exploratum habeo, non ideo errare Philosophos opinantes Animam corpoream esse, quia Mens desit eorum notitiæ, cum verè illis germana Animæ Indoles pateat, sed potiùs, quia Animo adiungunt ea, sine quibus nullam posse cogitari naturam existimant, nam nemo inter sapientes floruit, cujus anima se ipsam ignoraverit, sibique manifestissimè non innotuerit, cum jam supra à nobis demonstratum fuerit, mentem esse sibi notam,

Erroris origo circa Animæ humanæ naturam evelatur.

ac totam sibi patentem etiam dum se quærit, ut noverit, aut se nescire putat, vel dubitat. Quod si aliquis illorum animam ignorasse videatur, ex hoc quod corporis affectiones incorporeæ animæ tribuerit, atque adeò finceram illius naturam minimè intellexisse appareat, hoc tamen ortum est non ex Animæ ignorantia, sed quia Animæ adjunxerunt id quod Anima nequaquam est, corporum nempè dimensiones, quibus posthabitis, ac à cogitatione rejectis, à verò turpiter aberrantes nihil cogitare, ac intelligere posse existimarunt. Quapropter cum Animam, quam verè intelligunt, simul cum extranea corporum substantià, spatiorumque mensuris imaginari velint, quod sciunt ignorare videntur, ideò nescientes, quia rei, quam intelligunt, naturam alienam, illique incongruentem adiungunt, ut in eorum distortis ideis veluti Anima deturpetur, ac infimioris rei admixtione, ac fœdo consortio propria quodammodò natura, & excellentia exuatur.

Extraneæ naturæ coniunctione veluti deturpatur, ac in humano Intellectu destruitur Anima.

Etenim cum Homines carnis oculis tantummodò videntes, cuncta sentire, & sensilium, extensarumque rerum simulacris imaginari assueverint, putant sese nihil posse cogitatione revoluere, quin unà extensum, corporisque mole tumens intelligatur, idcircò aut animam nihil esse, si corporum mensuris denudetur, aut nulla ratione cogitari, & a nobis percipi posse temerè arbitrantur.

Nisi aliqua corporis adsit imago, vulgus hominum ex quadam corporum consuetudine nullam rem animo revoluere posse putat.

XIV.

Quapropter admonemus, ne Mens se requirat tanquam sibi desit, ac se ignoret, cum nullo pacto se latere queat; Etenim quid tàm cognitioni adest, quam id quod Menti adest, quid autem tàm Menti adest, quam ipsa Mens, quæ cum suam ipsam cognitionem videt, se cognoscentem videns, se utique videt, ut se nescientem, aut dubitantem non intelligat, quin sibi confestim innotescat, præsensque fiat; cùm igitur Mens se quærens illicò in id veniat, quod quærit, jam se ipsam in semetipsa invenit. Quid enim tam in Mente est, quam ipsa Mens, ut nihil absurdius fingi posset, quam mentem aliquando a se ipsa abscedere, ac non venire in mentem, nam cum aliquid intelligit Mens, se ipsam intelligere scit, hinc quam libet sui cogitationem inspicere nequit, quin in ea mentem, se ipsam nimirùm intelligentem videat, atque adeò tàm sibi præsens est Mens ut nulla sit Mens, quæ se ipsam latens veluti a mente recedat. Cognoscit ergò se Mens, seque incorpoream esse scit, ac videt, cum se intelligentem videt, at quia de corporibus cum amore cogitat, atque cum sensilibus, corporeisque naturis commorari assuevit, nequit sine imaginibus illarum se intueri, ut illis semotis, se ignorare, atque quodammodò à se recedere, suique penitus oblivisci turpiter decepta putet. Errat igitur Mens, atque se ipsam quàm necessariò intelligit, ignorare opinatur, quia sensilium, corporeaque rerum imagines ac simulacra à se secernere nequit, ut se solam videat, ex quo potissimùm suæ deceptionis dedecus oritur. Cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris hujusmodi imagines, & hæc est illius immunditia, etenim cum se solam nititur cogitare, adeò corporum recurrunt imagines, tamque eam afficiunt, & implent, ut hoc se putet esse, sine quo nequit se cogitare, cum enim sine corporis imaginibus se videre, ac contemplari non patiatur, nullo negotio sibi suadet, se corpus esse, sine cujus imagine se cernere non posse censet, idcircò cùm

Non se requirat Animus, tanquam se ipsum ignoret.

Nihil magis Animo adest qua ipse met Animus.

Mens suam cognitionem videns, se ipsam utique videt.

Nihil tam in mente est, quam ipsa mens.

In quavis sua cogitatione se ipsam Mens videt, ac intelligit.

Cur Animus aut se ignorare, aut corporeum esse falsò aliquando putet?

Decipitur Animus se corporum imaginibus adnexum inspiciens.

cùm se non in semetipsa, sed deforis in extraneis naturis inquirat, atque in imaginibus corporum, quæ ab animi substantia prorsùs aliena sunt, se investigare gaudeat, aut se ignorare, nullamque sui veram similitudinem habere, aut corporea pollere naturà arbitratur.

Decipitur Animus dum in extraneis naturis haud in semetipso se ipsum inquirit.

Quamobrem cum Menti præcipitur ut se ipsam cognoscat, non quærat se tanquàm sibi detracta sit ac veluti è se recedens corporum imaginibus associata, sed à corporum consortio sejuncta, illorumque rejectis imaginibus, id quod sibi addidit, detrahat. Abjiciat enim a se sensilium rerum simulacra, tollat à sua natura quod extraneum, ac alienum est, se solam sine corporum imaginibus cogitet, & illico se ipsam cognoscet, atque corporum mensuris carere, manifestissimè intelliget. Præcipitur igitur menti, ut se solam omni extraneo rejecto cognoscat, nempè ut se illarum rerum admixtionem removeat, illaque impedimenta adimat, quæ vel prohibent, ut casta, & puriori notitia se noscat, aut animum in fraudem trahentes, illi se esse corpus, aut se ignorare falsò suadent.

XV.

Vt quid ipse sit intelligat Animus, id quod sibi addidit, a se detrahat.

Corporum imaginibus rejectis, illico sibi evidentissime innotescit Animus.

Cognoscat ergò Mens semetipsam, nec quasi absentem se quærat, amorem, quo extra se vagabatur, ac in corpora tendebat, statuat in semetipsam, & se ad se rediens atque tota in se collectat cogitet, ut haud in aliena, sed in sua substantia se ipsam intueatur. Hoc pacto extràneárum rerum imaginibus detractis, apertissimè intelliget, quod nunquam se non amaverit, nunquam nescierit, sed aliud secum amando cum eò se confundit, ac concrescit, quodammodo putans se esse corpus, a cujus imaginibus se sejungere non potest, & in quod turpi dilectione fertur, atque ità dum sicut unum diversa complectitur, se ipsam corporibus immiscens, unum putavit esse, quæ diversa sunt, in eamdem nempè naturam Mentem, & Corpus coalescere. Non præcipitur igitur Animo, ut se cognoscat, quia se ignorat, sed quia se perversè cogitat, præcipitur scilicet, ut se omni extraneo posthabito, ab omni corporum phantasmate sejunctum, nihil sibi addendo, intelligat; hoc illi præcipitur.

Precipitur Animo ut se ipsum sine ulla extraneæ substantiæ admixtione intueatur.

Quid requiratur ut se videat, & intelligat Animus?

Ut se ergò Mens rectè, & ordinato modo, ut suam addecet dignitatem, agnoscat, non se veluti absentem, cernere quæat, sed præsentem se curet discernere, non enim unquam a se ipsa abest, sed semper sibi præsens est, at cum sibi ipsi addit extraneum corpus, quod ipsa non est, quamvis se sibi præsentem videat, corrupto, ac perverso nihilominus modo se videt extraneæ naturæ consortio, & præsentià deturpatam, hinc non se ignorat, quia se non videt, sed quia simul cum se ipsa aliud quod amat, videt. Idcircò non se quasi non noverit, inquirat, cum se suæ naturæ quadam necessitate intus præcipiat, sed se ab eo, quod suæ substantiæ minimè congruit, nempè corpus, illiusque simulacra secernat, atque attentissimè sejungat, ut tota se cognoscendi vis in hoc sita sit, ut Mens nihil sibi addat, sed quidquid ipsa non est, a se abjiciat, cum se quærit, ut noverit.

XVI.

Extraneum sibi addens Animus falsò se ignorare, aut veluti sibi ignotum se inquirere censet.

Cum igitur præcipitur Menti, ut se ipsam agnoscat, & Mens præcepti vim, id nimirum quod ei præcipitur, intelligit, jam præceptum facit, & confestim se ipsam cognoscit, hinc eo ictu, quo à Mente intelligitur, quod dictum est, nempè quid sit cognoscere, quid sit se ipsam cognoscere, jam facit Mens quod præcipitur, ac se totam cognoscit.

Si nihil addas animo, iam intelligis animum.

scit, quæ nihil aliud nisi res se ipsam cognoscens, sui ipsius, suarumque operationum conscia. Deindè dum Mens intelligit, quid illi præcipitur, jam scit, & intelligit se intelligere, ac scire vim præcepti, cum autem se aliquid intelligentem videt, se utique videt, sibique præsto est, ut se intelligat; Quid enim aliud est Mens, nisi res tota se intelligens, res videlicet cujus tota natura in hoc collocata est, ut tota Mens, totus Animus, Ratio tota sit, res nempè cujus substantia ipsum actu intelligere sit, semper in motu, semper vivens ac semper intelligens. Hoc enim est ipsum Mentis esse, ac vivere, ipsum nimirum intelligere. Idcircò si quæras, quid sit Mens, nil occurrit, ut respondeam, nisi esse substantiam, quæ nihil aliud sit præter Mentem, nempè tota & sola Mens, ac res se intelligens, quæ non minus, ac sensiles, & corporeæ res, se ipsà vivit, subsistit, atque manet.

Animus nihil aliud est quàm Animus.

XVII.

Animum ad nullum corporis genus spectare subtiliter ac solidè demonstratur.

Attamen obmurmurantes ex priscis Philosophis quamplures audio, negantes Animam humanam nudam ac simplicem mentem à corporum natura omninò sejunctam esse, nam aut ignem, aut aerem, aut subtilissimam, ac ætheream auram, aut athomorum minutissimarum texturam, aut corporis temperationem, & harmoniam Animam esse putant, ut Anima simul cogitans, & corporea, intelligens, & extensa quædam natura dicenda sit. Attamen quam immanè falluntur? Nam ab illis quæro. Cum exempli causa Aerem Mentem esse docent, putant hoc, quod ore pronunciant, aut sciunt, nempe obscuram, dubiam tantum hujus rei notitiam, an potius evidentem, ac omninò claram habent? Sanè respondere nequeunt, se hoc scire, nam alii non minus celebres, & egregii Philosophi florent, qui haud aerem, sed ignem potius, aut aquam, aut aliquid aliud ab illis diversum, Mentem esse arbitrantur, putant igitur, haud sciunt, Mentem aerea substantià constare. Putat igitur haud scit, se aerem esse Mens, cum se aerem esse censet, cum tamen se aerem esse obscura, & incerta quadam cognitione opinatur, apertissimè scit, se intelligere, cum aerem se putat, quod non obscurè, ac dubitando, sed manifestissimè videt, etenim & si dubitare potest, an sit Aer, tamen sub dubitationem minimè revocare potest, quod sit res intelligens, nempè putans se esse aerem. Iam secernat, abjiciat Animus a semet ipso, quod putat, abjiciat nempè a se aeris formam, cernat autem quod scit, hoc ei remaneat, hoc nimirum quod scit, haud quod putat, tanquam suæ naturæ principium, illustrius, ac primæuum attributum retineat.

Qui Aerem, aut ignem, aut aliud corporis genus Animum esse sustinet, non id clare scit, sed tantùm obscurè putat.

Mens se aerem esse putans se tamen intelligere scit, haud putat.

Mira traditur analysis quo se parando Animi detegitur indoles.

Eodem pacto, qui affirmarunt haud aerem, sed aliud, & aliud corpus animam esse, putarunt quidem Mentem esse ignem, aut athomorum texturam, aut sanguinis florem, aut tenuissimum, ac æthereum flatum, attamen citrà quamvis dubitationem intellexerunt, se intelligere, ac scire, quod putaverunt. Neque enim omnis Mens se esse aerem existimat, sed aliæ ignem, aliæ cerebrum, aliæque aliud corpus, & aliud aliæ, omnes tamen se intelligere noverunt, & esse, & vivere, nam dum se intelligere sciunt, sciunt profectò se esse, & vivere, nemo enim actu intelligere aliquid potest, quin actu sit, & vivat, quod si hac de re Mens dubitaret, jam actu viveret, cum nisi Mens vivat, dubitare nequit, quod vivit; Quod enim nihil est, non dubitat, an sit

Animum esse rem intelligentem scimus an verò sit corpus dubitamus.

Vivit & est Animus, etiam dum se vivere & esse dubitat.

an sit, & vivat, concipi enim non potest, quod etiam se esse & vivere dubitet, aut putet id, quod non aliquid, sed nihil est.

XVIII. *Eodem ratiocinio, quo ostensum est Animum non esse aerem, aut ignem, ad nullum corporis speciem spectare pariter demonstratur.*

Attamen respondere aliquis posset se non affirmare, Mentem esse aerem, aut ignem, aut aliquam determinatam, ac peculiarem corporis formam, sed tantum esse rem extensam intrà corporeæ substantiæ genus comprehensam, cum nisi alicujus corporis imago occurrat, quid ipsa sit, Mens cogitare non possit. Hic tamen error, eodem pacto refellitur, ac rejecimus opinionem illorum, qui docebant Mentem esse aerem. Etenim cum Mens pravo corporum amore, ac nimia familiaritate obcæcata se rem corpoream, sectilem nempe, ac in spatij mensuris diffusam, & explicatam esse existimat, hoc sanè putat, non scit, nam quævis corporis species illi offeratur, illam a se optimè abjicere, ac removere potest, absque eo quod se illicò interire, ac necessario desicere intelligat. Modo quo suprà ostendimus adversus eos, qui aerem, aut ignem Animam esse censebant. Deindè quod Anima sit extensa, ac in spatiis diffusa putatur, non scitur, sunt enim aliæ Mentes, quæ nihil horum quæ sensilibus rebus congruunt, se esse arbitrantur, sed alterius naturæ à corpore; Attamen dum Mens se esse rem aliquam extensam putat, se intelligere scit, haud putat, etenim non incerta, & caliginosa notitia, sed summè clara, ac certa cognoscit, se esse rem intelligentem, etiam dum se esse corpus aliquod, in spatiisque exporrectam putat, putatur namque extensio, haud ipsum intelligere, quod firma, ac manifesta quodam scientiâ comprehenditur. Sejungat ergò denuò Mens à se ipsa quidquid putat, cujusque corporis speciem, ac imaginem a se removeat, statim se ipsam casto, & puro quodam intuitu videbit, se nempè esse rem intelligentem, totumque Animum intelliget, quod solum remanet; cum id quod putatur ab illa accurate sejungitur ac removetur.

Animum in spatiis explicari putatur non scitur.

Animus se intelligere, dum se corpus aliquod esse putat, non putat sed scit.

Extensio putatur haud intelligere.

Cum extraneum ab Animo se jungitur, nuda remanet intelligentia in quæ tota Mentis collocatur natura.

Ut igitur nostra Mens quid verè sit citrà erroris periculum indubitanter intelligat, removeat, a consideratione sua singulas notitias, quas extrinsecus ex corporis sensibus hausit, atque id tantum, cujus certa est, nullamque habere potest dubitationem, diligentius attendat. Utrum enim Aeris sit vis cogitandi, vivendi, reminiscendi, an Aeri per organicum corpus celeri, ac jugi motu excurrenti competat potestas intelligendi, judicandi, volendi, sciendi, an potius ignis, an cerebri, an sanguinis floris, an minutissimarum athomorum, an præter usitata quatuor elementa, quinti nescio cujus corporis sit hujusmodi Virtus, ac facultas, an ipsius carnis nostræ compago vel temperamentum hæc efficere valeat summopere dubitaverunt homines, & alius hoc, alius illud affirmare ausus est, ut opinionum diversitate invicem pugnantes in contrarias sectas abierint, etenim aliquibus ignem esse, id, quod in homine intelligentiâ, ac cogitatione pollet, arrisit, aliis verò aerem, aliis aliud corpus, aut corporis modum, ac configurationem, cum autem an sit corpus, aut cujus corporis species, & affectio Anima sit, dubitaverint, nullus tamen illorum extitit, qui vivere se, & meminisse, & intelligere & velle, & cogitare, & scire, & judicare in dubium verterit. Quandoquidem etiam qui dubitat est, & vivit, etenim si non esset, sanè non dubitaret, si autem dubitat, undè dubitet, meminit, si dubitat, dubitare se intelligit, si

Animum corpus aut corporis modùm esse dubitarunt homines intelligentia tamè illum gaudere intellexerunt.

dubitat,

In ipsa met sua dubitatione quid ipse sit indubitanter intelligit Animus.

dubitat, certus esse vult, nam dubitans quærit, non ob aliam tamen rationem quærit, nisi ut sciat, id quod ignorat, aut obscurè tantùm percipit; si dubitat, cogitat, nàm conscius est sui dubii, si dubitat scit se nescire, nam si sciret, haud dubitaret, si tandem dubitat, intelligit, ac iudicat se non temerè consentire oportere, nam non ob aliam causam rectè dubitamus, nisi ut præceps iudicium, atque inconsiderantiam vitemus.

XIX.

Homines opinionem scientiæ præponentes, incorporeum Animum aut, corpus, aut corporis harmoniam & temperationem esse falsò existimarunt.

Cùm igitur incerta sint omnia, quorum Mens dubitat, certum profectò dicendum est id, cujus firmissimam scientiam tenet. Hinc cum Mens dubitare citrà ingeniti luminis injuriam valeat, an sit aer, an ignis, an corporis temperamentum, nulla tamen ratione in dubium revocare possit, quod intelligat, sit & vivat, etiam cum se esse & vivere dubitat, evidentissime infertur, haud corpus, sed rem se totam intelligentem Animum esse.

Animum neque corpus, neque corporis harmoniam esse nova & peracuta quidem argumentatione demonstrat Augustinus.

Idcircò cum homines quod certum, & manifestum est deserentes, ut Animæ naturam detegant, ad ea, quorum nullam certitudinem, & evidentiam habemus, confugiunt, opinionum pugna mutuò discrepant, atque maximoperè laborant, ut explicent, an Anima sit substantia, an potius modus, & attributum quoddam inhærens substantiæ? Quapropter ex veteribus Philosophis, qui tuentur mentem, aut ignem, aut aerem, aut sanguinis florem, aut corpus alterius generis esse, substantiam illam existimarunt, ita ut Mens sit principium, & subjectum, cui insit Intelligentia; attamen qui corporis Harmoniam, ac temperamentum partiumque dispositionem, ac concinnam quamdam combinationem, & consonantiam esse censuerunt, his placuit, Mentem appellare modum, & affectionem aeris, sive ignis, sive ethereæ naturæ, quibus corporibus tanquam proprietas ac modus intelligendi, ac cogitandi potestas adhæresçat. Quàm tamen a veritate hi Philosophi deflectant, quis nisi mentis inops inficiari audebit? Nam Mens tanta vi, tantaque potestate pollet, ut etiam se inveniat, se sciat, atque intelligat, dum se quærit, ut suprà solidè ostendimus; at si nescit, cuius naturæ sit, si suam substantiam ignorat, quo pacto se ipsam scire, & intelligere potest? Nequit enim rectè dici, quod aliqua res sciatur, dum ejus ignoratur substantia. Hinc cum Mens se novit, substantiam suam novit, aliter se ignoraret, si quænam res ipsa sit, nesciret, at cum de se certa est, de sua substantia profectò certa est. Certa autem est se scire, iudicare, inteiligere, etiam cum de his rebus dubitat, atque adeò suæ vitæ, æxistentiæ, ac intelligentiæ plenissimam habet certitudinem, attamen non omninò certa est, an sit aer, an ignis, an aliquod corpus, an corporis modus, & affectio? Non est igitur aliquid eorum. Nam si aliquid illorum esset, cum nihil magis sit in mente, quam ipsa Mens, quæ sibi interior, ac præsentior est, quàm naturis extraneis, ac extrà ipsam collocatis sit, sanè se, aut aerem, aut ignem, aut aliud corpus esse videret, aut corporis modum, & attributum in semetipsa cerneret, etenim quia in Mente intus adest vis intelligendi, etiam cum quid sit ipsa quærit, huiusmodi potestatem cogitandi in se videt, nam intelligit, se esse rem, quæ scit, iudicat, atque intelligit, etiam cum dubitatione torquetur, cernit enim in se ipsa, quidquid illi intima quadam præsentia affulget, quod

Nequit Animus id quod ad sui naturam spectat ignorare.

Animus scit se esse Animum, an vero sit corpus hæret.

Si Aer aut Ignis esset Animus, se aerem aut ignem esse neutiquam putaret, sed sciret.

non

non de foris, ſed intrinſecus advenit; Si igitur, aut aer, aut ignis, aut athomorum textura, aut corporis temperatio, ac modus eſſet Animus, hæc omnia, cum ſuam naturam, & Indolem intrinſecus efformarent, procul dubio ille, cum ad ſe ipſum convertitur, videret, ac indubitanter intelligeret, quod ſanè, ut vidimus, non contingit.

Neque ſi Aer, aut Ignis animus eſſet, hoc per phantaſiam, ac alienas imagines à ſenſibus emendicatas ille cognoſceret, ſed puriſſimo quodam ſuæ intelligentiæ obtutu in ſemetipſa videret, ac intelligeret. Etenim etsi imaginationis, ſenſuumque ſimulacris, ac figmentis indigeat, ut abſentia, quæ extrorsùm elucent, & quæ ipſa Mens non ſunt, agnoſcat, ac videat, attamen non ſic contingit, cum ea, quæ intrinſecus poſſidet, & quorum certa eſt, videt, nam hæc in ſe ipſa quovis phantaſiæ idolo poſthabito videt. Hinc quia intelligendi, ſciendi, cogitandi poteſtas Animæ ſubſtantiæ intus inhæret, ideò ſingula hæc in ſe per ſe ipſam nudæ intelligentiæ oculis cernit. Non enim quidquam illi eſt ſe ipſa præſentius, ac cum ſe quærit illicò ſibi præſto eſt, ut ſe videat, quemadmodùm ergo videt, ac ſcit ſe intelligentem, cum aerem, aut ignem ſe eſſe putat, cur, ſi verè aer eſt, aut ignis in ſe ipſa, aut aeream, aut igneam ſubſtatiam effloreſcere ignorat, aut certa, & manifeſta cognitione non comprehendit? Sicuti namque cogitat, & per ſe ipſam ſcit nullis extranearum rerum, aut imaginum auxilio vivere ſe, & meminiſſe, & intelligere, cur ſimili modo non animadvertit, ſe eſſe aerem, aut ignem, aut alterius corporis genus, ſi Aer, aut Ignis, aut aliud corpus eſt? Aut cur hæc non intelligit per ſimplicem ſuæ Intelligentiæ intuitum, quæmadmolum percipit ſuum velle, ſuum Intelligere, ac ſuas ceteras cogitationes, quas in ſe ipſa cognoſcit, nec imiginatur, quaſi extra ſe illa ſenſu tetigerit, ſicuti corporea quæquæ tanguntur? Idcircò ſi ex corporum imaginibus ac notitiis nihil ſibi affingat, ſi quod extraneum eſt, incertum, ac abſcurum à conſideratione ſua rejiciat Animus, ut non ſe putet aliquid eſse eorum, quorum incertus eſt, quidquid ei de ſe remanet, hoc ipſe eſt. Singulis autem rebus detractis, quæ ſub dubium, ac incertitudinem cadunt, cunctis nempè rebus extenſis, in ſpatiorumque intervallis exporrectis omninò ſemotis, quidquid veluti firmiſſimum fundamentum Animi manet, hoc procul dubio humanus Animus eſt, res nempe intelligens ac ſe ſciens, etiam cum ſe quærit, aut ſe ſcire dubitat, quod inſigniſſima quædam mentis noſtræ perfectio eſt, qui ſupràcorporum conditionem evehitur, ac mirum in modum extollitur. Hoc igitur jubet præceptum, quo Mens ſe ipſam cognoſcere admonetur, ut tantùm hæc videat, & cogitet id, cujus ipſa certa eſt, a ſe verò quod incertum eſt, detrahat; ut pro ſua natura id ſolummodo amplectatur, quod evidenter intelligit, rejiciat, ac à ſe removeat, quidquid aut ignoratur, aut in dubium optimè verti poteſt.

Quidquid ad interiorem Animi naturam ſpectat haud ſenſu & phantaſia, ſed nuda cernitur intelligentia.

Si corporis mole laboraret Animus, hic ſe corporeũ eſſe citra ſenſus & imaginationis actionem evidenter intelligeret.

AVGVSTINI INVESTIGATIO

De Mentis Humanæ natura in Libro X. de Trinitate, diversa ratione expositа.

SEU

Augustini Animus suæ naturæ insignius ac Princeps attributum Analytica methodo excogitans.

Quid ipse sit accuratissimè inquirit.

CUm me ipsum agnoscendi ardentissima cupiditate flagrans, intelligentiæ oculos in me converto, summoque labore, summaque diligentia, anceps, ac meditabundus, quid ego sim, inquiro, tot simulacra, totque rerum imagines in meæ memoriæ sinu, ac imaginandi potestate repositas intueor, ut quænam illarum similitudinum sinceram, ac genuinam meam naturam verè exprimat, atque mihi citrà dolum, ac simulationem indicet, infeliciter ignorem, ac nulla ratione decernere valeam. Me namque innumera phantasmata, innumeraque idola adeò obsident, intelligentiam insolenter occupant, meumque amorem audacter rapiunt, ut quidquid illa mihi exhibent, id me perperàm esse putem, ac velim. Representant enim mihi res quasdam sectiles, extensas, mole, partibusque instructas, quibus tanta familiaritate obstringor, ut de illis nimium cogitare assuetus, sine illis me cogitare non possim, ac nolim. Putans me nihil esse, aut me intelligere non posse, si extensarum, sectiliumque rerum imagines a me abjiciam, spatiorumque mensuras, ac intervalla prorsus à cogitatione sejungam. Idcircò nihil est, quod tàm amen, tamque complecti, ac retinere gaudeam, quam hujusmodi corporum idola, quorum commercio summopere gaudeo, quibusve posthabitis, me à me ipso recedere, intelligendi lumen in me extingui, vità, & actione destitui, deceptus turpiter arbitror.

Innumeræ corporum phantasmata Augustini mentem obsident.

Corporum amore & nimia familiaritate deceptus.

Quapropter me veluti extrà me in extraneis rebus inspicere, ac contemplari studens, in qua corporum imagine me cernere, mearumque affectionum, ac virium fontem, & originem detegere valeam, totis nervis adnitor, quod dum anxius, maximèque perplexus inquiro, ingeniosa quadam, ac subdola æmulatione fingula corpora, quæ in tot, tàmque diversis simulacris, ac imaginibus intueor, me illis affinem, eorum-

rumque generis esse, suadere conantur. En Aer, qui longè, latèque per elementaris universitatis intercapedines explicatus, telluriſque globum quaquàversum ambiens, me illo constare, ex illo ortum ducere, ostendere nititur. Quid quæso te, aliud es tu, inquit Aer, nisi subtilissimus quidam flatus, tenuissima quædam aura, quæ per tot, ac varia humani corporis organa concinno, ac congruo quodam motu excurrens, ac potissimùm in cerebro, & corde residens, intelligendi, cogitandi, ac volendi virtute munitur, quæ quamdiù viget, ac regnat, tamdiù vivat, & efflorescat in humano corpore intelligentia, quæ tandem dissipata aurà, atque soluto vapore intereat.

Dubitat an sit Aer.

Attamen Aeri obsistens Ignis, concitata, summèque rapida flamma est Animus, ille ait, quæ dum in corde accenditur, ac quibusdam motionis localis legibus in organis cietur, expanditur, intellectusque viribus exornatur in vividam, ac vegetam Mentem erumpit, quæ si extinguatur, tota Animi potestas procumbat. Haud absimili ratione & Aqua, & AEtherea cælorum substantia, ac quidquid partium tenuitate, ac virium efficacia in rerum Universitate pollet, me illi omninò simile, ejusdemque indolis esse, arroganter inclamant; Dum autem hujusmodi corpora, quæ in Meis Ideis ac notionibus perpetuò viuunt, me ejusdem cum ipsis substantiæ esse mihi indicant, elementorum harmonia, corporisque temperatio quædam animo sese offerunt, quæ simulata, ac fraudolenta ratione me haud substantiam, sed substantiæ modum, ac veluti corporum incorpoream quamdam affectionem esse, commonstrant: nam dum concinno, ac congruo quodam nexu elementa invicem adnectuntur, ac humani corporis partes mira quadam consonantia mutuòque admiscentur, ac temperantur, rationis, ac intellectus vim in lucem prodire docent, ut elementorum, partiumque harmonia perturbata, aut eversa, perturbetur illico Mens, aut evertatur Idcircò si à mea consideratione aer, ignis, æther, aliaque subtilissima, ac valida corpora, aut primordiorum temperatio, nexus, & harmonia removeantur, quid sim ego, prorsus ignorare existimo, ut me inter harum rerum imagines, ac simulacra tantùm invenire posse, opiner.

Ignis, Aqua, Æther corporeum Animæ esse suadere videntur Augustino.

An sit potius Harmonia corporis aut temperatio ambigit.

Cum autem hæc omnia accuratissimè expendo, confestim intelligo, quod etiam si ex aere, aut ex igne, aut ex ætherea natura constarem, aut ex alterius ordinis corpore originem traherem, aut elementorum temperatio, & harmonicus quidem nexus essem, non posse tamen me citrà dubitationem affirmare ex una re potius, quam ex altera ortum ducere, ac procreari. Etenim nullam manifestam, certamque rationem invenio, quæ assensum cogat, ut sive Aerem, sive ignem, aut aliud corpus, aut corporis peculiarem quamdam affectionem esse, omni animi perplexitate semota, judicare debeam. Quodvis enim horum mihi offeratur, statim in me dubitatio oritur, an illius generis sim, ut ex alio corpore diversæ rationis constare, & progigni æquè non valeam. Deindè non adeò me extensum, mole, partibusque pollere planè, evidenterque innotescit, ut me aliquid aliud corporibus excellentius, longèque præstantius esse in dubium vertere nequeam: nam si operationes, in quas mea erumpit potestas, ut amor, intellectio, judicium, sapientiæ studium, felicitatis summique Boni ingenita cupiditas à partibus, extensione, corporumque magnitudine sunt prorsus alienæ, cum

III.

Dubitatio solvitur, & incorpoream prorsus animum esse demonstratur.

Mentis operationes incorporeæ.

insectilis quævis mea cogitatio sit, cujus nulla pars, nulla mensura, aut dimensio decerni, aut à me percipi potest; si meæ inquam cogitationes, interioresque intelligentiæ actiones, inextensæ sunt, & incorporeæ, quid quæso prohibet, quod inextensa pariter, & incorporea, & ipsa mea substantia sit, a qua inextensæ actiones emanant, ut nihil horum corporum, quæ imaginor, aut sensuum ope percipio, sim? Nihil ergò vetat, quod animus verè sit, ac vivat, & tamen nullum corpus sit, ut quemadmodum à divisione, & mole omninò illius abhoret operatio, eodem pacto partes, corporumque magnitudinem a se abjiciat Animus, ex quo tot incorporeæ, ac spiritales cogitationes à spatiorum intervallis sejunctæ incessanter emergunt.

Incorporea operatio ab incorporeo Principio proficiscitur.

IV.

Attamen si nihil horum corporum sum, quæ in memoriæ, ac phantasiæ simulacris exprimuntur, si nulla vitalis rerum imago, & cogitatio sinceram animi naturam mihi verè repræsentat, quid igitur, & cujus generis sum? Ubi me ipsum videam, ac agnoscam, si corporum imaginibus semotis, me cogitare, ac percipere nequeo? Si corpus non sum, nulla sanè superest mihi notio, in qua me cernam, cum nisi me sub alicujus corporis specie videam, quid sim, aut prorsus ignoro, aut obscurè, confusèque percipio. Profectò quò me vertam, nescio, ut, cujus indolis, & naturæ sim, manifestissimè intelligam. Quid tamen acerbius, quidue durius, quam id, quo cætera intelligo, me prorsus ignorare? Quæ humanæ Mentis infelicitas est ista? Ut cum nihil ei se ipsa intimius sit, atque præsentius, se ipsam tamen nesciat, quæ verò extrà suam naturam, & absentia sunt, sciat.

Nova emergit Dubitatio ex præjudicatis infantiæ opinionibus ortum ducens.

Mens se quærens extrà se ipsam inter corporea, ubi non est, se temerè ignorare aut corpus esse putat.

Fortasse, quia me quæro, ubi non sum, atque meam naturam investigare studeo in extraneis rebus quæ ad me minimè spectant, me aut non invenio, aut quærens id ipsum, quod scio, & jam possideo, me non adhuc id inveniſſe, dolo circumventus puto. Ut autem hujus rei certus fiam, ac tandem ubi me quærere, & cernere possim, me intelligam, valdè opportunum, ac salutare existimo, ut enitar me ab hujuscemodi corporum Idolis, & imaginibus sejungere, atque fingula phantasmata a purissimæ Intelligentiæ Regno eliminare. Nam contingere posset, ut extraneo, & alienigena detracto, corporum nempè imaginibus tanquam impedimentis rejectis, quid ego sim, caligine fugata, rationis lumine affulgente, planissimè intelligam. Recedite igitur à me turpissima, ac impura corpora, neque me deinceps vestræ imagines erroris dedecore deturpent, atque a veritatis luce me removeant, meam considerationem effugiant, meamque intelligentiam omninò lateant aer, ignis, æther, corporumque harmonia. Atque effingere mihi liceat, me neque Auram, neque flammam, neque aliquid horum corporum esse, quæ sensibus, ac phantasiæ obversantur; quantùm quoque vires suppetunt, cogitationem à sensilibus rebus sejungere concedatur; hoc pacto fortasse percipiam, quid tandem in me remaneret, si hæc omnia à me separa vero, in quo me cernere, ac intellige-

Corporum imagines a se rejicit ut se ipsam apertissime Mens intelligit.

re valeam.

V.

Attamen fieri posset me falli, cum puto me ipsum cognoscere posse sine imagine illius rei, cujus generis sum. Fortasse constabo ex aere, quamvis adeò hoc me lateat, ut nullo modo apertè mihi innotescat, quod sim aer. Non enim necesse est, ut sciam, ac manifestè cernam, quid sim. Quamobrem summoperè vereor quod potissimum in hoc decipiar, ut exi-

An decipiatur Animus putans se sine ulla corporis imagine cogitare posse?

ut existimem posse me sepositò quovis corpore intelligere, ut perpetuò errans, atque à vero declinans, ubi non sum, me quæram, ac putem me esse sejunctum, & diversum ab eo, ex quo efformatus veluti ex materia sum. Demus tamen, ut facilius, ac expeditius inveniendæ veritatis spe abrepti ratiocinemur, me constare ex aere, ipsum tenuem, summèque fluidum aerem esse, jam quid ex hujus rei positione manifestè, aq confestim sequatur, videamus? Sum ergò aer, at si substantia, qua consto, ipse aer est. sanè nisi me aerem videam, me nullo pacto cernam, quidquid enim verè intelligitur, in eo videtur, ubi illius vera substantia, ac sincera natura adest, secus sine se ipso aliquid intelligi, cernique valeret, quo nihil absurdius, nihilque à veritate alienius. Si hoc autem pacto res se habet, rejiciam a mea consideratione quamvis Aeris similitudinem, ac imaginem, nam si hujusmodi peracta separatione nihil in me remanet, quo me esse, & vivere ulterius intelligam, aer profectò sum id tamen nullo pacto contingit, Etenim æquè possum opinari, quod sim ignis, aut corpus alterius ordinis, aut non substantia aliqua corporea, sed quædam corporis harmonia, & temperatio, nam non desunt aliorum hominum Mentes, qui mentem, haud aerem, sed potius ignem, aut aliud corpus, aut corporis temperamentum esse putent, idcircò non adeò clarè, & apertè me aerem esse cerno, ut me aerem esse sciam, non putem, putatur namque quidquid obscurè perceptum sub dubitationem, ac controversiam rectè cadere potest. Si ergò haud scio, sed puto me esse aerem, cum nihil prohibeat, quin sim potius ignis, oritur me nescire an sim aer; at dum an sim aer, ignoro, aut dubito, nullo modo possum dubitare, quod intelligam, cogitem, vivam, nam si puto, aut dubito, me esse aerem, puto, aut dubito me intelligere aerem, attamen scio, non puto me intelligere, nempè scio me putare, aut dubitare quod sim aer; dubitatio namque, ignorantia, aut opinio respiciunt aerem, circà vero ipsum intelligere, scientia, evidensque cognitio tota versatur. Quapropter etiam si rejiciam, ac separem a me aerem, adhuc intelligo aliquid certum, ac firmum in me remanere, unde vitam, & existentiam trahere valeam, nimirum ipsum intelligere. Nam dum scio me putare, aut dubitare an sim aer, intelligo sanè me esse rem putantem aliquid aut dubitantem de aliquo. Si intelligo, sum, existo, vivo; nequit enim, quod nihil est actu intelligere, secus aliquid esset, & pariter nihil, quod manifestam in voluit fa fitatem. Quamobrem si à me sejungo aerem, adhuc manifestissimè colligo me existere, ac vivere, ex hoc tantùm, quod putem, aut dubitem, nam per hoc solum quod sim res tantùm putans, & dubitans, nempe aliquo modo cogitans, jam intelligo citrà dubitationem, me esse, ac vivere. Eodem modo ratiocinandum erit de igne, æthere, sanguinis flore, & quovis alio corpore, corporumque temperamento.

Ingeniosè ac solidè & incorporeum esse animum, & sub nullâ cujusvis corporis imagine representari posse demonstratur.

Quavis imagine corporis rejecta adhuc se esse & vivere intelligit animus.

Sejungam igitur à me id quod puto, id nempè, cujus incertus ac nescius sum, retineam tantùm id, quod scio, cujus naturæ ac existentiæ sum certus. Quid tandem eveniet? Rejecto extraneo, remanebit id quod sum, natura nimirum Animi, qua & existo, & cogito, & vivo, remanebit enim res aliqua intelligens, sciens se esse, etiam dum de sui existentia dubitaret. Quæ quidem res optimè se ipsa quovis semoto corpore subsistere, & vivere potest, suarum perceptionum, cogitationumque sub-

Mens extraneas res à se jungens illico se ipsam intelligit.

Mirabilis Augustini Analysis ad Mentis naturam detegendam.

subjectum ac fundamentum, cui satis est, ut sit, & vivat, quod intelligat, aut etiam se existere, & vivere dubitet. Intellecta enim, ac posita meæ dubitationis scientia, illicò in me ponitur res ipsa intelligens, quæ dum intelligit, est, vivit, atque a nihilo prorsùs distinguitur. Si ergò a me seiungam aerem, ignem, aquam, & singula alterius generis corpora, cunctasque corporum affectiones, semper manebit in me meæ vitæ, & existentiæ origo, ipsum nempè intelligere, quo me esse corpus, aut corporis modum, & attributum puto. Jam secernam, abjiciam a me quod puto, cernam quod scio, hoc sanè maneat, ut quid sim, intelligam. Sum enim res intelligens, ut nihil aliud sim quam animus; nam si totus Animus sum, ut nihil aliud sim præter animum, res nempè cujus totum, & integrum esse, est ipsum intelligere, jam verè sum, existo, & vivo, etsi a me intelligentiæ vim, & cogitandi exercitium auferrem, me aliquid esse, & existere nullo modo intelligerem, ut unicum ac firmissimum meæ vitæ, & existentiæ fundamentum ipsum actu intelligere sit, quo dempto nihil mihi supereſt, unde colligam, ac videam me aliquid esse, me vivere atque a nihilo seiungi.

VII.

Erroris origo detegitur.

En quod summoperè me delectat, nàm quid sim ego intellexi, erroris, ac ignorantiæ pariter originem feliciter inveni. Errore detinebar, & ignorabam, dum me ignorare, ac nescire putabam, me quasi absentem, ac nescientem quærens. Attamen non ob aliam causam fallebar, nisi quia me in iis naturis me quærebam, ubi haud me, sed extraneas substantias intuebar, quia nempè quærebam haud in me ipso, sed deforis extrà me, atq; in vitalibus mearum cogitationum imaginibus corpora, haud me intelligentem cogitans, addebam mihi id quod non eram, extraneam nempè rem, & à mea natura multùm alienam; volebam enim mé cognoscere admixtum iis naturis, in quibus nulla ratione est, & vivit Animus, atque, dum aut Aerem, aut ignẽ, aut corporis temperamentum cogitatione revoluebam, minimè animadvertebam in id, quod tunc sciebã, ut quod putarem ab eo, quod scirem, secernerem, atque adeò unam rem pro alia accipiens, scientiam relinquens, tãtum quidquid opinabar amplectens, me nescire opinabar, cum me verè sciebam, ac me quærebam, quasi à me abesſem, eo ipso tempore, quo nihil mihi me ipso manifestius erat, ac præsentius. Nàm dum in aeris phantasmate aerem me esse putabam, seù opinabar aeream in me cernere substantiam, confestim necessitate quadam meę naturæ me videbam, ut me ignorare non valerem, etenim illicò me cogitantem, ac intelligentem videbam, at me intelligentem inspiciens, jam verè me intelligebam, extranei verò corporis fędo quodam amore captus ac nimia tenebrarum familiaritate obcæcatus turpiter cxistimabam me ignorare, cum me verè sciebam, Hinc mihi adnectens ea, quæ ad me neutiquam spectant, lucem caligine offundi, scientiæ ignorantiam adjungi quodammodò gaudebam, ut non ob aliam rationem Animus animum lateret, nisi quia Animus non se in se sed deforis, & extraneo sibi adjuncto, se noscere, seque cernere studebat.

VIII.

Animus nihil aliud est præter Animum. Animus se quærens, jam se ipsum invenit, ac vidit.

Detraham igitur a me quod addidi, ut quid sim, intelligam, sum enim res intelligens, totus animus, talis ergò sum indolis, ut etiam cum me quæro, ut me noscam, jam verè me novi, dum namque quæro quid sim, ignorare profectò nequeo, quod me quæram, atque adeò intelligo me esse rem me quærentem. Dum autem me quærentem in me video, jam me in me ipso cerno, & scio, cerno namque me cogitantem, nempè scientem, ac

ac intelligentem, quod sim res se quærens. Attamẽ dum quæro quid sim, nescio sanè meam naturam, nam qui quærit, dubitat, ac ignorat id quod quæritur, etenim nullo modo quæreret si sciret, aut non dubitaret se nescire, quod quærit. Hoc utique non inficiar, incolumis tamen manet assertio mea, nam si cum quæro, dubito, ac nescio id quod quæritur, video igitur in ipsa dubitatione, & rei quæsitæ ignorantia, me dubitantem, ac scio me nescientem, id quod quæritur; at si scio, intelligo, scio igitur me intelligere, ac cogitare etiam cum dubito me scire, & quęro quod nescio. Hinc cum nihil aliud sim, quàm Animus res nempè se intelligens, manifestissimè liquet non posse me videre intelligentem, quin videam, atque intelligam, quid sim. Cum ergò me quæro, confestim mihi præsto sum, ut me videam, nihil enim me ipso præsentius atque nihil tam in Mente est, quam ipsa Mens quæ dum se totam quærentem ac dubitantem videt, se totam videt, nam totus Animus se quærit, ut se totum intelligat.

Nequit animus se ipsum ignorare.

Sum igitur res se totam intelligens, etiam dum se totam quærit, aut se totam ignorare dubitat. Non enim pars Animi, sed totus Animus intelligit, nam detur pars mei si fieri potest, quæ non intelligat, nihilque actù cogitet, jam hæc nullo pacto ad animi naturam spectabit, nam pars, quæ in me intelligeret, ac se quæreret, hæc esset tota natura mea, nulla si quidem mihi affulget ratio, quæ ostendat præter hoc, quod in me actu intelligit, & cujus certus sum, florere in interiori mea substantia aliquid aliud me integrans, atque perficiens, quod tamen me lateat, ac se ignoret, cujus nullam habeam certitudinem, nam cum tantùm putarem haud scirem in me hanc partem, quæ se omninò nescit, elucere, si illam sanè a me secernerem, jam tota natura mea maneret, cujus omninò certus essem. Neque video cur ignorare deberem aliquid meæ substantiæ, quæ mihi intimi or est iis rebus, quas deforis scio, & cujus ope, quod à me ignoratur, intelligo, cum ergò totus ego sim, qui me totum intelligere? sciam, ac videam, oportet, ut haud ex parte, sed integram, ac totam meam substantiam videam. Si autem cum me etiam dubitantem ac nescientem aliquid intelligo, me cerno, necesse est, ut me intelligam ac videam in quavis Idea, ac mea cogitatione delineatum, ac exscriptum, etenim nequeo in quamvis meam Ideam, ac perceptionem animadvertere, quin me cogitantem videam, hoc pacto cum meam dubitationem, aut amorem meum inspicio nihil aliud cerno, nisi me dubitantem, aut amantem, nihil aliud siquidem est dubitatio, aut amor, nisi ipsemet animus quodam peculiari modo ad res tendens, suarum operationum conscius, nullius enim rei tam certus sum, quam mearum cogitationum eo ipso tempore, quo a me tanquam à fonte profluunt, nam & dubium ab amore, & quavis alia perceptione, omni semota confusione, secerno, illiusque existentiæ adeo certus sum, ut nullo modo dubitans in dubium revocare valeã, quod dubitẽ,

Mens se totam quærens, se totam intelligit.

Mens se ipsam in quavis sua cogitatione exscriptam invenitur.

IX.

Attamen si me totum quadam meæ naturæ necessitate intelligo meamque integram substantiam agnosco, quid causæ est, quod mihi tam severè præcipiatur, ut me ipsum agnoscam? Frustrà enim precipitur id quod Mens omittere, ac transgredi non potest? Preceptum hoc mihi datur, non ut intelligam, ac sciam me, quem neutiquam ignorare possum, sed ut agnoscam me non perversè, sed rectè, nempè ut extraneum, quod addidi a me detraham, cum me cogitare volo; nam perversè, ac malè cognoscitur, quidquid haud in se ipso, sed deforis ubi non est, cogitatur, aut admixtum ei, quod diverse, ac deterioris indolis est inspicitur Præcipitur

Cur animus se ipsum agnoscat præcipiatur?

mihi

mihi ut tenaciſſimo fœdi amoris vinculo, quo corporibus obſtringitur Animus, diſrupto, me ſupra corpora evectum, atque à quavis corporum imagine ſejunctum cernam, ut corporibus me præſtantiorem, Deo verò inferiorem me videam; hoc enim pacto me nudum, omnique extranea natura ſpoliatum inſpiciens, me ut ordo rerum expoſcit, & jubet ratio, agnoſco, atque dum à Deo regi, ac regere corpora exopto, meque rectè cogito, ad honeſtè, ac ſanctè vivendum præparor, quod præcepti meta, & ſcopus eſt. Idcircò ſi me in me, haud extrà me in extraneis rebus inquiram, ſi a me quidquid putatur, ac incertum eſt, abjiciam, ſummaque cura removeam, quid ſim citrà erroris diſcrimen percipiam. Quamobrem eodem ictu, quo vim præcepti intelligo, cum audio, cognoſce te ipſam, me neceſſariò intelligo, ac jam cognoſco, ut præceptum adimpleã ipſo tempore, quo quid illud jubet cognoſco, etenim, dum quid ſit me noſſe, cognoſco, ac ſcio, jam me perfectè cognoſco, nam & ipſum noſſe Animus eſt, qui dum videt ſe intelligentem, id quod ei precipitur, jam perfectè intelligit, ac videt.

X. *Erroris origo detegitur.*

Cum autem hęc cogitatione revolvo non tantum quid ego ſim, verum & ipſam mei erroris originem cauſamque intellexi. Nam dum attentiſſima quadam animi perceptione expendo, cur erraverim, cum me inter corpora quærebam, ſenſiliumque rerum imaginibus immixtum, præcepto reluctante, me cernere volebam, intelligo me potiſſimum erraſſe, quia haud quod ſciebam, ſeù id quod putabam ad meam ſubſtantiã ſpectare temerè affirmabam. Etenim poſt' habito eo, cujus certus eram, id cujus incertam, ac obſcuram notitiam tantùm habebam, pro naturæ meæ fundamento, ac origine deceptus ſervabam, non enim a me ſecernebam, quod putabam, ſed præcipiti judicio nulla ratione cogente quod a me rejiciendum, atque auferendum tanquam extraneum erat, id eſſe meam ſubſtantiam exiſtimabam.

Error igitur in me naſcebatur, quia ingenita judicandi facultate, qua polleo, abutebar, nam dum Aerem, aut Ignem, aut aliud corpus me eſſe putabam, optimè aſſenſum cohibere poteram, ut nulla interiori vi cogerer ad judicandum, me eſſe id quod putaveram. Quod enim putatur, cum obſcurè, ac incerta notitia percipiatur, rectè in dubium verti poteſt, atq; adeò aſſenſum nullo modo cogit. liberum judicandi exercitium non adimit, aut impedit. In hoc igitur ſitus eſt error, quod affirmabam inconſideranter me eſſe, quod putabam, dum aſſenſum cohibere, judiciumque ſuſpendere, hand quieſcere, ſedulerius hæſitando procedere debebam, & tanquam ſi plena certitudo, ac irrefragabilis illuceſceret evidentia, quievi, ſteti, ac omni dubitatione poſt' habita, judicandi poteſtate abutens, talem eſſe affirmavi, qualem me eſſe opinabar Ex adverſò autem errorem emendavi, ac in rectum & ſanum judicium incidi, cum quod putatur ab eo quod verè ſcitur, accuratè ſecernens, id eſſe, cujus certus ſum, judicavi; in quo judicio rectus quidam, ſummèque caſtus Rationis uſus eluceſcit, nam cum aliquid ſcio, libertatis uſus illicò adimitur, nullique dubitationi locus datur, ut aſſenſum cohibere citra ingenitũ rationis lumen non valeam. Hanc igitur regulam ut deinceps errorem vitare verumque invenire poſſim, firmare liceat Cum alicujus rei naturam expẽdimus, haud illã eſse id, quod putatur, ſed quod tantum ſcitur, ac intelligitur, affirmetur ut in judiciũ nunquam erumpamus, niſi adamuſſim extraneum quod rei addidimus, & quidquid putavimus, are ſecernamus.

PARS

PARS TERTIA

Animæ humanæ Natura ab Augustino detecta in Libro de Animæ immortalitate.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [245] - 217
PUBLIC DOMAIN



Gregium, & acutiſſimum Opus de Animæ Immortalitate inſtruens Auguſtinus mira quadam ſagacitate, ſummaque Ingenii perſpicacia in ipſiusmet Animi penetralibus, intimioribuſque receſſibus inſignitiſſimam, ac latentem Immortalitatis Dotem venari, ſibiqu e patefacere ſtudet, ut ad Animi Æternitatem ſecundo vento detegendam, nihil aliud quàm ſolum, ac nudum adhibeat Animum. Idcircò quamvis hic liber de Animæ Immortalitate ſit mole quidem exiguus, attamen doctrinarum excellentia, dignitate, ac gravitate verè maximus habendus eſt, quem, & a ſe conſcriptum fuiſſe, & maxima obſcuritate, ac difficultate laborare ipſemet Auguſtinus ſequentibus verbis admonet Lib. 1. Retractationum Cap. V. Poſt Libros ſoliloquiorum jam de agro mediolanum reverſus, „
ſcripſi librum de Immortalitate Animæ, quem mihi quaſi com- „
monitorium eſſe volueram propter ſoliloquia terminanda, quæ „
imperfecta remanſerant. Sed neſcio quomodò me invito exiit „
in manus hominum, & inter mea Opuſcula nominatur. Qui „
primò ratiocinationum contorſione, atque brevitate ſic obſcu- „
rus eſt, ut fatiget, cum legitur, etiam intentionem meam, vix- „
que intelligatur a mè ipſo. „

Ut autem Auguſtinenſis Ratiocinationis pro Animæ æternitate robur, ac vis magis eluceant, atque quàm ſolida, & inconcuſſa ſint Orthodoxæ Religionis fundamenta, manifeſtius innoteſcat, placet Nobis hic adeò Auguſtini Textum de Animæ Immortalitate exponere, ac roborare, ut Auguſtinum, & Epicurum invicem digladiantes veluti ante oculos ponere, minimè vereamur. Hoc enim pacto, quàm inermis, ac viribus deſtitutus ſit Epicurus, quamque ſolidè ab Auguſtino infeſtior Pietatis, ac fidei Adverſarius oppugnetur, nullo negotio patebit. Quapropter primùm Epicurum diſputantem in libro Tertio Lucretii de natura rerum in medium afferemus; In hoc enim Libro Epicuri Doctrina de Animæ Humanæ Mortalitate carminibus expreſſa jacet. Nam Epicurum ſequens Lucretius in ſuo Poemate de rerum natura illius dogmata explanare, atque firmare eniditur. Quia verò Epicurus, ut Animæ mortalitatem oſtenderet, tantum ſenſus, & phantaſiam adhibet, nimirum rationibus utitur a ſenſu, & imaginandi facultate depromptis, quæ Animi Poteſtates cum carne, organico nempè corpore nexum quemdam habent, Epicurum, pro caducitate atque Animę interitu certantem, Carnem appellamus. Ex adverſò autem, quia Auguſtinus carnis oculis clauſis, & fallaciſſimo

sensuum, ac imaginationis testimonio posthabito ad æternitatem perscrutandam nuda utitur Intelligentia, meritò Mentem Augustinum nuncupare liceat; atque adeò Carnem, ac Mentem, impurissimum scilicet, atque Castissimum Philosophum quodammodo certamen ineuntes, in conspectum proferemus. Ut igitur expeditius Epicureæ sectæ fallacias, quarum læthale virus potissimum in Libro Tertio Lucretii delicescit, refellantur, ac detegantur, apparatum quemdam, seù aliquarum assertionum Seriem, Geometrarum more, præmittere statuimus, atque ità ratiocinando procedemus, ut dum incessanter à veritate devius, nugans, sophismata contexens, elumbis, ac debellatus in medium adducitur Epicurus; ad verum magis, magisque accedens, novis semper adauctis viribus, triumphum reportare videatur Augustinus.

APPA-

APPARATVS

Ad Animæ Humanæ Immortalitatem, juxtà firmiorem Auguſtini Methodum propugnatam, à captioſa adverſantis Epicuri argumentatione quàmfacillimè vindicandam.

PROPOSITIO PRIMA.

Non eſt a Ratione alienum, in rerum Univerſitate Subſtantiam aliquam elucere, quæ nihil aliud ſit præter Animum, cujus nempè natura in ipſamet intelligendi poteſtate, quovis alio poſthabito, ſita ſit.

ANtequam hæc propoſitio exponatur, ac demonſtretur, admonemus primò, hìc nomine Animi, ſeù Mentis, nihil aliud venire, niſi rem ſui, ſuarumque operationum conſciam, quæ nimirum intelligendi, atque cogitandi poteſtate polleat; idcircò Animum nihil eſſe præter Animum, idem ſonat, ac totam, integramque Animi naturam in nuda, & ſola cogitandi facultate collocatam eſſe, ut Animus quamlibet corporum affectionem à ſe omninò rejiciat, & quaquàverſum vertatur, ac in ſe ipſum animadvertat, nihil aliud præter conſcientiam, perceptionem, modoſque cogitandi in ſemetipſo intueatur, ac reperiat; Atque adeò ſi res aliqua vigeret, quæ totus eſſet Animus, talis eſſet indolis, ut ſola intelligendi virtute ſemota, interiret, atque in nihilum prorſus abiret, eo modo quo in nihilum redigeretur, quidquid totum corpus eſt, ſi corporis ſubſtantia penitus evaneſceret.

Quid ſit Animus aperitur.

Deindè animadvertendum eſt, nomine corporis hìc venire rem, quæ trina dimenſione gaudet, adeò ſpatiorum dimenſionibus commenſurabilis, ut major ſui pars, majori parti ſpatii, minor verò minori ſpatio reſpondeat. Quo pacto & ipſemet Vulgus corpoream concipit ſubſtantiam, quam ut rem extenſam, longitudine nempè, latitudine, & ſoliditate tumentem imaginatur; Quidquid igitur in longum, latum, atque altum exporrigi, ſpatiiſque congruere poteſt, corpus nuncupetur. His expoſitis.

Corporis natura exponitur ex à mente Auguſtini.

Senſus Propoſitionis eſt: Non eſt impoſſibilis res, quæ adeò ſit cogitandi, ac intelligendi facultate prædita, ut totum ſuum eſſe ſit ſemper, & actù intelligere; ſeù Rationi conſentaneum eſt, poſſe in hac rerum Univerſitate elucere ſubſtantiam, quæ in ſolam, ac nudam intelligendi virtutem reſolvatur, a corporum mole, ſpatiorumque dimenſionibus ita ab-

Non eſt impoſſibilis res quæ nihil aliud ſit quam Animus.

ita abhorrens, ut si cogitandi potestas auferatur, corpore cum singulis suis attributis manente, in nihilum confestim abeat, atque pereat. Quamobrem affirmamus, sicuti in Universo florent res, quæ nihil aliud sunt præter corpus, eodem pacto vigere posse substantiam, quæ adeò sit Animus, & intelligat, ut nihil aliud sit præter Animum, & in solum, ac nudum Animum resolvatur.

DEMONSTRATVR PRIMO'

Posita Supremi Numinis existentia.

Deum incorporeum Animũ esse manifestissimè ostenditur.

SI Ens perfectissimum, Natura videlicet absolutè, ac plenissimè instructa existit, ut apertissimè Ratio docet, & nos in nostri investigationibus quàm solidè demonstrabimus, jam necesse est, ut non tantùm sit possibilis, verùm etiam vivat, atque regnet in rerum Universitate Animus, inextensus, & incorporeus, qui nihil aliud sit præter Animum, cujus nimirum tota natura sit ipsum actu intelligere. Quod hoc pacto manifestissimè ostendimus. Si Ens perfectissimum existit, profectò oportet ut sit Animus; etenim nisi intelligeret, suique, suarumque operationum conscium esset, neque sapiens neque felix esset, nam intelligendi potestate sepositâ, notitia, & amor removentu; Nemo autem cognitione, & amore destitutus sapientia, & felicitate frui potest. Qua enim ratione, qui se, suasque facultates, & actiones ignoraret, beatus, atque sapiens dici posset, quæ insignissimæ sapientiæ, & beatitatis dotes animo necessariò innituntur, ac nullibi nisi in cogitandi facultate, regnare valent? Attamen sapientia, & felicitate carere, maxima sanè imperfectio est; non potest igitur Ens perfectissimum animus non esse, secus dum e ignoraret, intelligendi roboris expers, neque felix, neque sapiens esset, adeòque imbecillitate, ac defectu laboraret, quod profectò perfectissimæ substantiæ adversatur.

Qui perfectissimè est, infinitus Animus necessario est.

Deus nihil aliud est, quàm totus & perfectissimus Animus.

Est igitur Deus Animus; hoc tamen minimè satis est, sed ulterius requiritur, ut totus sit Animus, ut videlicet nihil aliud sit, præter Animum. Nam si Deus est Ens perfectissimum, quo melius excogitari nequit, & pariter est Animus, opus est, ut sit perfectissimus Animus, infinitâ, summèque perfecta intelligendi virtute exornatus, atque adeò necesse est, ut simul, ac de omni re intelligat. Quapropter quidquid est in Deo, Animus, & intellectio est, Est igitur Deus totus Animus, si enim aliquid in Deo eluceret ab animi natura sejunctum, atque diversum, existeret in eo aliquid sui nescium, intellectione carens, atque adeò non perfectissimè sapiens, neque felix esset. Etenim ex ea parte, qua sui nescius esset, felicitatem, atque sapientiam a se rejiceret.

Nihil in Deo eluceat, quod nõ sit Animus.

Deus incorporeus est, & inextensus.

Insuper si Deus est Animus perfectissimus, opus est, ut sit omninò incorporeus, & inextensus; idcircò Deus nihil aliud est, præter Animum, totus nempè sui conscius, ut in solam conscientiam, suique perceptionem resolvatur, nam si corpus esset, partibus constaret, in partes dividi posset, spatiorum aptaretur dimensionibus; dum autem numeri, ac multitudinis naturam complectens, & ab Unitate recedens, imperfectione, ac defectu laboraret, integram quidem suam perfectionem, ac virtutem in unum collectam non haberet, aliisque defectibus scate-

ſcateret, quià corporis natura neceſſariò profluunt, ut in noſtris Inveſtigationibus fuſius aperiemus; oſtendemus ſiquidem ſummam perfectionem, cum corporum tumore, partibuſque pugnare. Adeò eſt igitur Deus Animus, ac Mens, ut ſemper actù, & omne verum intelligens, ipſum ſit intelligere, a quavis corporis affectione ſejunctus. Poſita ergò Supremi Numinis exiſtentia, non tantùm poſſibilis, verùm & exiſtens eſt Animus, qui nihil aliud ſit præter animum.

Precedens ratiocinatio roboratur.

Expoſitum ratiocinium ſic ulteriùs firmare liceat. Poſita in Deo Summa & infinita intelligendi poteſtate, quovis alio poſthabito, nimirùm ſi ponamus, Deum perfectiſſimum, ac totum Animum eſſe, profectò ſequitur, Deum omni perfectione gaudere, nàm ex hoc, quod ſit totus, & perfectiſſimus Animus, neceſſe eſt, ut ſingulas, & infinitas perfectiones amplectatur, quæ ex infinita cogitatione ſponte ſua, & neceſſariò emanant. Si enim Deus perfectiſſimè cogitat, pleniſſimè ſubſiſtere, perfectè ſapiens, omninò felix, omnique perfectione cumulatus intelligitur, quod in meis inveſtigationibus oſtendam, ubi demonſtrare enitar, perfectiſſimam cogitationem inſigniùs, atque Princeps Divinæ Naturæ attributum eſſe, ex quo quidquid in Deo perfectionem redolet, originem trahit. Si ergò ut Deus omni perfectione pollere percipiatur, ſatis eſt, ſi totum, ac perfectiſſimum Animum eſſe intelligamus, evidenter infertur, rejiciendum eſſe a Deo, quidquid non eſt animus, atque indubitanter aſſerendum, Divinum animum nihil aliud eſſe præter Animum.

DEMONSTRATUR II.

Poſito fortuitò athomorum concurſu, juxtà inſanientis Epicuri ſomnium.

Secundùm Epicuri principia evidenter poſſibilem eſſe rem inextenſã que nihil aliud ſit quam Animus, planiſſimè demonſtramus.

NOn tantùm firmata Supremi Conditoris exiſtentia, verùm etiam, & negata, aut fortuito rerum admiſſo concurſu, modo quo erro re captus deliravit Epicurus, planiſſimè oſtendimus poſſibilem eſſe Animum adeò inſectilem, corporiſque mole, ac partibus denudatum, ut nihil aliud ſit præter Animum. Si quidem exiſtit in rerum Univerſitate res, quæ tota eſt corpus; quid igitur prohibet, quin poſſit pariter exiſtere ſubſtantia, quæ tota ſit Animus? Nam ut Epicuri ſectatores docent, minutiſſima quædam corpora in Vniverſo vigent, quæ nihil aliud ſunt præter corpus, quorum nempè natura adeò ejuſdem rationis, ſibique ſimilis, ac homogenea undique ſit, ut in quaslibet partes re, aut cogitatione diviſa, ſe ipſam, corpora videlicet ejuſdem rationis, & indolis, exhibeat, nullam namque partem in his tenuiſſimis corporibus, quæ Athomos appellant, contineri tuentur, quę non ſit ejuſdem naturæ cum cæteris partibus. Si ergò intelligi, atque regnare poteſt Corporea Natura, quæ tota ſit corpus, in ſolumque corpus deſinat: adducant quæsò rationem, cur concipi, & vivere nequeat Animus, qui totus ſit Animus; Optimè namque & citrà notionum pugnam intelligere poſſum rem, quæ ita actù intelligat, cogitandique poteſtate perfruatur, ut tota ſua natura in ipſa intelligendi virtute col-

te collocetur; Ex hoc enim quod nudum, purumque animum intelligerem, sanè rem per se existentem, suarumque operationum ac facultatum subjectum, & fundamentum conciperem, nam posita re, quæ tota sit Mens, quovis corpore posthabito, eam subsistere, ac manere posse, manifestè intelligitur, idcircò erroris convinci, apertæ quæ falsitatis redargui neutiquam posset, qui propugnaret, quod sicuti corporea quædam substantia extra animum existit, quę ex se ipsa manens, nullius rei a se diversæ modus sit, & attributum: pari ratione animus quidam citrà fictionem efflorescat, qui nullius corporis affectio, & modus dicatur, sed ex se ipso existat, suarumque operationum fundamentum sit, & Origo. Fingamus enim Animo rem, cujus totum esse sit actù intelligere, à corporis natura, & passionibus omninò sejunctam. Jam hæc ex se ipsa existere, in suas actiones erumpere, atque quidquid ab substantiam efformandam requiritur, amplecti, planè intelligeretur; nihil siquidem ei deesset, ut ex se existens, concipi valeret. Quod copiosiùs, atque fortiùs in nostris Investigationibus exagitabimus.

Deindè si casu, ut cæcutiens insanit Epicurus, nulla Moderatoris Numinis Providentia influente, res tota Corpus, athomus nempè, quæ nihil aliud est præter extensam corporeamque molem ab ipsa æternitate extitit, cur pariter cæco casu non contigit, ut alia substantia etiam sempiterna regnaret, quæ tota esset Animus? Nulla siquidem fuit necessitas, ut tot minutissima corpora, totque tenuissimæ insensilium athomorum moles ab æternitate existerent: undè quæsò hujusmodi existendi necessitas in Athomis? Cum enim nihil aliud sint præter corpus, non omnem profectò perfectionem complectuntur, nam suaptè naturà non intelligunt, haud vivunt, nulla felicitate perfruuntur, cæca, inscia, ac torpida mole instructa, corpora quædam sunt, quæ sibi nullomodo sufficiunt, ut concinnum, ac congruum aliquod corpus intelligendo, ac providendo efficiant, sed fortuito concursu, & cæco casu invicem incurrentias, immanes mundanorum Corporum magnitudines efformarunt. Si ergò naturæ quædam finitæ ac valdè imperfectæ hujusmodi minutissima corpora sunt, nulla sanè existendi necessitate pollent, Etenim solum id, quod infinitam redolet perfectionem, necessariam existentiam continet; quidquid verò deficiens, & imperfectum est, ut cum scholis loquar, contingentem tantùm existentiam quamdam amplectitur, atque ità existit, ut possit non existere. Si igitur nulla necessitate cogente, cæco casu, substantia quædam, quæ tota extensa, solida, resistens, tota nimirum corporea ab æternitate extitit, qua ratione non poterat pariter in lucem prodire res, quæ tota fuerit Animus, diversæ omninò naturæ a corpore? Cum non minus ex se existens concipiatur totus Animus, quam res, quæ tota sit corpus Insuper illud impossibile est, quod duo attributa invicem pugnantia amplectitur, ut si poneretur, esset identidem, & non esset, quæ qu dem attribntorum lucta ex ipsarum notionum conflictu colligitur. Nam ex hoc, quod duarum naturarum notiones, ac ideæ mutuò sese destruant, ut neutiquàm in humana mente coniungi valeant, evidentissimè inferimus, impossibile esse, ut res invicem coniungantur, ut in eamdem rem coalescant. Jam fingamus Animo, existere natu-

Vide nostræ Dialecticæ Specimen ubi regulam, qua Possibile ab impossibili secernitur, demonstratius ratiocinio firmamus.

naturam, quæ tota sit Animus, quid absurdi, quid falsi, quæ attributorum pugna oriretur? Nullum sane hujusmodi rerum certamen intueor, quod vetet existere, atque intelligi posse rem, quæ a corporum, spatiorumque mensuris aliena, ita intelligendo vivat, ut nihil aliud sit, præter intelligentiæ robur, animique vitam. Potest siquidem citrà rerum conflictum tàm re, quàm cogitatione cum Natura, quæ tota sit animus, conjungi existentia. Posita enim re, quæ esset totus animus, illicò citrà ullam absurditàtem illa existere intelligeretur; dum concipereturactù cogitans, cum impossibile sit, non existere id, quod actù intelligit, secus aliquid & nihil esset, quod apertissimè Rationi dissonat; Dicendum est igitur juxta Epicuri doctrinam, elucere posse in rerum Universitate Naturam incorpoream, quæ nihil aliud sit præter Animum, cum Ratio illius impossibilitatis nullo pacto in medium afferri valeat. Quapropter, si cæco casu res, quæ tota est corpus, ab æternitate emersit, cur & pariter res, quæ fuerit totus Animus, ab æterno non extitit?

Posità re, quæ tota sit Animus, nulla rerum pugnæ consurgit.

PROPOSITIO SECVNDA.

Possibilis est finitus, & imperfectus Animus, qui à corporis dimensionibus abhorrens, totus sit Animus.

Hæc assertio nullo pacto ab Epicuri sectatoribus rejici potest, cum satis supra ostendimus, quod si citrà moderatricis Sapientiæ Providentiam ab æternitate emersit res finita, & imperfecta, quæ tota fuerit corpus, apertæ falsitatis nulla ratione redargui posset, qui sustineret, eodem cæco regnante casu, extitisse ab æterno substantiam, cujus totum esse fuerit ut sit Animus, res nempè tota intelligens. Tantùm hæc Propositio indiget probatione, posita Creatricis, ac Providæ Divinitatis existentia. Etenim aliquis sustinere posset, florere quidem, ac vigere in rerum Universitate perfectissimum Animum, nempè Deum, qui suæ infinitæ naturæ necessitate totus sit Animus, incorporeus prorsus, ac inextensus, non posse existere tamen rem finitam, & imperfectam, adeò a corporis indole disjunctam, ut nihil aliud sit præter animum. Contrà quem sic Philosophamur. Non est impossibilis, imò vivit, ac regnat in Universo perfectissima Mens, incorporea, & inextensa, quæ tota sit animus; quid igitur prohibet, quin pariter possit in rerum societate elucere Mens finita, & imperfecta, quæ tota sit animus? Cur non potuit Deus, mentem extra se efformare, quæ adeò suæ Intelligentiæ perfectionem exprimat, ut integra sua natura sita sit in hoc, quod actù, & semper intelligat, ut præter intelligendi, ac cogitandi potestatem nihil sit? Quæ enim absurditas, quæ rerum pugna nasceretur, si finitus, & imbecillis viveret Animus, qui nihil aliud esset, præter animum, semper vivens, semperque intelligens? Neque ex hoc quod eluceret Mens, quæ semper actu intelligeret, necessariò deduceretur, hujusmodi Mentem perfectissimam, ac limitatam esse. Si quidem ut Mens perfectissimus animus dicatur, haud satis est, quod semper, &

Evidenter ostenditur posse Deum procreare substantiam incorpoream cujus totum esse sit ipsamet intelligendi potestas.

Quo pacto finita Mens ab Infinita secernatur paucis exponitur.

actù intelligat, ſed ulterius oportet, ut omne, ac totum verum ſimul intelligat, in quo poſse intelligere, ipſum actu intelligere ſit; quod profectò finito, & imperfectò animo non congrueret, qui quamvis totus fuerit animus, tamen non de omni re ſimul cogitaret, ulterioris intelligentiæ, ac perfectionis capax. Hinc etiamſi noſtra Mens inceſsanter cogitaret, ut ſemper cum aliqua cogitatione conjuncta eſset, non ideò dicenda foret infinita, quia non omne ſimul intelligeret, modo quo in noſtris inveſtigationibus exponemus. Affirmandum eſt igitur, eſse evidenter poſſibilem finitam, & imperfectam naturam, quæ nihil aliud ſit præter Animum.

PROPOSITIO TERTIA

Poſito finito, & imperfectò Animo, qui nihil aliud ſit quàm Animus, evidenter poſsibile eſt, adeò poſse illum organico corpori conjungi, ut mutuum quoddam Commercium, ac reciprocus quidam operationum nexus inter Animum, & Organicum Corpus oriatur, atque ab hoc ille pendere appareat, quo tamen nexu ſoluto, incolumis, ac illeſus manere atque ſubſiſtere valeat Animus.

SEnſus propoſitionis eſt. Exiſtat in rerum Univerſitate res adeò tota intelligens, ut nihil aliud ſit præter Animum, cujus poſsibilitatem jam ſuprà demonſtravimus, ſuſtinemus, non eſſe impoſsibile ex Authoris intentione, aut alia ex cauſa, ut hìc Animus, quamùis diverſæ naturæ a corpore, alicui tamen corporeæ & organicæ moli ità adnectatur, & copuletur, ut innaſcatur quoddam mutuum commercium inter utramque naturam, & quædam, ut ità dicam, mutua agendi dependentia, quæ ſita ſit in hoc, quod alterato, ac perturbato ac quovis modo commoto, & affecto corpore, alteretur, ac perturbetur, aut alio modo afficiatur Poteſtas, ac Virtus cogitandi in Animo, ex cujus viciſſim alteratione, atque perturbatione diverſimodè afficiatur, ac perturbetur corpus, modo, quo ſuſiùs, atque planiùs in noſtris Inveſtigationibus aperiemus. Quod ſi contingeret, quamvis videretur Animus in agendo à corpore pendere, atque ejuſdem ſubſtantiæ eſſe cum corpore, revera tamen alterius naturæ eſſet, atque in partes ſoluto corpore adhùc illæſus remaneret, imò expeditiùs vinculis diſruptis Intelligendi virtutem exerceret, cum illud mutuum commercium, ac reciproca operationum dependentia non traheret originem ab ipſamet Animi natura, quæ cum à ſpatii dimenſionibus abhorreat, nullo corpore indiget, ut vivat, & exiſtat, cui ſatis eſt, ut vivat, intelligere: ſed ab aliqua extranea cauſa potius oriretur, aut cæco nempè caſu juxtà Epicuri doctrinam, aut ex Creantis & Providæ Naturæ inſtitutione, firmata Dei exiſtentia, quam ingenitum Rationis lumen manifeſtè docet.

Incorpoream Animum organico corpori pro modo ſuo conjungi poſſe adverſus Epicurum demonſtramus.

Jam primò oſtendimus, nullam rerum pugnam in ſe complecti mutuum hoc commercium inter organicum corpus, & Animum; ſiquidem ſi poſsibilis eſt res, quæ nihil aliud ſit præter Animum, etiam cæco rerum caſu

casu cum Epicuro admisso, non intelligo, cur pariter casu hoc mutuum Animi, corporisque commercium perfici, ac contingere non possit, nam si cæco casu, & corpus, & Animus eodem tempore existerent, quid prohibet, quin casu ita coniungi, & adnecti valeant, ut alterum ab altero pendere videatur, dum unum in aliud agit? Si cæco casu factum est, ut minutissimæ Athomorum moles, adeò concinno, & congruo ordine invicem adnecterentur, ac disponerentur, ut in mentem, potestatem nempè intelligendi erumpere possent; insuper si cæca, torpida, inscia, & emortua corpora in viventem, ac intellectione præditam substantiam, quæ felicitatis, ac beatitudinis sit capax, mutuò incurrentia, degenerare valeant, quod captu, summopere arduum, & difficile est; nihil sanè prohiberet, posse etiam adeò corporibus coniungi Animum, ut expositum commercium oriretur. Adducant in medium, si valent, undè huiusmodi impossibilitas, ortum duceret? Si enim cæco casu res tam arduæ, tamque captu difficiles procreatæ sunt, nihil obstat, quin emergat res, quæ sit totus Animus, corpori tamen adeò coniuncta, ut corpus in animum, animus in corpus agere videatur.

Ipsa met falsi Epicuri Hypotesi ad Epicurum solidè oppugnandum utimur.

Posita Supremi Conditoris existentia, nullo negotio nostræ propositionis veritas innotescit. Etenim si Deus efficere potest rem extra se ipsum, quæ tota sit animus, non video, cur ulterius non valeat huiusmodi mutuum animi cum corpore commercium firmare; quid, quesò vetat, Deum progignere posse Animum quem tali lege organico corpori adnectat, ut alterato, ac perturbato corpore, alteretur pariter ipse ac perturbetur, ut ad existendum corpore neutiquam indigeat, sed ab eo solutus maneat, atque perfectæ veluti suæ libertati restitutus intelligendo vivat. Sicuti enim Deus ex liberrima sui voluntate animum procreavit, ità poterit pro suo arbitratu animum corporibus alligare, in quo sanè nulla manifesta falsitas, sed insignissima quædam probabilitas continetur.

PROPOSITIO QUARTA.

Neuciquam Rationi adversatur, sed insigniter verisimile est, Humannm Animum nihil aliud esse quàm Animum, inextensum omninò, & incorporeum.

DEmonstratur. Existit in homine Animus, principium nempè intelligendi, cogitandique potestas; quid autem vetat, quin hoc totus sit Animus? Nàm jam demonstratum est, possibilem esse Animum, qui nihil aliud sit præter Animum, & ex alia parte elucet in homine Animus, potest ergò fieri, ac contingere, ut Animus, qui in homine viget, adeò totus sit Animus, ut in sola intelligendi, ac cogitandi facultate collocatus, à corporis natura prorsùs sit alienus, ex hoc namque, quod intelligere posset, & semper de aliqua re actù cogitaret, jam subsistere, atque vivere, optimè conciperetur, ut nulla corporum mole nulliusque corporis partibus, ac soliditate ad vivendum, atque existendum indigeret. Idcircò non potest apertæ falsitatis

Nihil proibet, quin dicamus Humanum Animum nihil aliud esse preter animæ ut hic omnino a corporum dimensionibus abhorreat.

incusari, qui affirmaret, humanum animum nihil aliud esse præter Animum, à corporis natura sejunctum, imò hoc certum, & planissimum esse, in meis Investigationibus ostendam, in quibus firmo ratiocinio demonstrabo, Animum hominis incorporeum, & insectilem esse, in sola intelligendi virtute positum, ut revera totus sit, Animus semper vivens, semper intelligens.

Possent tamen Epicuri sectatores sequenti ratiocinio nostram refellere assertionem, ostendentes penitùs inverisimile, & improbabile esse, Humanum Animum adeò in sola, ac nuda intelligendi potestate situm esse, ut non sit corporis modus, & affectio, sed ex se ipso existat, ac maneat. Cum de aliqua re nullam claram, & distinctam notionem habemus, imò confusam, & obscuram, affirmare debemus inverisimile potius, quam verisimile esse illam in rerum universitate elucere, ut inter fingentis ingenii commenta adscribenda sit. Jam concipimus quidem clarè, & distinctè rem, quæ nihil aliud sit præter corpus, nihil enim facilius concipitur, quam res extensa, spatiorum dimensionibus, corporumque mole instructa; attamen nulla clara, & distincta notione pollemus, quæ nobis representet rem insectilem, & inextensam, quæ nihil aliud sit pręter Animum, nisi enim Menti trina dimensio, corporumque magnitudo offerantur, nihil sanè a nobis clarè intelligi potest; quidquid enim imaginatione, ac intellectu revolvimus, ut rem extensam, aut extensionis modum, & attributum intelligimus. Idcircò si Animus a trina dimensione, seu corpore seiungatur, illicò animi notio perit, ut nequeat intelligi quid sit Animus; qui nisi corpori tanquam illius modus innitatur, necesse est, ut omninò tàm in re, quam in Intellectu intereat. Sunt enim mera vocum portenta, nomina nempè, quæ nihil significant, cum dicimus existere in rerum Universitate res, atque naturas inextensas, insectiles, incorporeas, quæ sint tota mens, quæ nihil aliud sint præter animum. Corporea namque, atque extensa omnia sunt, merumque figmentum est vivere in homine aliquid, cujus totum esse sit actù intelligere à corporis mensuris alienum?

Deindè cum Creans Natura summè sagax sit, atque sapiens, haud pluribus, sed paucioribus rebus opera sua perficit, atque absolvit, summo enim, ac miro quodam compendio agit, atque adeò à superfluis abhorrens, paucissimis principiis, ac rudimentis quidquid in Universo floret, progignit, ac solertissimè efformat. Si igitur eadem materiâ atque substantia, ex qua corporeas res illa procreavit, optimè fieri potest animus, profectò tanquam res à ratione aliena rejicienda est hujusmodi substanti à quæ sit totus Animus, diversæ rationis à corpore, cum ex ipsomet solo, ac nudo corpore multifariam commoto, dispositò, configurato, attenuato animum atque mentem commodè haurire ipsamet Creans natura valeat; hoc enim pacto ex eadem trinæ dimensionis materiâ, ac substantiâ compendiosiùs & animum, & permixta corpora educeret; Absurdum est igitur, duo substantiarum genera, quæ invicem summoperè distent, effingere, si ex unica tantum trinæ dimensionis substantia, quidquid in rerum Universitate viget, sivè exanime, sivè intelligens, optimè procreari potest. Quid namque vetat, corporis partes adeò disponi, & configurari posse, ut in sensum, atque intelligen-

ligentiam tandem erumpant? Postremò inverisimile est Animum hominis esse prorsus à corporis indole alienum à partium divisione abhorrere, & tamen organico corpori conjungi, & copulari; nullus enim nexus concipi potest inter res tam dissimiles, tamque genio, ac naturà distantes, atque adeò fatendum est, a verisimilitudine penitus recedere, quod humanus Animus nihil aliud sit præter Animum, sed potius affirmandum est, eamdem numero rem esse extentam pariter, & intelligentem, corpus, & Animum.

Quam immane, Epicuri Sectatores decipiantur, pluribus rationibus ostenditur.

Hoc tamen Epicuri Ratiocinum nullius momenti est, nulloque negotio enervatur, erroriſque convincitur; Et Primùm quæro, cum nullam inextensi, nudique Animi claram, ac distinctam notionem habere dicis, sed corporis tantùm, quid claræ, & distinctæ notionis nomine quæso apud te venit? Intelligis forsan te nullo modo clarè, & distinctè rem inextensam, nudèque intelligentem concipere, quia quidquid inextensum, & incorporeum est sub sensum, ac phantasiam minimè cadere potest, quia nimirum concipere non vales, aut imaginari rem ex se existentem, quæ tota sit Animus, trina corporum dimensione carens, attamen si hoc fateris, quantùm quidem immanè à vero deflectis, totoque cælo aberras? nam hoc pacto non tantum Animi, verum etiam & ipsarum Athomorum, insectiliumque, ac minutissimorum corporum Ideam nullam haberes. Etenim, juxtà epicuri doctrinam in Lucretii poemate luculenter expositam, insectilis Athomus, quæ mundanorum ac permixtorum corporum sempiterna materies est, tanta tenuitate, tantaque subtilitate perfruitur, ut sensum, atque imaginationem penitus effugiens, soli, nudæque rationi pateat; quapropter insensiles Athomos Epicurus appellat. Quidquid enim sensu, aut phantasia revoluimus, ut sectile, in partes divisibile, ac interstitiis, porisque refertum concipitur; quidquid ergò in corporibus, aut sensu, aut imaginatione percipis, non est quidem Athomus, quæ omninò insectilis, penitusque plena, ac solida est; si igitur, quia Ratio tibi favere videtur, Athomos in rerum Universitate vigere affirmas, quamvis sentiendi, ac imaginandi facultates hujusmodi minutissima corpora omninò lateant; quid mirum si nos rem totam intelligentem à corporum extensione abhorrentem existere, aut saltem vivere posse, ratione prælucente, affirmemus, etsi hujusmodi substantia sensus, & phantasiam prorsus effugit? Quot quæsò in Universo elucent, insignissima quidem, multoque pretio habenda, quæ tamen spatiorum mensuras, corporumque molem a se rejicientia, nudæ tantum intelligentiæ manifesta, sensibus, atque imaginationi representari, neutiquam patiuntur? Cum sapientiam, aut animi tranquillitatem, seù felicitatem exoptas, cum Geometricas veritates scire desideras, quid quæsò tunc appetendo intelligis? Sanè id appetis, quod tantum nuda intelligentia, solaque Ratione agitas, ac revolvis, sensu, & imaginatione minimè percipis. Aliquid enim incorporeum, penitusque inextensum, ac insectile sapientia, felicitas, aut veritas est: Ad risum namque nos provocaret, atque insanire, diceretur, qui à nobis quæreret, quantæ molis, quantæque extensionis esset sapientia, Veritas, aut felicitas, quæ, ut optimè intelligantur, non tantum imaginandi, ac sentiendi vis non juvat, imò obstat; ut necesse sit, mentem se a corpore avertere, & ab imaginandi ac sen-

Suis met principiis oppugnatur Epicurus

Clarè & distinctè concipimus inextensas & incorporeas res, quamvis hæ sub sensum & phantasiam minimè cadant.

Plura intelligit Animus, quæ nulla corporum imagine representari valent.

ac sentiendi exercitio se abstinere, ut quid sit feliciter vivere, quid sapienter intelligere, quid sit Verum, quod tantoperè exoptatur, intelligat.

Prætereà abs te quæro, concipis nè clarè, & distinctè, quid sit tuus amor, cum amas, quid tuum dubium, cum dubitatione torqueris? Profectò necesse est, ut affirmes, te clara, atque distincta notione tuum dubium, tuumque amorem concipere, cum dubitas, aut amas, nam adeò scis te amare, ac dubitare, cum amando, ac dubitando cogitas, ut nullo pacto tuum amorem, aut dubium in dubium vertere valeas, secernis namque dubium, aut amorem à quovis alio modo cogitandi, ut nunquam cogitationem alteram cum altera confundas, quarum cogitationum omninò conscius es, cum cogitas. Attamen percipisti unquam sensu, aut phantasia tuum amorem, aut dubium, amans aut dubitans? Sanè, tantùm tua cogitatio à corporis, & extensionis natura aliena est, ut soli rationi se nudans, sensum, & phantasiam omninò lateat; Idcircò ex hoc, quod neque sentis, neque imaginaris rem quæ, sit tantùm Animus, non ideò affirmandum est, tè nullam hujus rei claram, & distinctam notionem habere, Animus enim se ipsum inquirens, se ipsum haud sentit, & imaginatur, sed tantum sola ratione intelligit.

Apertæ falsitatis redarguitur Epicurus.

Prætereà cum Epicurus doceat, cuncta ex pleno, & inani, corpore nempè, & vacuo loco fieri, & procreari, sanè non tantum Athomos, verum etiam & ipsum Inane existere censet, ex quibus tanquàm ex omnium rerum elementis corporeus Mundus emerserit. Quod sequentibus Carminibus Lucretius eleganter expressit,

Omnis ut est igitur per se natura duabus.
Constitit in rebus: Nam Corpora sunt & Inane.

Jam ut ostendimus, corporum seù Athomorum, hand sensus, sed rationis tantum ideam habes, adeò enim minutissima, & insectilia esse fateris, ut prorsus oculos effugiant; quapropter cecinit Lucretius.

Quod nequeunt oculis, rerum primordia cerni.

Non tantùm autem Athomorum, verùm etiam & alterius naturæ nempè Inanis imagiuem, ac notionem nullam habes, etenim ut doces insectile, penitusque insensile Inane est, nullo enim sensu percipitur, quod haud carnis oculis, sed sola Intelligentiæ acie te intueri arbitraris; attamen revera non solum non sentis, aut imaginaris, sed neque Intelligentià hoc inane spatium omni corpore distitutum assequeris, nequit namque ulla Inanis Imago, ac perceptio animo inesse; nihil siquidem, simplexque quædam corporum privatio, rerumque defectus Inane est; nihili autem notio, & Idea nulla est. Insuper nequit humanus Intellectus concipere vera, & positiva notione, ut cum scholis loquar, spatium inane a quovis corpore abhorrens, nam corporeum pariter & corpore denudatum, extensum unà, & inextensum, corpus nempè sine corpore intelligeret, quod pro re nata fusiùs prosequemur. Rudimenta ergò, atque principia super quæ Epicureæ Philosophiæ ædificium construitur, sensus omninò latent, ac sola Intelligentia ad summùm comprehenduntur. Idcircò ex hoc quod inextensus, & incorporeus Animus sub sensum nulla ratione cadat, non ideò fatendum est, nullam illius in humana mente effulgere notionem, cum nihil animo certius, notius, ac præsentius se ipso sit, cum enim se quærit, illicò sibi præsto est,

ſio eſt, ut nullo pacto ſe ignorare valeat, modo quo ſolidè, ac ingeniosè ipſemet Auguſtinus Animæ naturam inveſtigans in Libro X. de Trinitate, in Parte Secunda à nobis expoſito docet.

Hic autem Epicureorum error ex præjudicata quadam vulgi opinione potiſſimùm ortum ducit. Vulgus enim hominum putat, nihil prorsùs eſſe quidquid ſensù, aut phantaſia non revoluitur, atque adeò nihil à nobis verè intelligi & concipi poſſe cenſet, quin ſub aliqua corporum imagine animo repræſentetur. Quapropter facilè ſibi ſuadet, ſpiritales, & incorporeas ſubſtantias, aut nihil eſſe, aut ab Humano Intellectu neutiquàm intelligi poſſe, ut tantùm intelligantur ea, quæ videntur, palpantur, cæteriſque ſenſibus patent. Hoc tamen quàm falſum ſit, & à ratione alienum, in noſtris inveſtigationibus oſtendemus, & firmiſſimis argumentis jam in prima parte hujus operis, Auguſtinus Animam humanam inveſtigans in libro de Animæ Quantitate demonſtravit.

Manifeſtè Falſum eſt id tantum ab Humana Intelligentia cognoſci, quæ ſenſibus & phantaſiæ patent.

Supereſt, ut ſolvamus aliam Epicuri oppoſitionem, quod nempè ex eadem materia compendioſiùs, atque expeditiùs, Animus, & corpus procreari valeant, ut Animus nihil aliud ſit, quàm minutiſſimorum corporum textura, ac veluti corporeæ ſubſtantiæ flos, & tenuiſſimus quidam ſpiritus, ac vigor. Reſpondemus enim, quod cum Animus alterius ordinis, ac diverſæ naturæ ſit à corpore, nullo modo poteſt ex ipſius corporis penetralibus emergere, ut infrà robuſtè oſtendet Auguſtinus, & nos in noſtris Inveſtigationibus pluribus rationibus firmabimus. In hoc tamen loco ad Epicuri doctrinam expugnandam, ſatis ſit repetere ratiocinium Auguſtini in Libro X. de Trinitate, in quo Animum nihil aliud eſſe præter Animum, apertiſſimè oſtenditur. Putat ne an ſcit Animus ſe ipſum inquirens, eſſe ſubtiliſſimum flatum, Athomorumque texturam? Sanè non ſcit, ſed putat, cùm optimè in dubium vertere valeat, an ex athomis, an ex corpore alterius generis ſit efformatus, dum aut Athomorum texturam ſe eſſe putat, verè ſe intelligere ſcit; ſiquidem ſcit ſe eſſe rem, quæ putat ſe eſſe ex athomis fabrefactum intelligere; ſcit igitur ſe eſſe Animum, tantùm putat ſe eſſe ex athomis conſtructum; jam ſecernat, quod putat, cernat, quod ſcit, ut planiſſimè intelligat, ſe nihil aliud eſſe præter Animum; nam certum, & inconcuſſum eſt, quod Animus ſit res quædam intelligens, etiam dum putat ſe eſſe corpus, aut ſe exiſtere dubitat, Deindè ut ex ſe ipſo exiſtat, & vivat, quovis alio ſemoto, ſatis eſt, ut intelligat; ex alia verò parte quod ſit res extenſa, ſive aer, ſive ignis, ſive athomorum textura, hoc tantùm ſub obſcuram & incertam opinionem, haud ſub claram, & firmam ſcientiam cadit. Reiice ergò, atque à tua cogitatione prorsùs abjice, quod putas, tantumque, ut tui animi naturam intelligas, quod ſcis, & certum eſt, amplectere; inſaniam quidem, & delirium ſapit, tenebras luci, opinionem ſcientiæ, certo, & claro obſcurum, & ignotum præferre.

Ex corporum mundanorum materiæ fierè nequit Animus.

Verè incorporeus eſt Animus.

Nulla corporis mole, ut ſit & vivat Humanus indiget Animus.

Ex hoc tandem, quod humanus Animus ſit organico corpori conjunctus, atque quodammodò à materia in agendo pendens, evidenter inferri nequit, Animum eſſe corpus; etenim ſuprà oſtendimus poſſibilem eſſe rem finitam, & imperfectam, quæ tota ſit Animus, corpori tamen ità adnexam, & copulatam, ut mutuum quoddam corporis, animi-

Incorporeus Animus in homine liberrimæ Auctoris intentione corpori conjungitur.

animique cõmercium consurgat; si ergò verisimile est evidenterque possibile humanum Animum nihil aliud esse præter Animum, sequitur, probabile esse, aut saltem non manifestè falsum, Animum humanum haud ex natura sua in agendo à corpore pendere, ac perturbato, & alterato corpore pariter immutari, sed ex alia causa, & juxta Christianæ, maturioris que philosophiæ principia ex liberrima Authoris intentione, qui mutuum commercium inter corpus, & Animum in homine firmare sibi complacuit, modo quo fusiùs in nostris Investigationibus exponemus, de admiranda ac verè prodigiosa corporis animique conjunctione agentes.

Epicuri argumentatio ex conjunctione Animi cum corpore depõpta nullam vim prorsus habet.

Si quidem hæc reciproca operationum dependentia atque mutuum commercium corporis, animique in homine ex duplici causa contingere posse concipimus. Primò ex hoc quod Animus subtilior, ac concitatior sit corporis pars, ut fixo, organico, crassiorique corpore alterato, ac diversimodè affecto, multifariam alteretur, & efficiatur tenuissima Animi substantia per crassioris corporis organa expansa, juxtà quam hypothesim optimè conciliarentur, & explicarentur singula fænomena humani Animi, organicum corpus respicientis, Præter verò hanc causam alterà non minus commodè in medium afferri potest, Liberrima nempè Creantis, ac Moderatricis Naturæ intentio, qua posita etiam si inextensus, ac incorporeus, totusque intelligens humanus Animus sit, & intelligatur, utiquè adeò corpori conjunctus esse, & concipi posset, ut citrà suæ substantiæ mutationem quodammodò in agendo à corpore pendeat, ac mutuo quodam consortio, & arcta familiaritate organicæ materiæ obstringatur, qua tamen in partes soluta, illæsa, atque incolumis intelligendi potestas maneat. Quid enim vetat Supremum rerum Conditorem immortalem, & incorporeum animum mortali, ac corporeæ substantiæ, modo tamèn rebus congruo, conjungere posse? ut societatem quamdam, ac mutuum commercium inter mortem, & vitam, carnem, & spiritum, eternitatem, & tempus admiranda quadam solertia statuat? Idcircò cum hoc mutuum commercium inter humanum Animum, & corpus possit ex duplici causa evidenter possibili contingere juxta utramque hypothesim, carnalis nempè, & spiritalis Philosophiæ, deducitur, incertitudine & obscuritate laborare Epicuri doctrinam, ut saltem verisimile sit, aut non manifestè a Ratione alienum, Animum humanum esse rem totam intelligentem, corporum mole, & dimensionibus carentem, corpori tamen citrà spiritalis substantiæ injuriam, & mutationem conjunctam.

Alterà Epicuri dubitatio exponitur, & refellitur.

Alterà demum dubitatio occurrere potest, quàm nimiùm quàm plures Epicuri sectatores exagerant, ac summoperè extollunt. Hoc enim pacto ratiocinantur; nisi subtilior, atque concitatior Pars in corpore agat, atque moveatur, nulla profectò cogitatio emergit, in nullam actionem intelligendi potestas erumpit, quæ nisi localis motus spirituum Animalium, seù æthereæ, ac tenuioris sanguinis substantiæ accesserit, confestim ab agendo cessat; nihil aliud igitur est Animus, nisi res se localiter movens, nihil aliud est cogitatio, aut intelectio nisi localis motus, qui dum aut per rectas lineas perficitur, aut resilit, aut refrangitur, aut per spiras, circulosque absolvitur, aut innumeris aliis propèmodis se in lucem prodit, sensuum, phantasiæ, ac intelligentiæ per-

ceptio-

ceptiones in animo excitantur, ut nihil aliud sit cogitare, nisi localis motus exercitium, in subtiliori sanguinis flore peractum.

Attamen quàm hominum hujusmodi ratiocinantium fatuitas, ac stultitia detestanda, ac imprubanda sit, quis sanæ Mentis non videt? Si quidem satis est, ut sedulò in nostras cogitationes animadvertamus, ut statim & apertè intelligamus cogitationis ac intellectionis naturam, quamlibet corporis affectionem a se rejicere, a motuque locali prorsus sejunctam esse. Quid enim insanius, quid absurdius, quam amorem, aut dubium, aut judicium motum localem appellare? Dic enim quæso, cujus motus species sit amor, aut dubium? Utitur quidem locali motu Animus corpori conjunctus cum agit, quem ut sensuum, & phantasiæ Instrumentum liberrima Authoris voluntas in corpore statuit, attamen verè cogitatio à suo Instrumento secernitur, ut aliud sit cogitare, aliud secundum locum moveri. Deindè gratis sine ullo fundamento cogitationis naturam in locali motu sitam esse doces. Etenim dum cogitas, & intelligis, te localiter moveri, haud scis, sed putas; Potest enim optimè in dubium revocari, an localiter moveatur, qui intelligit se moveri, nullo tamen pacto sui existentiam, ac naturam in dubium vertere potest Auimus, cum intelligit, aut se localiter moveri putat. Cum enim Animum inteligo, haud localem motum, & extensionem, sed verè quid insectile, & incorporeum à locali motione sejunctum, intelligentiæ repræsentatur, quod copiosiùs, atque solidiùs infrà cum Augustino Epicurum profligantes ostendemus.

PROPOSITIO QUINTA

Si Animus humanus insectilis est, & incorporeus, nempè totus Animus, nullo pacto soluto corpore juxtà Epicuri principia interire potest, sed immortali, ac sempiterna vita gaudere oportet.

Insectilis & incorporeus Animus ab interitu immunis est.

Hæc propositio ab Epicuri sectatoribus neutiquam rejici potest, nisi suæ doctrinæ adversari, & contradicere apertissimè velint, nam secundum Epicuri doctrinam rerum primordia nimirum Athomi, sunt corpora immortalia, & sempiterna, quia dum a seipsis inania interstitia omninò rejiciunt, tanta soliditate, tantoque partium nexu pollent, ut nulla ratione in suas partes dividi, ac solvi valeant, quidquid autem insectile est, ut nullius agentis vi scindi, & secari possit, sempiternum, ac immortale necessariò est, cum juxtà Epicurum mors, rerumque interitus non contingat, nisi ex divisione, atque solutione rerum in suas partes. Hinc etsi athomus est extensa, corporumque magnitudine tumens, undè mortalis esse videtur, attamen quià tàm arctè suæ adnectuntur partes, ut nullo pacto in illas scindi, solvique valeat, ob insectilitatrs dotem à morte, atque interitu prorsùs est immunis. Potiori jure igitur immortalis, ac sempiternus humanus Animus dicendus esset, si incorporeus, atque inextensus, ut verè contingit, poneretur; siquidem partibus omninò carens ob extensionis defectum, insectilis prorsùs esset, ut in nullas partes, quibus caret, distribui queat; Idcircò sicuti soluto corpore organico incolumes, atque illæsè insectiles manent athomi, cum hujusmodi minutissima corpora sint

ſuaptè natura immortalia; haud abſimili modo dum in ſuas partes perturbatum, atque maximoperè alteratum organicum corpus diſſolvitur, immortalem, atque inſectilem animum illæſum manere neceſſarium eſt. Ut igitur contrà Epicureos Animæ noſtræ immortalitatem evincamus, ſatis eſt evidenter oſtendere, humanum animum à diviſione, partiumque ſolutione penitùs abhorrere, ut inſectilis, atque incorporea quædam, & tota intelligens ſubſtantia ſit, quod in hoc opere cum Auguſtino jam demonſtraſſe gaudemus.

Deindè ex hypotheſi, quod humanus Animus inſectilis ſit, & incorporeus evidenter infertur, haud opus eſſe, ut intereat, ac pereat organico corpore ſoluto, cum enim inſectile, & incorporeum ſit alterius generis à corpore, non adeò corpori connexum eſt, ut ab illo vitam, atque incolumitatem emendicare debeat; nam cum ex ſe ipſo exiſtat, non indiget corporis conſortio, & ſocietate, ut vivat, ac ſit. Undè, quæsò, hujuſmodi neceſſitas oriri poſſet, nam ſicuti recedente Anima corpus adhuc manet, & exiſtit, quià diverſi generis ab Animo corporea natura eſt, eodem pacto à corpore diſſociatus utique vivet Animus, dum corporis naturam excedit, altioriſque ordinis eſt.

PROPOSITIO SEXTA

Si eadem res A æquè profluere poſſit à cauſa B. & C., niſi evidens, & indubitata acceſſerit Ratio, quæ oſtendat, oriri potius a principio B. quam C, aut viciſſim, dubium & incertum manet, an poſitæ rei A vera cauſa ſit potius B. quam C. atque adeò tam opinio ſtatuens rei principium eſſe B. quam ea, quæ docet eſſe C. obſcuritate, atque incertitudine laborat.

Hæc propoſitio, ſi accuratè nomina exponantur, illicò omni dubitatione ſemota innoteſcit, ut optimè evidentiſſimum pronunciatum dici valeat.

PROPOSITIO SEPTIMA

Si magis verò conſonet, commodiùs, & ſimpliciùs captu, ac explicatu ſit poſitam rem A. emanare potius a principio B. quam C aut viciſſim, inſigniter probabilior erit opinio ſtatuens cauſam rei A. eſſe B. non autem C. & viciſſim.

Hæc aſſertio inter Axiomata pariter adnumeranda eſt, & ſola vocum expoſitione patet.

PROPOSITIO OCTAVA

Ex hoc quod res A. commodè, & æquè proficiſci poſſit a principiis B., & C., ni ſi evidenter pateat, non oriri actù à principio B., evidens, & manifeſtum adhuc non erit, principium poſitæ rei A., non eſſe C.

NUlla demonſtratione hæc propoſitio indiget, cum non minus manifeſta ſit, quam ſint Matheſeos Axiomata, cum ritè terminis expoſitis ſub dubium nullo modo revocari poſſit.

PRO-

PROPOSITIO NONA

Si eadem res A æquè oriri posset à duplici principio B. & C., & ex alia parte apertissima, & irrefragabilis Ratio illucescat, qua Mens assentiri cogatur, rem A actù profluere a principio B. non autem C., evidentissimum erit, positam rem A ortum ducere a principio B. non autem C; ut omninò falleretur, atque injuriam inferret Rationi. qui posthabito principio B. ad exponendam originem & causam expositæ rei A, non B. sed C. potius adhiberet.

Hæc propositio ex se nota est, ut nulla probatione indigere videatur.

PROPOSITIO DECIMA

Si res A nullam necessariam connexionem habeat cum principio B., ut æquè emanare possit a principio C.; qui firmissimo assensù citrà dubitationem, judicaret, positam rem A oriri à principio B., nisi accesserit evidentia, quod potius proficiscatur à principio B. quam C. in fallacem atque captiosam argumentationem incideret.

HUjus assertionis veritas nullo negotio innotescit, si advertamus, captiosam, atque sophisticam argumentationem eam esse, in qua nullum necessarium nexum antecedens Propositio habet cum sequenti, sed tantum ob aliquam levem veritatis imaginem invicem adnecti videntur, ut optimè antecedens Propositio ab alio Principio diverso deduci atque inferri possit; De cujus paralogisticæ & subdolæ ratiocinationis indole atque natura prolixum sermonem habuimus in nostro Dialecticæ specimine, quod olim in Tyronum gratiam euulgavimus, ubi non tantùm, in quo sophismatis frausita sit, verum etiam quàm probabili, & opinativo sylogismo affinis sit captiosa argumentatio, manifestè demonstravimus.

PROPOSITIO UNDECIMA

Singula argumenta, quæ pro Animæ mortalitate ab Epicuri Sectatoribus, & potissimum à Lucretio in Libro Tertio de Natura rerum in medium adducuntur, sophismatis, ac illegitimæ ratiocinationis vitio adeò laborant, ut non tantùm non infirment, verùm & roborent saniorem de Mentis humanæ immortalitate doctrinam, quam firmiter, & fide, & ratione docente, profitemur.

AD decem Classes, seù genera commodè reduci possunt singula argumenta, quæ quidam perversi homines ad Epicuri doctrinam propugnandam, seù ad Animæ caducitatem statuendam adhibere solent. *Singula Epicuri argumenta ad decem classes commodè reduci possunt.*

Primum argumentorum genus desumitur à nexu, & mutuo commercio Animi, & corporis in homine, & potissimum à corpore in sensus, phantasiam, animique passiones agente.

Secundum ex phantaſmatum neceſſitate, ut Animus corpori conjunctus intelligat.

Tertium accipitur ab ipſo corpore impediente, prohibente, aut extinguente uſum Rationis in delirio, inſania, aut ebrietate.

Quartum à nexu inter vires, incrementum, & imbecillitatem corporis, & Animi.

Quintum à corporis infirmitate, aut ſanitate, valetudinem, aut morbum animo conciliante.

Sextum ab abſentia operationum Animæ, ſenſus, & imaginationis extinctione, ſoluto corpore, in cadaveribus.

Septimum ab Animo corporis organis indigente, ut exiſtat, atque in corpore oriatur.

Octauum a vi, quam habet corpus, dolorem ac voluptatem in Animo excitandi.

Nonum è confuſa, atque obſcura notione ſpiritalis, & incorporeæ ſubſtantiæ, cujus revera nullam prorsùs Ideam nos habere opinantur, ut quidquid cogitatione a nobis revoluatur, neceſſariò, ſub alicujus corporis imagine humanæ Intelligentiæ repræſentur.

Decimum tandem deſumitur ex hoc, quod ex ſola, & nuda trina dimenſione, & corpus pariter, & Animus optimè, ac compendioſiùs progigni valeant.

Singula hæc argumentorum genera, Tertium Lucretii librum confutantes ſubdola, atque captioſa eſſe primùm oſtendemus, quæ eodem tempore Animæ immortalitatem propugnans falſi, & levitatis præclariſſimus convincet Auguſtinus. Idcircò dum Lucretii Textum interpretamur, ac unà rejicimus, præcipuus noſter ſcopus eſt demonſtrare Epicuri ratiocinationem pro Mentis humanæ caducitate, aut, ut ita dicam corporeitate, fallacem, ac prorsùs illegitimam eſſe, ut nullo pacto ſufficiat ad firmiter ſtatuendum, Animam cum corpore interire, atque adeò ſtultum, ac fatuum eſſe concludemus in Epicuri doctrina quieſcere, tutiori, atque inſigniter probabiliori de Animæ immortalitate ſententia contempta, ac relicta. Quapropter adeò Lucretii rationes, prælucente ratione, in dubium revocabimus, ut Epicuri ſectatores ab inſana ſecuritate, in qua viuunt, pro viribus removere, atque ad æternæ vitæ metam dirigere ſperamus; quos enixè rogamus, ut ſedulò noſtras dubitationes, & confutationes expendant, fortaſsè, Auxiliante Deo, percipient, quàm læthalis, fraudolenta, rationique diſſentanea ſit Epicuri doctrina de Animæ Mortalitate, quæ quantùm ſenſibus congruit, ac mortali carni lenocinatur, tantùm puriſſimæ Rationi adverſatur, morumque honeſtati, ac Anima noſtræ ſaluti officit, noſque perpetuæ damnationis diſcrimini infeliciter exponit. Jam noſtrarum Propoſitionum ſerie præmiſſa, ad Epicuri ſophiſmata detegenda & refellenda accedamus, ut deindè Auguſtinenſis argumentationis ſoliditas, atque vis planiùs percipiatur.

MEN-

MENTIS, ET CARNIS CONFLICTVS.

SEV

Auguſtinus, & Epicurus invicem pugnantes.

CARO

Sivè Epicurus in Libro Tertio Lucretii de rerum natura pro Animæ Mortalitate certans.

SOPHISMA PRIMUM.

Depromptum ex Lucretii Libro Tertio.

Principio quoniam tenuem conſtare minutis
Corporibus docui; multòque minoribus eſſe
Principiis factam: quam liquidus humor aquai
Aut nebula, aut fumus. Nam longè mobilitate
Præſtat, & à tenui cauſa magis icta movetur,
Quippè ubi imaginibus fumi, nebulæque moventur.
Quod genus, in ſomnis ſopiti ubi cernimus alta
Exhalare vapore altaria, ferreque fumum,
Nam procul hæc dubio nobis ſimulara geruntur;
Nunc igitur quoniam quaſſatis undique vaſis
Deffluere humorem, & latices diſcedere cernis;
Et nebula, ac fumus quoniam diſcedit in auras,
Crede Animam quoque diffundi, multòque perire
Ocyus, ac citius diſſolvi corpora prima;
Cum ſemel omnibus è membris ablata receſſit,
Quippe etenim corpus, quod vas quaſi conſtitit ejus
Cum cohibere nequit conquaſſatum ex aliqua re
Ac rarefactum, detracto ſanguine venis,
Aere qui credas poſſe hanc cohiberier ullo.
Corpore qui noſtro rarus magis incohibeſcit?

EXPOSITIO.

ANtequàm primum ſophiſma Epicuri, Lucretiano ore diſputantis, à nobis refellatur, diligenter illius vis, atque ſenſus exponendus eſt; Idcircò haud Grammaticorum more, ſed Philoſophorum, Epicuri argumenta Lucretii carminibus expreſſa, pro virili explanare & interpretari curabimus.

In

Epicuri sententiæ de Animæ humanæ naturæ in medium affertur.

In hoc primo Epicuri Ratiocinio pro Animæ caducitate firmanda, potissimùm quid sit humanus Animus, aperitur, ut potiùs hìc Epicurus Animæ naturam exponere, quam illius mortalitatem probare videatur. Primò igitur statuit humanum Animum constare ex minutissimis quibusdam corporibus, quorum figura orbicularis, ac maximè volubilis sit. Putat enim Animam nihil aliud esse, nisi tenuissimam quamdam auram, aut subtilissimum flatum organico corpori infusum, quem alibi Ventum, alibi vitalem calorem appellat, quæ quidem vitalis aura efformata, & compacta sit ex insectilibus corporibus, nempè athomis, quæ tenuiores sint, majorique celeritate moveantur, quam sint, & moveantur aquarum guttulæ, aut nebula, aut fumus. Etenim, ait, longè mobilitate illis corporibus præstare Animũ, qui adeò, tenuis ac mobilis est, ut ad ipsum agitandum, atque commovendum ipsius nebulæ, aut fumi similitudo, imago, aut vestigium, quod phantasiæ inest, satis fuerit; siquidem in somniis cum altaria fumantia vaporem eructare interiori sensu cernimus; tenuissimum ipsum fumi simulacrum, quod soli imaginationi inest, fumo, quem repræsentat, certè subtilius, Animam commovet, atque insigniter afficit; si igitur sola fumi similitudo ad Animum agitandum sufficit, planè sequitur Animæ naturam constare ex partibus fumo subtilioribus, ut nullum corpus sub sensum cadere valeat, quod mobilitate, partiumque tenuitate sit animo æquiparandum.

Quamobrem, ut vides, Epicurus arbitratur humanam Animam sectilem esse, & corpoream, ejus nempè naturæ cum corpore organico, cujus mobilior, atque subtilior pars sit; quod potissimùm colligit ex hoc, quod summoperè Animus corpori consentiat, ut sentiens, aut imaginans, aut etiam intelligens prorsus à corporeis organis pendeat, quod sequentibus carminibus expressit Lucretius.

Prætereà pariter fungi cum corpore; Et una,
Consentire animum nobis in corpore cernis.

Cum ergò prosequitur Epicurus, humanus Animus tenuissima quædam aura sit ex rerum primordiis, ex subtilissimis scilicet corporibus compacta, necesse est, ut evanescat, atque solvatur cum, organico corpore disrupto, organisque perfractis, minutissima corpora ab invicem sejunguntur, eo modo, quo & fumus, & nebula dissociatis partibus disgregantur. Quapropter cum hæc intelligens, & vitalis aura in sanguine, cujus veluti fons est, potissimùm contineatur, atque in corporis organis tanquàm in vase, & receptaculo claudatur, oportet pariter ut detracto è venis sanguine, atque organorum canalibus disruptis solvatur, atque in auras, in suas partes distributus abeat Animus, qui tanta tenuitate, mobilitate tantà pollet, ut soluto corpore, neque rarissimo Aere cohiberi valeat, adeò namque citò rerum primordia cohibente vase refracto, mutuò sejunguntur, ac separata avolant, ut nulla eluceat vis, quæ possit illorum divisioni, ac separationi obsistere.

Subdola & inanis Epicuri sectatorum Argumentatio.

Hanc Epicuri opinionem plures ex antiquioribus Philosophis amplexati sunt, censentes Animam intellectivam in sanguine delitescere; In quam sententiam vergunt Virgiliana verba. Purpuream vomit ille animam. Quam doctrinam sequenti ratiocinio latius exponere, atque firmare quidam nefarij homines enituntur; Impossibile est aliquam sub-

ſubſtantiam eſſe: cuius non ſit aliqua operatio. Sed omnis operatio finitur cum corpore, quod quidem patet per inductionem. Nàm virtutes animæ ſentiendi, imaginandi, atque intelligendi per corporeas facultates, ac corporeum inſtrumentum operantur, atque perficiuntur; ſiquidem non tantum ut ſentiat, & imaginetur animus, corporis organis, corporeiſque imaginibus utitur, verum etiam ut intelligat, nequit enim intelligere, niſi auxilio phantaſmatum, quibus ſemotis omnis cogitatio perit in animo, cuius ſingulæ notiones, atque ideę à corporeis ſenſuum organis ortum ducunt; ſi igitur corporeis organis indiget Animus ut agat, dùm illius operatio à corpore pendet, neceſſe eſt, ut pendeat & natura; nam ſi animi operatio corporea eſt, nempè à corpore pendens, opus eſt, ut corporea ſit illius ſubſtantia, adeò corpori organico conjuncta, ut hoc ſoluto, illicò pereat, & evaneſcat, vulgare enim effatum eſt, Modus operandi ſequitur modum eſſendi, ſeù talis in dolis res eſt, qualis eſt illius operatio; ſi ergo animæ operationes, atque virtutes à corporeo inſtrumento pendent, oportet ut & ipſe animus corporeus ſit.

Deindè experientia docente, detracto è ſanguine venis ſimul cum ſanguine effunditur animus, nàm dum vitalis, ac tenuiſſima aura in partes ſolvitur, quævis animæ operatio evaneſcit, & tantum ſupereſt cadaver, ſenſu, atque cognitione omni deſtitutum, quod ſanè contingit ex hoc, quod diſſipato ſanguine abijt in auras animus, qui in ſuas partes ſolutus a cogitando ceſſat. Hoc pacto in falſæ, & impiæ Epicureę ſententiæ gratiam captiosè, ac perperam hujuſmodi homines ratiocinantur.

CONFVTATIO.

Prima Lucretii argumentatio refellitur.

PRiuſquam iuxtà Principia in apparatu noſtro expoſita, quàm fallax, ac levis hujuſmodi Epicuri ratiocinatio ſit, a nobis oſtendatur, validiſſimus accedat Auguſtinus, in medium adducens ea, quæ feliciter ac ſolidè expoſuit in Libro X. de Trinitate, atque adeò firmiſſimo ratiocinio oſtendens, humanum animum haud corporeum, ſed molis partiumque expertem, totumque animum eſſe, dum enim animum vitalem calorem, & auram ex rerum primordijs compactam eſſe, arbitraris, ſcis ne hoc, an putas? Profectò, ut pluribus in locis ſupra oſtendimus, putatur hoc, neutiquam ſcitur. Etenim dum in dubium, ſe auram eſſe, aut aliud corpus ex minutiſſimis partibus efformatum, Animus citrà ſtultitiam, ac levitatem revocare poteſt, nulla tamen ratione, niſi inſania laboraret, dubitare poteſt, quod intelligat, atque cogitet, cum ſe auram eſſe putat. Secernat ergò animus quod putat, cernat, quod ſcit, hoc ei remaneat.

Auguſtinenſi a ratiocinatione Animum at-homis minime conſtare oſtenditur.

Neque adducta experimenta adeò Epicuri doctrinæ favent, ut abſque ſophismatis vitio, atque temeritatis nota, animam corpoream, ac mortalem eſſe affirmare valeat, nihil namque certè concludunt, ſed dubitandum adhuc & ancipitem relinquunt animum, probabilitatem quoque, ac veriſimilitudinem oppoſita ſententia minime demunt: quod, ut facilius aſſequamur, ad ſilogiſticam formam, vulgaris dialectiçe more, Epicuri argumenta reducere liceat. Quidquid pendet in agendo a cor-

Fallax quidem Epicuri argumentatio.

corpore, corpus necessariò est; atque humanus animus pendet omninò a corpore, corporeus igitur est, atque adeò mortalis eo modo, quo mortale & corpus est. Animum autem pendere a corpore primò hoc pacto colligitur, nisi corporis organa integra, ac perfecta adsint, in nullam operationem erumpit Animus, pendet igitur a corporeis organis Animus, deindè disrupto, & soluto corpore dumeffunditur sanguis, singulæ Animi operationes cessant in homine; solutus est ergo pariter cum sanguine humanus Animus, nàm si illius substantia alterius generis esset a corpore, corporeis diffractis organis adhuc Animus in superstite cadavere agere possit.

Nostri apparatus ope Lucretiana sophismata detegunter.

Attamen primam argumentationem expendamus. Animus humanus, ait, pendet a corpore, sed unde, quæso hoc tanta certitudine colligit? Dices ex hoc quod corporeis organis ad cogitandum utitur; at nihil verè hæc responsio concludit, nihil indubitanter probat: Nam quod humanus Animus ad sentiendum, & imaginandum potissimùm corporis organa adhibeat, æque commodè a duplici causa, seu principio oriri potest; primò iuxta tuam doctrinam ex ipsamet Animæ natura quam corpoream, ac sectilem facis, nam si fingeretur Animus corpus, sanè corpore indigeret, ut ageret: secundo hoc idem phænomenon, seu ut cum scholis loquar, hic idem numero effectus potest æque profluere a diverso principio, nempè a liberrima Authoris intentione, rejecta Animæ corporeitate, & mortalitate; si quidem in propositione tertia nostri Apparatus manifestè demonstravimus posse dari Animum, insectilem prorsùs & incorporeum, qui suaptè natura nullo *modo* a corporeis organis pendeat, adeò tamen ex naturæ legibus, & liberrimo supremi Numinis decreto organico corpori conjunctus sit, ut ad plures suas operationes exercendas, corporeo instrumento indigeat, aut uti possit, si velit. Quapropter evidenter concludimus, quod cum hujusmodi dependentia, atque corporis usus in Animo æque oriri possit a duplici principio, posita pariter, aut rejecta Epicuri doctrina; sivè enim, Animam corpoream esse, sive spiritalem, & insectilem ponamus, utique semper incolumis hujusmodi dependentia Animi a corpore manere possit, neque ut hæc contingat, & habeatur, opus est, ut Animus sit corpus, cum etiam si ponatur incorporeus, accedente liberrima Authoris voluntate, adhuc hujusmodi Animi, corporisque commercium, ac reciproca in agendo connexio commodè intelligi possent; fallax igitur atq; captiosa est huiusmodi ratiocinatio, Anima ut sentiat, & imaginetur, indiget corpore, est igitur corpus, nam qui incorpoream Animam esse docet, bene huius argumentationis vim infirmare posset, dicendo, non indigere Animum corpore, ut quasdam actiones exerceat, quia corpus est, & suapte naturà indigeat corporeis organis, sed quia cum insectilis sit, & immateriatus creanti, ac providæ Naturæ placuit, ut ita organico corpori adnecteretur, ut ad sensus, atque imaginationis operationes perficiendas organorum ministerio indigeret, in qua re nulla profectò est manifesta absurditas, nulla aperta falsitas, sed insignis potius quædam imago veritatis elucet. Quamobrem haud negamus experimentum, tantum inficiamur, ex hoc nullo pacto evidenter deduci, Animam interire, atque corpus esse, ut non possit æquè oppositum inferri, nempè Animam, etsi insectilis est, & in-

incorporea, posse tamen uti, & indigere corpore ex sola liberrima Authoris intentione; Cum enim idem effectus potest æquè emanare a duplici causa B. & C. nisi evidens ratio accesserit, quæ ostendat, oriri potiùs ab uno, quam ab altero principio, obscurum, incertum, atque sub lite semper remaneret, an principium sit potiùs B, quam C., atque adeò qui affirmaret, citrà dubitationem effectum procedere a B. aut à C., in captiosam atque fallacem argumentationem incurreret, ut ex propositionem sexta nostri Apparatus constat.

Eodem pacto planè innotescit, quàm subdola, & fallax sit altera Epicuri argumentatio; Detracto sanguine è venis, dissipata tenuissima spirituum Animalium aura, Animus ab agendo cessat, & nihil aliud superest, nisi iners, torpidumque cadaver; corporeus igitur est animus atque interit. Attamen quis non videt, quam futile, ac leve sit hujusmodi ratiocinium, quod sanè ut alterum callidum Sophismatum genium continet? Non valet enim, nullamq; vim habet, detracto, ac disgregato sanguine, cessat ab agendo in corpore animus, mortalis igitur est animus, ac interit; Nam hic operationum defectus à duplici principio æquè oriri posse, intelligimus, primò posset Animus cessare ab agendo ob nativam connexionem, quam habet cum corpore, nempè quia subtilissimum corpus in sanguine delitescens est, modo quo docet Epicurus. Deindè contingere posset ex alio capite ex liberrima scilicet authoris intentione modo exposito; Siquidem etsi animus insectilis, incorporeus, ac suaptè natura penitùs à corpore independens poneretur, attamen ex naturæ legibus atque Autoris intentione optimè fieri posset ita organico corpori associari, ut nisi corporis organa integra, atque concinno quodam ordine invicem adnexa fuerint, ab agendo in corpore cessare deberet; Quapropter apertæ falsitatis incusari minimè potest, qui sustineret soluto, & disrupto corpore, cessare ab agendo in corpore animum, non quia interit, & in auram abit, cum immortalis sit, & inextensus, sed quia liberrima Dei voluntate statutum est, tamdiù mutuum hoc commercium inter animam, & corpus durare, quamdiù concinnus partium nexus ac debita organorum dispositio juxtà universales, ac primas naturæ leges duraverint, ut insigniter organico corpore perturbato, ac immutato, non sit ampliùs in animi potestate organis corporeis uti, ad eas absolvendas actiones, quæ non possunt emanare ab animo, nisi hic corporalibus, organis modo spirituali substantiæ congruo, sit conjunctus, ut luculentiùs exponemus, cum de corporis, animique unione in nostris investigationibus agemus. Idcircò firmamus, Epicuri ratiocinationem nihil evincere, ac turpissima quadam temeritate laborare.

Alterum in Epicuri ratiocinatione detegitur Sophisma.

Prætereà in hoc Epicuri ratiocinio fallacis argumentationis fraus delitescit, in qua, ut scholarum vulgus loquitur, a secundum quid ad simpliciter proceditur; hoc enim pacto ratiocinari videtur Epicurus, detracto e venis sanguine anima definit agere in corpore, cessat igitur omninò ab agendo, ac definit esse; Ex hoc ergo quod Animus non amplius agit in corpore, concludit, illum nullibi, ac nullo modo agere, ut prorsùs intereat. En captiosa argumentatio? Non enim est necesse ut omninò operari, atque esse definat animus, dum ab agendo se in corpore abstinet, aliud namque est, quod animus definat esse, omnique actione

ne destituatur aliud, quod ampliùs in organico corpore non operetur; nã potest optimè contingere, ut soluto corpore adhuc maneat, & subsistat animus, quamvis in organis corporeis non agat; Quod ut faciliùs percipiatur, oculos quæsò in personantes fistulas convertamus? Dum in concinnam, atque congruam musici Organi fistulam irruit, ac velox impellitur aer, hic dum in fistula undulosо motu cietur, ac peculiari quodam modo afficitur, & modificatur, jucundum sibilum, ac sonitum quemdam progignit. En aer in fistula operationem exercens? Attamen disrumpatur, in partes fistula scindatur, perit sonus, abagendo in fistula cessat aer, & veluti emortuum musicum instrumentum jacet. Quæro abs te Epicuri Sectator, definit ne esse, cessat omninò ab operando aer, cum disrupta fistula, sonitu evanescente, aeris operatio in fistula perit? Profecto respondebis, manet adhuc aer, suasque nativas operationes exercens, cum fracto instrumento a sonitu procreando cessat. Idcircò sicuti perturbato organo haud esse, & in se ipso agere, sed tantùm in organo operari definit aer, eodem pacto quid, amabo te, prohibet, quin idem de humano animo possit affirmari, ut citrà rationis injuriam dicamus, organico corpore soluto, manere quidem humanum Animum, suasque nativas operationes exercere, etsi hic ob organorum defectum, ac perturbationem agere desinit in corpore? Nihil igitur absurdius, atque à ratione alienius quam animi interitum, & extinctionem inferre ex sola animi operationum absentia in corporalibus organis.

Aperte falsitatis redarguitur Epicurus.

Insuper quamvis humanus Animus ad sentiendi, & imaginandi virtutes exercendas corporeis organis indigeat, atque utatur, attamen falsum est, pendere à corpore in intelligendo, nam præter sensus, & phantastæ facultates elucet in animo insignior intelligendi potestas, quæ non tantùm ad suas actiones perficiendas corpore non utitur, verùm etiam quidquid corporeum, ac sensile est, à se prorsùs abijcit; Nisi enim Animus à corporeis rebus, atque phantasiæ imaginibus avertatur, intelligere profectò non potest. Quod infrà demonstrabimus, interpretantes ac roborantes primum argumentum, quod pro animæ immortalitate firmanda in medium profert Augustinus. Interim fatemur, rationi adversari illud tam celebre pronunciatum, *Oportet intelligentem phantasmata speculari*, ut nihil possit Animus intelligentia revolvere, cujus Ideas, ac notiones a sensibus, atque imaginandi virtute non emendicaverit, quam præjudicatam vulgi opinionem solidè, ac fusè in nostro Dialecticæ specimine confutavimus, & nostris investigationibus nova Methodo confirmare enitemur.

Huc accedit: Nihil stultius, nihilque dementius dici poterat, quàm humanum animum nihil aliud esse nisi tenuissimum quemdam flatum, ac vaporem, aut, si mavis, concitatum sanguinis florem per crassioris corporis tubulos, & organa explicatum. Etenim fingamus animo, O Epicuri Sectator, ità rem se habere, ut tu delirando doces, profectò, cum desumpto cibo enutritur corpus, cum corpore pariter enutritur, ac refocillatur animus. Siquidem cum cibus, & alimenta non tantùm ad risarciendas solidas, & crassiores corporis partes, verùm etiam ut & ætherea, atque subtilior sanguinis ac spirituum animalium substantia instauretur, ac foveatur, requiruntur, sequitur juxtà tuam doctrinam, ex cibis,

Quantum a veritate aliena & absurda sit Epicuri sententia nova & solida ratiocinatione demonstratur

cibis, atque alimentis, & ipsius met animi vires, ac robur accipi, & hauriri, ut refocillato, & roborato sanguine, tenuissima Animæ aura in illo delitescens alatur, & instauretur. Quapropter dum alimentum, seu cibus in humano corpore attenuatur, crassiori parte expurgatur, ac diversimodè plurium fermentorum ope afficitur, & configuratur, tandem in Animum abit, vivacissima intelligẽtię aura ex ipsis alimentis, nutritivæ virtutis auxilio, deprompta. En igitur hic Panis ad te enutriendum ordinatus, quid ne vivit; intelligit, cogitat, voluptate aliqua perfunditur? sanè hæc omnia panis a se rejicit, etenim, ut ipsimet oculi testantur, iners, & emortua quædam res est, nihil aliud enim est, nisi torpidissima moles ad patiendum potius, quam ad agendum apta, omni cogitandi, ac intelligendi virtute penitùs denudata, ut nullius felicitatis, nulliusque doloris, aut Sapientiæ capax videatur. Jam in stomachum panis immittatur, fermentorum beneficio, in chylum, deindè in sanguinem, in tenuissimam tandem, ac ætheream auram per nervos, ac cerebrum excurrens convertatur. Jam juxta tuæ Philosophiæ rudimenta iners, & emortuus panis in vivam, atque intelligendi Animi naturam, incogitabili quadam metamorphosi, conversus est, qui suæ nativæ vilitatis, atque infimæ, & ut ita dicam plebeæ conditionis oblitus, tanta dignitate exornatur, audacia, ac superbia tanta intumescit, ut Animæ, atque intelligentiæ viribus instructus, dum sui, suarumque operationum, quorum antea nescius prorsùs erat, scientiam, & perceptionem acquirit, veluti ad inaccessæ Divinitatis fastigium contendens, divinorum attributorum amore, ac desiderio exardescat, ad universam sapientiam amplectendam anhelans, totum Verum intelligentia assequi exoptet, seipsum, & in se ipso insigniores artium, ac disciplinarum doctrinas investigare incipiat, summam felicitatem appetat, velit omnia scire, cuncta posse, a nullo, nisi a se ipso pendere? Undè enim, quæso, in torpido, ac inerte pane tantus sciendi impetus, tanta cogitandi virtus, ac beatitudinis assequendæ cupiditas orta est? Forsannè quia in humano corpore multifariam commotus, & agitatus in tenuissimum tandem flatum abiit? Atquis, nisi fit mente captus, capere, & intelligere sine notionum pugna, & manifesta absurditate valet, qua ratione, sola partium tenuitate, ac motus velocitate accedente, ex torpido, & inerti pani tam vividus, tam potens, tamque validus emerserit Animus, qui tanta perfectione, ac robore tanto polleat, ut suprà cuncta corpora caput extollens, supremi Numinis privilegia veluti rapere audeat, quod pluribus ex vetustioribus Philosophis ansam dedit dicendi, humanum Animum præstantissimam quamdam Divinitatis particulam esse.

Considera igitur dignitatem Animę tuę, Epicuri Sectator, illius excellentiam, vim, ac propè divinam intelligendi virtutem expẽde, & salubriter intelliges haud cum corpore pariter interite, haud vilissimum corpus esse Animam, sed altioris esse ordinis, atque insignem quamdam Immortalis, et incorporei supremi Conditoris imaginem in se exscriptam ferre. Audi præclaram Apostoli sententiam. *Habemus Thesaurum magnum in vasefictili*. Fictile quidem, luteum, ac corruptioni obnoxium est vas, mortale nempè corpus, attamen insignissimus quidam in corporis vase absconditus Thesaurus est humanus Animus, in quo quidquid pretiosius, æstimabilius, ac præstantius extra se supremum Numen pro-

creavit, veluti totum collectum clauditur, ubi immarcescibilis sapientiæ semina delitescunt, immutabile rationis lumen effulget, sempiterna ipsa Veritas in æquitatis, honestique legibus, artium, ac disciplinarum ingenitis notionibus latens, augustissimè inhabitat.

Postremò hic admonemus, non tantum Dei existentia firmata, verum etiam & posito casu citrà creantis Naturæ providentiam, evidenter inferri, possibile esse ut humanus Animus, etsi suapte natura incorporeus, & immortalis, ex aliqua causa, quæ nos lateat, adeò corporeis organis conjungatur, ut illis ad sentiendum, atque imaginandum utatur, quibus perturbatis, ac diffractis, agere in corpore desinat. Etenim si iuxta Epicurum casu, nullo Numine gubernante, ex ipsomet fortuito atomorum concursu immanis, ac pulcherrima corporei Vniversi fabrica in lucem prodijt, si tandem casu insignissimæ tot naturæ, totque artes emerserunt, cur pariter casu ab ipsa rerum æternitate contingere non poterat, ut aliqua substantia altioris ordinis supra corporeas res caput extolleret, insectilis, inextensa, immortalis, ac tota intelligens, quæ tamen ità organico corpori regendo accommodaretur, ut optimè possit organicæ materiæ conjungi, modo quo evenire observamus? Quapropter etiam Dei existentia rejecta, & ipsius Epicuri doctrina admissa, captiosæ, atque fallacis argumentationis meritò Epicurus redarguitur, cum iuxta utramque hypothesim ex hoc, quod humanus Animus quodammodo pendeat in agendo a corpore, ut eo disrupto, & perturbato, desinat in illo agere, nullo pacto indubitanter inferri valeat, Animum interire, atque omninò ab agendo cessare, cum interit, ac in partes dissolvitur corpus.

SOPHISMA SECVNDUM.

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tempus.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergò dissolvi sic convenit omnem Animali
Naturam, seù fumus in altas aeris auras
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere, & ut docui, simul ævo fessa fatiscit.

ESPOSITIO.

Subdola Epicuri ratiocinatio in medium affertur.

TOta hujus sophismatis vis in hoc sita est. Si humanus Animus, pro Epicuro certans Lucretius ait, incorporeus est, & immortalis, nullam profectò cognationem, affinitatem nullam habet cum corpore. Cum ergò suapte natura sita corporis substantia aliena, alteriùs nem-

nempè generis, neceſſum neutiquàm eſt, ut ſimul cum corpore in vitam ingrediatur. Quid enim cauſæ eſſet, quod cum corpore pariter id naſcatur, cujus indoles altioris, ac excellentioris eſt ordinis? Deinde ſive augeantur, ſive decreſcant, ſive penitùs infringantur, & pereant corporis vires, nulla ratione augeri, aut minui, aut refringi, & interire deberet Animæ virtus, quæ utpotè ſpiritalis, & inextenſa, quovis modo immutato corpore, nullam quidem mutationem ſubiret, ſed eadem ſemper immutata maneret.

Attamen hoc experientiæ manifeſtiſſimè refragatur, ac primum vel ipſiſmet oculis Animam paritèr cum corpore in lucem procedere cernimus, ut nullam operationem exerceat, vivere haud incipiat niſi congruis organis inſtructa, omnibuſque numeris abſoluta ſit humani corporis fabrica.

Deindè non tantum identidem cum corpore organico lucem adſpicit Animus, verum etiam hic adeò ab illo pendet, ut illius vices, ac mutationes neceſſariò ſequatur; etenim quia in pueritia imbecillia, & valde infirma ſunt corporis membra, pariter hebes eſt, & langueſcit Animus, adauctis verò corporis viribus in adultiori ætate, & auctior ſit Animus, in quo augetur conſilium, ac matureſcens creſcit ratio, quę tandem corporis virtute in ſenectute imminuta, & enervata, debilitatur, ac ſummoperè alteratur; idcircò dum ſeneſcimus, & Animo ſeneſcente, claudicat ingenium, mens delirat, ac ſingulæ animæ facultates labefactatæ mirum in modum perturbantur, quæ demum unà cum corpore deficiunt. Si igitur Animus oritur, augetur, minuitur, ac tandem unà cum corpore deficit, citrà dubitationem affirmandum eſt, corporeum eſſe, & mortalem, ut ſoluto corpore intereat, atque in tenuiſſimam auram abeat.

CONFVTATIO.

Fellax Epicuri argumentatio refellitur.

Ac primùm oſtendam, quàm ſubdola, & captioſa ſit prima Epicuri argumentatio. Hoc enim pacto ratiocinatur. Humanus Animus pariter cum corpore naſcitur, igitur mortalis eſt & corporeus. Attamen nullus neceſſarius nexus inter utramque entihmematis propoſitionem adeſt, ſeù ſequens propoſitio haud evidenter, & neceſſariò deducitur ex præcedenti; non enim opus eſt, ut Animus ejuſdem generis ſit cum corporeis, & extenſis rebus, ut ſimul cum corpore oriatur; ſiquidem animum in vitam introire pariter cum organico corpore, hoc poteſt ex duplici cauſa, ſeu principio ortum ducere; primò quia Anima aura quædam tenuiſſima in corporis organa infuſa eſſet iuxta Epicuri doctrinam; deindè poſſet hoc contingere ex alia cauſa, etiam rejecta, & diſiuncta ab Animo extenſionis natura, ex ipſa nempè liberrima ſupremi Numinis intentione, quòd pro ſuo arbitratù ſtatuerit, ac voluerit inſectilem, & immortalem Animum ſimul cum ipſo corpore procreare, ut humanus Animus non oriatur, niſi corpus rite diſpoſitum, perfectiſque organis ſit inſtructum. Qui hoc modo ratiocinaretur, apertæ falſitatis inſimulari quidem non poſſet. Cum ergo hic idem effectus, ſeu hoc idem opus, quod in medium affert Epicurus poſſit æquè a duplici cauſa emanare, ex his, quæ in noſtro apparatu firmavimus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [273] - 245
PUBLIC DOMAIN

mus, clarè liquet, temerè, & captiosa quadam argumentatione hìc Epicurum ratiocinari, dum nulla accedente evidentia, ex hoc quod Animus pariter cum corpore in lucem veniat, indubitanter infert, Animam corrùptibile corpus esse.

Prætereà ex hoc quod unà cum corpore agens manifestetur Animus, nequit manifestissimè inferri, tunc ortum habere Animum, cum corpus nascitur, suisque organis perfectè instruitur; nam contingere posset, (quod sanè apertè rationi non adversatur) Animum præstitisse, atque fuisse, priusquam organicum efformaretur corpus, ut cum illo haud oriatur, sed tantum organico corpore emergente veluti anteà delitescens nobis manifestetur, haud esse, sed solùm agere incipiens in corporalibus organis, quibus anteà minimè conjungebatur, modo quo olim Platonicæ Philosophiæ Sectatores putarunt, qui censebant Animas ante corpora præstitisse.

Quamobrem si nudum rationis lumen consulamus, indubitatum minimè est, humanas Animas pariter cum corpore nasci, ut non agere, sed esse, & vivere, dum corpus oritur, incipiant, quod admonui, ut Epicureis ostenderem, quam fallax, & captiosa sit illorum argumentatio, ex qua nihil certi, & inconcussi, ut ipsi perperàm opinantur, eruitur. Cæterum hanc Platonicorum Sententiam de Animarum præexistentia ante corpora tanquam fidei, ac religioni absonam magnoperè detestamur, ac reiicimus. Præter quam quod certum, ac evidens minimè est, humanum Animum non oriri simul cum corpore, ut ante corpus organicum præextitisse, dicendus sit.

Haud absimili modo altera Epicuri argumentatio, uti fallax, & minimè concludens, refellitur. Hujusmodi enim argumentatur Epicurus. Humanus animus augetur, minuitur, ac unà cum corpore desicit, est igitur morti obnoxius, atque corporeus. Quis autem sanæ Mentis, quàm claudicet, ac vacillet hoc ratiocinium, non videt? Siquidem hoc admisso non perindè indubitanter Animam corpoream, & mortalem esse, deducendum est; Nam hic idem effectus æquè a duplici causa originem trahere valet, nimirùm vel ab ipsa animi natura, si ejusdem generis cum corpore esset, ut arbitratur Epicurus, vel ex liberrima Authoris voluntate, modo quo supra satis expositum est; nulla enim manifesta falsitatis est in hoc, quod humanus Animus incorporeus sit, & immortalis, adeò tamen ex arbitrariis Creantis naturæ legibus corporeis organis adnexus, ut illius actiones corporis mutationes, ut experimur, sequi videantur; Cum ergò hæc omnia duplicis causæ beneficio obtineri possint, tanquam spuria, & illegitima respuenda est Epicuri argumentatio, in qua consequens propositio nullum necessarium nexum habet cum antecedenti.

A dautto corpore haud major, sed melior, pt Animus.

Cæterum, ut in præclarissimo opere de Animæ Quantitate copiosè, & solidè suprà ostendit Augustinus, cum in ætate matura corporis vires augentur, haud major, sed melior fit animus, qui non magnitudine, & mole, sed virtute, majori accedente exercitatione, crescit. Si quidem si maturior, & adultior fieret Ratio, seu Intelligentia, quia cum corpore pariter Animi moles augescit, sequeretur eò vivaciorem, ac perfectiorem evadere intelligentiam, quò maior, atque ingentior fit corporis moles. Idcircò qui corporea mole magis tument perfectiùs, ac perspicaciùs intelli-

telligerent, quod profectò experientiæ non consonat, etenim frequentissimè cernimus graciliores homines, qui minùs extensionis magnitudine tument, feliciùs, atque acutiùs intelligere, ut parùm, aut nihil corporeæ molis incrementum intelligentis facultatis augumento conferat. Deindè experientia docente plures inspicimus adolescentes adultioribus hominibus infirmiores, & imbecilliores, qui tamen magis sapiunt, ac intelligunt, præstantiorique pollent ingenio, quàm ii, qui corporis viribus robustioribus gaudent.

Præterea falsum est, quod enervato in senectute corpore, & Mens infirmetur; Nam frequentissimè oppositum contingere cernimus, ut potius sentiendi, et imaginandi facultate in senibus enervata, vigeat, et auctior fiat intelligentia, quæ eò purior, atque in agendo expeditior evadit, quò magis imaginandi potestas pigrescit, et sensuum exercitium enervatur, ut impedimento potiùs, quàm auxilio juvenilis phantasiæ, ut ita dicam ignis, nostræ sit intelligentiæ, quæ semper agit in homine, nisi à nimia ebullientis imaginationis effervescentia impediatur. Idcircò plures sapientes viros ægrotantes, ac senectute elumbes facilius, atque sublimiùs rationis, et intelligentiæ munera in usum revocasse, legimus, et nos olim præstantissimum Alphonsum Borellium vidimus, qui pleurityde laborans, ardentissima febre correptus, et iam è vita discedens fatebatur, tantùm in ipso intelligentiæ vim excrevisse, tantoque rationis lumine ipsius Animum fuisse perfusum, ut quamplures Geometricas, et phisicas veritates, quas valetudine corporis fruens comprehendere, ac detegere non valuit, apertissimè intelligeret, quod insignissimum quoddam nostræ Animæ immortalitatis argumentum est. Nam si Animus corporeus ac mortalis esset, cum organicæ facultates, sensus, & phantasiæ, corporisque vires minuuntur, & languent, judicium pariter, & intelligentia obruerentur, ac decrescerent; quod tamen experientiæ non consentit, imò cum graciliores, ac debiliores sunt corporis vires, minusque sensus, & phantasia obstrepunt, eò magis ingenii vires efflorescunt, judicii, & intelligentiæ robur firmatur, & adolescit. Quæ omnia luculentiùs latiùsque explanata videri possunt in expositione libri de Animæ quantitate, quem in prima huius operis parte quàm diligentissimè explanare curavimus, in quo loco Augustinus validè hoc secundum Epicuri Sophisma refellit, atque oppugnat.

Corpore senescente, aut enervato sepissime intelligendi Potestas augescit.

Sapientissimus Borellius e vita discedens intimius rerum causas agnoscebat.

SOPHISMA TERTIVM.

Hùc accedit, uti videamus corpus id ipsum
Suscipere immanes morbos, durumque laborem,
Sic Animum curas acres, luctumque metumque
Quare participem lethi quoque convenit esse.
Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sæpè Animus, dementia enim, deliraque fatur,
Interdumque gravi lethargo fertur in altum,
Eternumque soporem oculis, vultuque cadenti,
Undè neque exaudit voces, nec noscere vultus
Illorum potis est, ad vitam qui revocantes
Circumstant lacrymis rorantes ora, genasque

Qua-

Quare Animum quoque dissolvi fateare necesse est.
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi,
Nam dolor, ac morbus lethi fabricator uterque est,
Multorum exitio perdocti quod sumus ante
Et quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum
Et pariter flecti medicina posse videmus.
Denique cor hominum cum viri vis penetravit
Acris, & in venas discessit ditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt
Et jam cætera de genere hoc quæcunque sequantur
Cur ea sunt? nisi quod vehemens violentia viri
Conturbare Animam consuevit corpore in ipso?
At quæcunque queunt conturbari, inque pediri.
Significant, paulò si durior insinuarit
Causa, fore ut pereant ævo privata futuro
Quin etiam subito vi morbi sæpè coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictus
Concidit, & spumas agit, ingemit, & tremit artus,
Disjicit, extentat nervos, torquetur, anhelat
Inconstanter, & in jactando membra fatigat.
Nimirùm quia vis morbi distracta per artus
Turbant agens Animam, spumanti ut in æquore salso
Ventorum validis fervescunt viribus undæ
Exprimitur porrò gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur, & omninò quod semina vocis
Eliciuntur, & ore foras glomerata feruntur;
Qua quasi consuerunt, & sunt munita viai
Desipientia fit, cum vis animi, atque anima;
Conturbatur, & (ut docui) divisa seorsum
Disjectatur eodem illo distracta veneno,
Indè ubi jam morbi reflexit causa, reditque
In latebras ater corrupti corporis humor,
Tum quasi vacillans primum consurgit, & omnes
Paulatim redit in sensus, animamque receptat,
Hæc igitùr tantis ubi morbis corpore in ipso
Jactentur, miserisque modis distracta laborent
Cur eadem credis sine corpore in aere aperto
Cum validis ventis ætatem degere posse
Et quoniam mentem sanari, corpus in ægrum
Cernimus, & flecti medicina posse videmus,
Id quoque præsagit, mortalem vivere mentem.

EXPOSITIO.

Duo captiosa Epicuri Argumenta exponuntur.

IN hoc Lucretii Textu duo satis subdola, & captiosa argumenta continentur, ac primò sic arguit, quia corpus utpotè variis, ac sævissimis morbis obnoxium passibile est, ut plures mutationes, alterationesque

neſque ſubeat, perindè manifeſtè deducitur, & mortale eſſe; quidquid enim mutationi ſubjacet, tandem interire neceſſum eſt: Cum ergò Animus non minùs quàm corpus turbidis, ac perturbatis quibuſdam motionibus ut metus, mæſtitiæ, & ſimilium excruciatus, paſſibilisſit pariter, ac mutabilis interire tandem cum corpore oportet. Deindè ſic ratiocinatur. Cum morborum immanitas corpus torquet, ac vexat, illicò ingratus dolor ex animo emergit, ægreſcente ſiquidem corpore infirmatur, ac dolet Animus, quin etiam ægro, & affecto corpore à rationis via diſcedens, dementia fatur, ineptit nimirùm, ac delirat, & dum pergravi ſomno, ſeù læthargo premitur, deſes quædam oblivio, & omnium rerum inſcitia in ipſo ortum habet. Si ergò læthi, nempè mortis author, & fabricator eſt morbus in corpore, & identidem dolor, interiturum Animum eſſe, planiſſimè indicat, non minùs enim dolor, quam morbus ad deſtruendam rem, cui ineſt, aptus eſſe videtur. Undè enim tantus nexus, ac tanta affinitas inter Animam, & corpus, ut ſi hoc in morbum incidat, & illam dolore excruciari opus ſit? Id profectò contingit, quia utraque natura ejuſdem indolis, ac conditionis eſt, mortalitatis defectu laboraus; Hùc pertinet illud Arnobii ex Lib. 2. adverſus Gentes; Ipſe denique Animus, qui immortalis à vobis & Deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus. Hoc pacto ad Animæ caducitatem adſtruendam, fraudolentus argumentatur Epicurus.

CONFVTATIO.

VT, quam imbecillis, fallax, nulliuſque momenti hujuſmodi Epicuri argumentatio ſit, apertiſſimè innoteſcat, duplicem paſſibilitatem, ſeu duplex mutationis genus in humano Animo diſtinguimus. Primùm Animus dicitur paſſibilis, atque mutationi obnoxius ratione ſuæ finitæ ac limitatæ naturæ, quidquid enim finitum, & ab alio factum eſt, paſſibile, ac mutabile neceſſario eſt; Etenim cum ratione ſui ex nihilo ſit, atque ad nihilum tendat, plures defectus, pluresque imperfectiones complectitur, atque ſemper ulteriùs perfici, meliuſque fieri poteſt. Alterum mutationis genus in Animo originem trahit à corpore, cui adeo adnexus, & copulatus eſt, ut ex corporis mutatione illico mutetur, ac perturbetur Animus, ſicuti cum ægreſcente corpore metus, dolor, delirium, inſanies, ac funeſtiſſima phaſmata Animum mirum in modum excruciant.

Quàm infirmâ ſit Epicuri ratiocinatio noſtri aſparatus ope oſtend itur.

Ex mutabilitate primi generis tantùm evidenter infertur, humanum Animum haud perfectiſſimum, & infinitum, ſed finitæ, limitatæ, ac imbecillis eſſe naturæ, quin etiam manifeſtè arguitur, ex ſe nihil eſſe, atq; ad nihilum aſpirare, qui tantùm eſt, & exiſtit, quia infinitæ, ſummeque perfectæ Naturæ placuit, ut vita, atque exiſtentia perfruatur, ad quam tanquam ad ſui principium, atque metam inevitabili quodam impetu tendit; Attamen nequit citrà rationis iniuriam ex eo deduci mortalem, ac tandem periturum Animum eſſe, neutiquam enim cum paſſibilitate creatarum rerum, naturæ pugnat immortalitas; Etenim juxta Epicuri doctrinam, rerum primordia minutiſſima nempè, ac inſectilia corpora, ex quibus viſibilis compingitur Univerſus, ſunt quidem paſſibilia atque,

Ex humani Animi mutabilitate nullo pacto legitima argumentatione illius mortalitas infertur.

Epicurus ſuis met ætatis oppugnatus.

mutationi subjacent, nunc enim invicem adnectuntur, nunc verò separantur, diversos, varioſque subeunt motus, atque non tantùm movent, verùm & alijs corporibus impellentibus moventur. Deindè cum partibus, & corporeę molis trina dimensione constent, imperfectæ, ac deficientes quædam substantiæ sunt, in quibus tota, simplexque perfectio minimè efflorescit, sunt enim corpora cæca, sensu, vita, & intelligentia destituta, ulterioris perfectionis capacia. Quapropter etsi suapte naturà non vivunt, non sentiunt, non intelligunt, attamen dum invicem in homine concinno, ac congruo quodam nexu invicem disponuntur, ac copulantur, illicò intelligentem procreant Animum, ad insignissimam intelligendi potestatem attolluntur, doloribus quoque, ac concitatis, turbolentisque cordis motionibus angi, ac torqueri dicuntur; Cum enim intelligit, sentit, ac dolet Animus iuxtà Epicuri doctrinam, ipsasmet tenuissimas athomos certa quadam lege, ac proportione conjunctas intelligere, sentire, dolere, atque adeò modis innumeris alterari, ac pati dicendum est. Sunt igitur corporum permixtorum elementa suaptè natura passibilia, ac mutationibus obnoxia, & tamen, ipsomet Epicuro fatente, immortalitatis & incorruptionis eximia dote gaudent, ut nunquàm intereant, sed tanquam sempiternæ naturæ subsistant semper, ac maneant. Non abhorret ergò a finita & mutabili re immortalitas, quæ sicuti in mundi corporei rudimentis scilicet athomis viget, potiori iure congruere, aptarique poterit Animo, qui cum omni parte, corporumque tumore careat, *insectilis* prorsùs est, ut non minùs ac athomi in nullas partes *dissolvi* queat. Fallax igitur est hujusmodi ratiocinatio, Animus humanus utpotè finitus & ab alia natura perfectiori progenitus passibilis est, mutationemque subit, igitur mortalis est, ut tandem aliquando interire oporteat. Tantum enim ex hac mutabilitate ad summum inferri posset, Animum non gaudere immortalitate originaria, ut ità dicam ac primaria, quæ tantùm Deo competit, ut suo loco dicemus, sed derivata, ac secundaria, quæ nempè sempiternæ, ac perfectissimæ vitæ præstantissimum quoddam imitamentum, ac insignis imago est, nihil namque prohibet, quin Deus extrà se ipsum intelligentem substantiam progignere valeat, in qua non solum suæ intelligentiæ virtutem, verùm & incorruptibilis suæ naturæ durationem insigniter excribat.

Hæc ut oportet mortalem esse Humanum Animum, ut hic cum corpore pariter mutetur.

Si verò alterum mutationis ac passionis genus in Animo expendamus, quàm insidiosus, futilisque sit Epicuri sermo, quis sanæ mentis non videt? Mutatur quidem, ac perturbatur Animus mutato, & affecto corpore, ex hoc tamen nequit indubitanter arguere Epicurus, Animum non minùs ac corpus mortalitati, corruptionique subiacere; siquidem, ut hic nexus, hocvè vinculum Animi, corporisque in homine perficiatur, necesse sane non est, ut Animus mortale corpus sit, ejusdem nempè conditionis cum organica materie, cum ad id absolvendum satis sit, ut vel fortuitò, vel ex liberrima Facientis voluntate immortalis, & incorporeus Animus tali lege organico corpori adnectatur, ut Animus cogitans corpus immutet, ac perturbet, hoc verò vicissim, dum diversimodè movetur, & afficitur, mutationes quasdam in Animum inducat, modo quo suprà satis exposuimus. Idcircò cum hæc mutua in agendo, ac patiendo Animi, corporisque connexio

æquè,

æquè a duplici principio profluere possit, a corporeo nempè Animo, ut Epicurus opinatur, & ab incorporea Intelligentia Creantis Naturæ legibus, corporis organis obstricta, nullo pacto evidenter inferri potest, potiùs oriri ab uno principio, quam ab altero, iuxta ea, quæ solidissimè in apparatu nostro firmavimus.

Nostri apparatus auxilio ulterius rejicitur Epicurus.

Quid quæso vetat, posse dari rem, quæ tota sit Animus, insectilis, & inextensa corpori tamen ex aliquo accidenti adeò copulata, ut altera natura in alteram agat, ac mutuum quoddam commercium inter utramque innascatur, cujus rei possibilitatem satis, superque in nostri apparatus assertionibus demonstravimus. Deindè suismet ipsis armis Epicuri errores interficere nos minimè pigeat, sequenti modo ratiocinantes. Ideò iuxtà Epicureę doctrinæ Principia, organico corpore intereunte, adhuc incorrupta illius primordia soluta manent, quia in his quædam immutabilitatis nota elucet, quæ nullo pacto in organica materia continetur. Si quidem organicum corpus, cum secundùm omnes partes semper fluat, & perpetuò recentibus adjunctis partibus innovetur, omni ex parte mutabile est, atque adeò corruptioni obnoxium; ex adverso autem, quia primordia rerum, insectilia nempè, ac minutissima corpora, haud fluxæ, sed firmæ quedam substantiæ sunt, quæ eodem partium situ, ordine, dispositione, atque figura ob ingenitam insectibilitatem constantissime, pollent, dum a mutationis vitio ex parte saltem abhorrent, prorsùs ab interitu immunia esse, pronunciantur. In ea igitur natura, in qua quædam immutabilitatis species emicat, æternam pariter durationem regnare necessum est, attamen ubi quęso immutabilitatis pulchritudo insigniùs effulget, quàm in humano Animo? qui etsi evanescentium cogitationum serie, atque perpetua successione fluere semper, ac immutari dicendus est, immutabilitatis tamen præstantissimo quodam privilegio gaudet in ea facultate, ubi ingenitum rationis lumen, ac purissima intelligendi potestas obliteścunt? Nunquàm enim ratio, & intelligentia mutantur, nunquam fluunt, sed firmissimè manent, mortis ictus, temporumque injurias neutiquam extimescunt. Quid namque ratione, intelligendique virtute constantius, quid perennius, quid ab interitu immunius? Semper enim Animus constantissimo quodam lumine primas, ac universales artium, scientiarumque veritates (quarum notionũ congeries humanam Rationem progignit) eodem modo citrà quamvis mutationem intelligit. Ità namque exempli causa totum suas partes excedere, angulos quadratæ figurę rectos invicemque æquales esse, intelligentia assequitur, ut secus intelligere nequeat, de qua Rationis humanæ participata immutabilitate infrà copiosè agemus, Augustini Testum de Animæ immortalitate pro viribus interpretantes. Est igitur humanus Animus immortalis, nàm cum a mutatione aliena illius ratio interire nequeat, & ipsum Animum, cui insidet ratio, semper manere opus est. Nam si insectilis athomus, quia quadam immutabilitatis formà perfruitur, incorruptibilis appellatur, potiori iure immortalis dicendus est Animus, in cuius rationis, atque intelligentiæ penetralibus præstantissimum quoddam Divinæ immutabilitatis vestigium absconditur. Hùc accedit, immutabilitatem, quàm Epicurus rerum primordijs attribuit, sub lite adhuc ac discrimine cadere; Etenim solidè a pluribus in dubium verti-

tur, an revera in Universo hujusmodi insectiles, & individuæ naturæ existant, imò si non evidens, verosimilius tamen est, individuam naturam omninò pugnare cum corporis substantia, cui haud unitatis excellentia, sed multitudinis imperfectio congruere potius videtur; quid quid enim corporeum est, non unum, sed multiplex est, ut planiùs in nostris investigationibus exponemus. Si ergò hujusmodi tàm dubia, atque incerta Athomorum immutabilitas satis est Epicuro, ut Athomos immortales affirmet, quanto magis certa, ac firma humanæ rationis immutabilitas argumento esse debet Orthodoxæ Religioni, humanum Animum immortalitate gaudere, cui immutabilem rationem semperque manentem quamdam intelligendi potestatem convenire, manifestissimum est? Miror igitur, tàm desipuisse Epicurum, ut, dum caduca ac miserrima corpora ab interitu vindicare studet, Animum hominum in quo Increatæ Immutabilitatis insignia quædam delineamenta tantùm continentur, mortalem, ac corruptibilem temerè efficiat.

Alterum Epicuri Sophisma detegitur una ac refellitur.

Jam opus est, ut alteram Epicuri argumentationem æquissima judicii lance exagitemus, quæ sanè non minus ac prima futilis est, ac imbecillis. Etenim est quidem corporis interitus fabricator morbus; non autem in aperto est, quod Animi mortem dolor machinetur. Ex hoc enim, quod ægrescit corpus, optimè arguitur, illud interire posse, nam non interit corpus nisi suarum partium dissolutione, ad quam inducendam summoperè tendit morbus, qui revera nihil aliud est, nisi quædam ad interitum, seu dissolutionem infelix dispositio; Ex hoc tamen quod dolet Animus, nequit evidenter inferri Animum tandem dissolvi, & interire. Siquidem ingratus doloris sensus immortali, & incorporeæ naturæ, quæ tamen finita, & facta sit, minimè adversatur; Possibilis namque est, limitatus Animus, qui totus sit Animus, à divisione, & interitu abhorrens, qui tamen ob quasdam naturæ leges corporis occasione sit doloris capax. Potest enim dolor à duplici causa emanare, nam clarè intelligo, posse in Animo corpori conjuncto dolorem contingere, vel quia ejusdem indolis est cum organico corpore, cujus subtiliorem, magisque concitatam partem redoleat, vel quia quamvis insectilis, immortalis, & inextensus sit, attamen ex liberrima Facientis intentione, corporis occasione, doloris supplicio subjaceat, modo quo suprà fusè probatum, & expositum est. Quis enim apertæ falsitatis incusare possit eum, qui assereret, ac sustineret, Animum ægrescente corpore non dolere, quia in partes solvitur, corporisque conditionem patitur, sed potiùs quia ex generali rerum institutione tale commercium inter corpus, & Animum firmatum est, ut immortale, & incorporeum mutationem quamdam in se subire occasione corporis cogatur? Cum igitur hoc æquè saltem probabile sit ac primum, temerè Epicuri sectatores ex dolore, omni penitùs dubitatione rejecta, Animi mortem inferunt; Qui modus ratiocinandi fallax sanè, & captiosus est, ut ex apparatu nostro nullo negotio colligitur.

SOPHISMA QUARTUM.

Denique cur hominem cum vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,

Con-

Consequitur gravitas membrorum? prepediuntur
Crura vacillanti? tardescit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, singultus, jurgia gliscunt?
Et jam cætera de genere hoc quæcunque sequuntur,
Cur ea sunt? nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare animum consuevit corpore in ipso?
At quæcunque queunt conturbari, inque pediri;
Significant, paulò si durior insinuarit
Causa, fore ut pereant ævo privata futuro.
Quin etiam subitò vi morbi sæpè coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu
Concidit, & spumas agit, ingemit, & tremit artus
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
Inconstanter, & in jactando membra fatigat.
Nimirùm quia vis morbi distracta per artus.
Turbat agens animum, spumantes in æquore salso
Ventorum ut validis fervescunt viribus undæ.
Exprimitur porrò gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur, & omninò quod semina vocis
Eliciuntur, & ore foras glomerata feruntur.
Quæ quasi consuerunt, & sunt munita viai
Desipientia fit, quia vis animi, atque animai
Conturbatur, &, ut docui, divisa seorsum
Dissicitur eodem illo distracta veneno.
Inde ubi jam morbi reflexit causa, reditque
In latebras ater corrupti corporis humor,
Dum quasi vacillans primùm consurgit, & omnes
Paulatim redit in sensus, animumque recreat.
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipso
Jactentur, miserisque modis distracta laboret;
Cur eandem credis sine corpore in aere aperto
Cum validis ventis ætatem degere posse?

EXPOSITIO.

Quarta Lucretii argumentatio exponitur.

HIsce Carminibus Lucretius Epicuro favens duplici falsa, & larvata ratione Animæ mortalitatem ostendere nititur; Primò enim sic arguit, cum ob immodicum vini usum homines ebrietate laborant, adeò ferox acrisque vini ardor sanguinis fluorem agitat, ac spirituum turbas per nervos excurrentes commovet, ac veluti ad tumultum, ac seditionem excitat, ut omninò cerebro perturbato, insigniter immutetur, ac perturbetur Animus; Etenim vini fervore in sanguinis humore sæviente, intelligendi facultas pigrescit, & enervatur, lædituratiocinium, cogitandi potestas impeditur, ac singulæ Animæ potestates quodammodò infirmatæ procumbunt. Si igitur sola sanguinis agitatio, spirituumque in cerebro, nervisque tumultus, vini acrimonia vigente, Animum conturbare, illiusque actiones impedire potest, mortalem animum esse, fatendum est; Quidquid enim impediri, ac conturbari potest, si magis, magisque impediens principium urgeat, ac molesta

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [281] - 253
PUBLIC DOMAIN

sta causa sese insinuaverit, tandem Animum interire oportebit. Nam si immortalis, & incorporeus esset Animus, nullo pacto ardentis vini ferocia insolescente, fluctuante sanguine, mutationem ullam pateretur, sed ab omni corporum iniuria immunis, suas operationes liberè citrà quodvis impedimentum exerceret. Si igitur corpus illum perturbare potens est, planè infertur mortalem, ac corporeum pariter esse Animum. Altera verò argumentatio desumitur à vi, & impetu morbi, qui sæpissimè tam validus, tamque violentus est, ut ad rapidissimi fulminis instar cum corpore identidem evertat, ac prosternat Animum, nimirum ut non tantum universam corporum economiam dissipet, ac profliget, verùm etiam singulas animi facultates, & actiones oppugnet ut prorsùs intereant, penitusque evanescant, modo quo contingere solet, cum aut veneni, aut apoplexiæ ictibus humana percutiuntur corpora. Cum igitur tam tenax inter corpus, & Animam nexus intercedat, ut perturbatis, aut solutis organis perturbetur, ac pereat intelligentia, morti obnoxium Animum esse, fateare necesse est. Ut Epicuri tueatur errores, sic impius Lucretius philosophatur.

CONFUTATIO.

Epicuri ratiocinatio expenditur, ac nostro accedente Apparatu fallaciæ convincitur

AC primùm expendam argumentationem Lucretii ex vini ardore sanguinem commovente Animum humanum corporeum, & mortalem esse inferentis. Hæc ratiocinatio eodem prorsus modo refellitur, quo præcedentia sophismata rejecimus, ad nostri Apparatus assertiones confugientes. Etenim cum vexato, & perturbato corpore ob vini vehementiam deturbatur Animus, hoc utiquè ex duplici causa oriri potest, seu hujusmodi effectus, & phænomena, Lucretii carminibus exposita, ex duobus diversis principiis commodè emanare possent; Nam primò si fingamus cum Epicuso Animam subtilissimum vaporem, ac quamdam auram tenuissimis athomis contextam, atque in crassiori corpore implicatam esse, ex sanguinis fluctuatione, & vehementi commotione spiritum etiam illius tenuissimum, cui mentis potestas insidet, agitari, atque diversimode commoveri, necessum esset. Deindè si ponamus, Animum humanum haud corporeum halitum per corporis organa expansum, sed naturam insectilem, inextensam, a corruptione immunem, totamque intelligentem esse; utiquè juxta hanc positionem adhuc æquè eadem phænomena salvari, & explicari queunt, si ulteriùs pronunciemus ex naturæ legibus adeò finitum, & imperfectum Animum organico corpori obstringi posse, ut hoc mutato, & alterato mutationem quamdam ille patiatur, modo quo supra satis explanavimus; nulla namque in hac hypothesi aperta falsitas continetur; si igitur eadem phænomena possunt duplicis causæ beneficio obtineri, & explicari, non video, cur Epicuri sententia sit orthodoxorum doctrinæ anteponenda, cur nimirùm potiùs affirmandum sit, oriri ex Epicurea hypothesi, quam ex nostra, cum utraque manifestè possibilis sit. Idcircò dum tam audacter, & citrà dubitationem ex jam expositis phenomenis, & effectibus Epicuri sectatores Animam corpoream, & corruptibilem esse colligunt, in fallacem, summeque impudentem argumentationem incurrunt.

Præ-

Præterea ut quàm enervè, nulliusque ponderis ratiocinium sit Epicuri, liquido pateat, ad examinis trutinam, quæso, revocemus principium à Lucretio firmatum, scilicet mortale suaptè naturà esse quidquid extranei agentis impetu conturbari, & impediri potest. Hinc duplex immortalitatis genus distinguimus, & primò res dici potest immortalis, quia perfectissima, ac prorsùs immutabilis est, ut summa, ac perpetua tranquillitate gaudens nullam alterationem subeat, nulliusque agentis vi deturbari valeat; quo pacto solus Deus immortalis appellatur, qui adeò necessario existit, & à quavis mutatione abhorret, ut nullo modo mutari, & deficere queat, quam immortalitatis speciem originariam essentialem, ac necessariam nuncupare liceat. Potest autem res aliqua dici immortalis, non quia omnem perfectionem amplectitur, ut ulterius perfici nequeat à quovis defectu, & mutatione immunis sed tantum quia cum insectilis sit, & inextensa nullam partium solutionem pati, nullaque finiti agentis virtute destrui potest. Quam perfectionem non à se sed alterius beneficentià acceperit, quæ nimirùm ex se nihil sit, & ad nihilum tendat, tantum ex liberrima Facientis intentione mortalitatis expers. Quapropter hujuscemodi Immortalitas contingens derivata, & ex alterius voluntate orta dicatur. Hoc secundum immortalitatis genus haud summæ immutabilitati adnectitur, sed quoad modos, & operationes est mutationis capax, in quo nulla manifesta absurditas involuitur, nam ex una parte non est impossibilis res imperfecta, & finita, quæ hoc secundo modo sit incorruptibilis. Quid enim prohibet, rem finitam elucere posse, quæ cum in nullas partes dissolvi valeat, incolumis semper maneat, ac nunquam intereat; Quod sanè privilegium rerum primordiis, individuis nempè athomis ipsemet Epicurus elargitur, apud quem utpotè ob inanis defectum prorsùs insectilis athomus immortale, ac sempiternum corpus est; Ex alio verò capite, dum res finita immortalis ponitur, oportet, ut sit aliquo modo mutabilis, nimirum ut ulterioris perfectionis capax sit, atque ad patiendum apta, quoad aliquas sui proprietates, & actiones mutari, & deficere valeat, quo vitio, quidquid finitum, & limitatum est laborare opus est, secus haud finitum, & imperfectum, sed illimitatum potiùs, ac perfectissimum foret. Eodem modo, quo juxtà ipsius Epicuri principia, etsi athomus est immortalis, attamen quia finitum, & imperfectum corpus est, plures subit mutationes, si saltem illius motum expendamus, qui multifariam deturbari, & affici potest.

Principium à Lucretio firmatum ipsamet Epicuri doctrinâ falsitatis vedare guitur.

His firmatis fatendum est primum immortalitatis genus non posse quidem ullo extraneæ causæ robore perturbari, & impediri, cum omnibus numeris absoluta immutabilitate perfruatur; secus verò secunda immortalitatis species, cujus substantia utpotè insectilis, & divisionis incapax, quamvis interire, ac destrui nequeat, tamen dum plura pati potest, ac sæpissimè in agendo deficiat, utique perturbari, ac impediri potest, modo quo animo corpori adjuncto contingit, qui est quidem immortalis, at non primi, sed secundi generis, & ideò mutationis capax, ut occasione corporis perturbetur aliquando, & impediatur, non tamen omninò: Etenim quamplures in eo delitescunt facultates, atque exercentur operationes, quas nullo pacto impedire, ac deturbare organicum corpus potest.

Idcir-

Lucretius ad finem errorem agnoscendum & emendandum cogitur.

Idcircò idem ferè Lucretij principium adhibentes hoc pacto ad Animæ humanæ immortalitatem ostendendam ratiocinamur. Quidquid extranei agentis virtute, & impetu omninò, & absolutè impediri, & perturbari nequit, mortale, & corruptibile neutiquàm appellandum est; Nàm ut aliquid tandem intereat, ac verè sit mortalitati obnoxium, non satis est, ut aliquantulum perturbari, & impediri possit, sed insuper oportet, ut summa, & maxima in eo perturbatio progignatur, nempè si causa destruens, & impediens, ità insoleſcat & urgeat, ut totam, universamque rei economiam, ut ità dicam, & texturam perturbare valeat. Attamen hoc nullo pacto humano Animo congruere potest; siquidem etsi corporum organis aut delirio, aut insania aut ebrietate deturbatis, ac multifariam impeditis, quam plures Animi operationes enerventur, prohibeantur, evanescant, aut quovis alio modo immutentur; plures tamen insigniores affectiones, & agendi potestates in humano Animo vigent, & continentur, ut nulla corporis ui, nullaque vini agitatione impediri, & a sua tranquillitate removeri valeant; Inter quas potissimùm enumeratur ingenitus impetus, insitusque furor, quo Animus ad summum bonum, summamque felicitatem incessanter aspirat. Etenim sive Anima in corpore insaniat, sive deliret, sive somniet, sive ebrietatis vitio laboret, semper tamen voluptatem adamans, dolorem effugiens; ad tranquillitatem anhelans, bonum exoptat, bonum quærit, atque ardentissimè diligit, ut nullum effluat tempus, in quo summi boni species ac beatitatis imago desideria Animi non excitet, illiusque appetitus vehementer non alliciat. Præter impetum ad bonum elucent in Animo sui ipsius scientia, ac perfectissimi Entis species, & similitudo quædam, si quidem Dei, Animique notiones in quavis nostra cogitatione continentur, ut seipsum, aut Deum, quovis modo perturbatus, & impeditus, nullo tempore ignorare possit Animus. Quapropter emicant in Animo quamplures notiones, & impetus, qui nullo impedimento, nullaque extranea sæviente causa ab Animo removeri valent. Non est igitur talis conditionis Animus, ut quovis modo mutari, & impediri queat, idcircò immortalem, ac nunquam interiturum esse oportet. In eo enim quædam immutabilitatis species efflorescit, ob quam imperturbabilis, & incorruptibilis ille nuncupandus est.

Nova pro Epicuri sententia argumentatio.

Audio tamen asseclam Epicuri dicentem; Rationabilius esse ad suam hypothesim, quàm ad nostram confugere, ut expositos effectus, ac phænomena in homine explicemus. Etenim Animæ natura corporea, & mortali posita, expeditiùs, ac simpliciùs intelligemus, qua ratione deturbato organo, & agitato sanguine, commoveatur, ac lædatur Animus. Quid enim intellectu facilius, quàm subtiliorem sanguinis auram, & vegetiorem halitum deturbari, & multifariam affici affecto, ac deturbato sanguine? Si igitur totum Animæ robur in sanguine collocemus, illicò innotescet causa, cur mutabilis sit, & cum corpore pariter Animus patiatur. Quod tamen explicatu, & captu difficilius, summèque operosum esset, si Epicuri doctrina posthabita, recurramus ad inextensas, & immateriatas substantias, quarum nullam claram notionem habemus, quas si aliquando concipere velimus, ipsas corporum, sensiliumque rerum imagines adhibere necessum est.

Stul-

Stultitiam autem ſapit, clara & ſimpliciora principia contemnere, abſtruſiora verò, & difficiliora amplecti, ut alicujus rei cauſam detegamus. Si ergò ſolo corpore adhibito, hujuſmodi inconceptibilibus incorporeis naturis rejectis, explanare, & evelare poſſumus cauſam eorum, quæ in homine contingunt, ſtultum, ac fatuum eſt, aliam calcare viam, & ad larvatas, ac imaginarias res veluti ad aſylum ignorantiæ recurrere. Et ſi igitur nequeat apertæ falſitatis orthodoxa hypotheſis redargui, tamen ob ſuam inſigniorem veriſimilitudinem, ſummamque facilitatem, ac ſimplicitatem Epicuri doctrina illi prorſùs anteponenda videtur, niſi a recta, ac matura philoſophandi methodo recedere velimus, quæ aperte docet in rerum naturalium inveſtigatione ſimpliciores, facilioreſque hypotheſes præferendas eſſe, atque amplectendas. Quamvis hæc ratiocinatio carneis rudibuſque hominibus plauſibilis valde, ac ſpecioſa videatur, attamen ſi puriſſimam rationis lucem conſulamus, confeſtim quàm imbecillis, ac fallax ſit, percipiemus. Quod ut faciliùs aſſequamur, invicem quæſo & noſtram, & Epicuri hypotheſim ac doctrinam comparemus. Epicurus ut explicet, qua ratione, vini vehementia perturbato ſanguine, unà cum corpore deturbetur Animus, ad ſubtiliſſima quædam corpora recurrit, ex quorum textura, & harmonia tenuiſſimam quamdam auram efformat, cui, & ſenſum, & phantaſiam, & intelligendi poteſtatem adhęreſcere putat, at quid quæſo cognitu difficiliùs, quid abſtruxius, & ab humana intelligentia remotiùs? nàm primo captu difficillimum eſt exiſtere in Univerſo corpora quædam individua, quæ omninò à diviſione, ſectioneque abhorreant, quorum nimirum partes ita invicem adnectantur, tantoque vinculo poris, ac meatibus ſepoſitis, copulentur, ut nulla extranei, Agentis virtute, nullius corporis impellentis poteſtate ſejungi, ac diſſociari valeant, quibus tandem talis conſtantiſſima figura inhęreat ut nullius mutationis ſit capax, quæ ſcilicèt diffringi, alterari, aut in aliam figurarum ſpeciem tranſmutari queat. Quis enim clarè, & citrà confuſam notionem hujuſmodi inſectilia corpora aliquando intelligere poterit? Quidquid enim corporeum, & extenſum eſt, infinities dividi, innumeraſque figuras inducre poſſe, neceſſariò intelligimus, clarè namque à nobis intelligitur, Unitatis naturam luctare cum corporea ſubſtantia, quæ ſuaptè naturà multitudinis, ac numeri defectum involuit. Id tamen, quod magis Epicuræ doctrinæ difficultatem adauget, eſt, ſupremi Numinis providentiam, atque Creatricem virtutem è medio tollere. Quis enim unquam capiat, quo pacto nulla Dei voluntate influente, ab æterno hujuſmodi inſectilia, & immortalia corpora extiterint? Quis enim illorum partes tàm tenaciter copulavit, ut nullum interſtitium, aut inane ſpatium illas ſejungat, nullumque agens diſlociare valeat? Quis illis tot varias peculiares, ac conſtantiſſimas addixit figuras, ut alia ad pyramidis inſtar, alia Cylindrica, ſphęrica alia neceſſariò, perque totum ęvum exiſtant, modo quo philoſophans edocet Epicurus.

Deindè quis unquàm intelliget, qua ratione fortuitò quedã tenuiſſima mobilia, ac ſphęrica corpora inter tot innumeras athomorum turbas ſelecta, & ordinata fuerint ad humanæ Animæ naturam componendam? Unde, quæſo, tanta caſus vis, atque poteſtas, ut divina Pro-

Quam ſtultum ad inane ſit Epicuri ſectatorum ratiocinium aperitur.

Quam abſurda, difficilior, ac a veritate alienaſit Epicuri Hypoteſis demonſtrabit.

videntia ſemota, ex minutiſsimis ſummeque concitatis athomis tàm insignem, tàm vivacem, tamque potentem auram educere valeat, quæ præſtantiſsimis Animi dotibus polleat, atque ad Divinam penè intelligendi poteſtatem aſſurgat? quid, quæſo, captu difficilius, quid arduum magis, magiſque operoſum, quam ex cæcis, & emortuis rebus, ex athomis nempe vità, ſenſu, & ratione deſtitutis inſigniſsimam intellectivæ ſubſtantiæ vitam, ac virtutem efformari, ut quæ ſigillatim veluti torpidiſsima, ac inertia ſunt cadavera, dum in unum colliguntur, invicemque admiſcentur, vivens, perſpicax, ac validiſsimus fiant Animus, intelligentis vitæ robore, rationiſque excellentia ex morte, & putredine quodammodò eductis. Quo profectò nihil abſurdius, nihilque à ratione alienius. Præterea ſi quàm conſtantiſsimum, quàm immutabile ſit humanæ rationis lumen, advertamus, nullo pacto citrà notionum pugnam intelligi poteſt, tenuiſsimo vapori, ſanguiniſque halitibus ingenitas, ac immutabiles Rationis ideas inſidere; nam ſi Ratio ex immutabilibus quibuſdam notionibus coaleſcit, ut aliquo modo conſtans, & immutabilis dicenda ſit, utique in ſanguinis flore, ac vitali quadam corporis aura collocari nequit, fluxa enim haud permanens eſt huiuſmodi Aura, quæ cum perpetuò mutetur, & fluat, nullo pacto in ſe ipſa claudere poteſt Rationem, quæ mutationem non patitur, eadem ſemper manens. Quod argumentum fuſiùs infrà proſequemur, cum primum argumentum Auguſtini pro Animæ perpetuitate certantis exagitabimus.

Ulteriùs quid difficilius, quàm ſola athomorum textura, motu, cõfiguratione, ac ſitu velle explicare, quo pacto ſublimiores Animi operationes perficiantur, unde ad infinitum bonum impetus oriatur, qua ratione comparandi, a corporibus abſtrahendi, judicandi, dubitandi vis, atque poteſtates in animo oriantur. Explicent, quæsò, ſi valent Epicuri ſectatores, unde tantus nexus inter localem motum, & intelligendi actiones, undè tanta affinitas inter minutiſſimas mobileſque athomos, & præſtantiſſimas Animi facultates, ut dum hoc potius modo, quàm alio invicem implicantur athomi, ac per craſsioris corporis organa cientur, illicò intelligendi vis erumpat, judicium, liberrima voluntas, totque excellentes mentis affectiones prodeant? Quis enim non videt nullam inter has res cognationem elucere, nihil corporum figuras, ac motiones Animo, ut intelligat, judicet, ac ratiocinetur, conferre, jmò clarè intelligimus quantùm corpora, corporumque imagines impedimento ſint Animo, ut intelligat, qui ut ſuam intelligendi virtutem ad uſum revocet, ſeſe à corpore, ſenſiliumque rerum ſimulacris avertere oportet? Quid enim inſanius, quàm nobiliſſimam intelligendi actionem ex viliſsimo ac cæco corporum motu eruere, imo cum ipſo motu confundere? Hoc autem copioſiùs oſtendemus infra, tùm in Auguſtinenſis textus interpretatione, tùm in noſtris inveſtigationibus, cum Analytica methodo Animæ naturam aperiemus.

Ex adverſo autem quis ſanæ mentis non videt, quàm rationi conſentanea, captuque facilior noſtra ſit hypotheſis, quam & fides, & ratio manifeſtiſsimè docent? Etenim primò quid clarius Animo concipitur? nam etiam dum dubitamus, an exiſtat, an ſit corpus, certò ſcimus, Animum eſſe, nempè exiſtere nos, qui dubitamus; nihil enim animo

ſe

se ipso præsentius, atque notius, quod si nullo negotio concipimus, quid sit Animus; cum intelligimus, aut judicamus, aut ratiocinamur, quid quæso prohibet, eadem facilitate intelligere posse intelligentem naturam, quæ tota sit Animus, cum ex hoc quod me intelligere, ac cogitare quovis alio post habito intelligam, optimè intelligo me vivere, & existere, hinc nihil magis intelligentiæ accommodatũ quàm res quæ sit tota intelligens modo, quo solidè, ac subtiliter in secunda parte hujus operis cum Augustino exposuimus. Deindè cum humanæ rationis indolem, & derivatam immutabilitatem intelligimus, illicò Animum, cui illa inhæret, incorporeum, ac immortalem esse planè percipimus, ut nulla effulgere possit in nobis idea, in qua ratio cum caduco corpore concilietur. Cum autem à corporis natura Animum alienum esse intelligamus, & pariter immutato, & affecto corpore, illum diversimodè affici, ac deturbari nobis pateat, profectò ratione prælucente, ut hoc phænomenon exponeretur, non ad fluxas, emortuas, vilesq; athomorũ naturas confugimus, sed ad mutuum commercium inter insectilem, inextensumque Animum, & corpus organicum ex liberrima Facientis intentione firmatum, quo posito summa quadam simplicitate, quod magis arduum, ac difficile est in homine, explanamus, quid enim captu facilius, quam primò perfectissimam naturam, nempè Deum existere, cujus ingenitam quamdam anticipationem ipso met Epicuro docente, habemus? Deindè liberrima sua voluntate posse Deum Animum finitum, etsi immortalem, & inextensum adeò corporeis organis adnectere, ut altera natura in alteram, quodam mutuo erumpẽte comercio, agere valeat, modo supra expositio, idcircò quamvis qui sensus, & carnem consulunt, facilè sibi suadeant, summoperè rationi Epicuri doctrinam congruere, attamen si intimiùs intellectus oculis animi recessus, ac rationis penetralia inspiciamus, nihil sanè Epicurea hypothesi monstrosius, atque absurdius nobis apparebit; Corrigat igitur carnem intellectus, sensus emendet ratio, haud corticem, sed animi viscera intueamur, ut, haud citra Animi oblectamentum, ad nostræ salutis securitatem, quàm sapienter, quàm solidè orthodoxa Religio nos doceat, intelligamus.

Jam opus est, ut alteram Epicuri argumentationem eventilemus, cujus vis tota in morborum impetu, atque vehementia sita est. Dissolvit quidem corporis economiam morbus, dolorem, ac iniquas sollicitudines in Animo excitat, Animum tamen non interimit, etsi corpus destruit, non enim suaptè natura ægrescens corpus Animam afficit, ac deturbat, sed ex liberrima Authoris voluntate, qui statuit corporis occasione Animum illi conjunctum mutari, idcircò cum hujusmodi mentis mutatio, & affectio in corpore optimè possit explicari, nostra auxiliante hypothesi, nequit Epicuri sectator indubitanter, ac citrà captiosam ratiocinationem affirmare, Animum humanum in corpore deturbari, quia suaptè natura mortalis quidam, ac corporeus vapor est, cum hoc idem Phænomenon æquè profluere possit à diverso principio, modo, quo à nobis satis enucleatum est. Quapropter hoc secundum Epicuri argumentum eodem prorsùs modo refellatur, quo sophismata quæ præcedunt, nostro prælucente Apparatu, oppugnavimus.

SOPHISMA QUINTUM.

Et quoniam mentem ſanari, corpus ut ægrum
Cernimus, & flecti medicina poſſe videmus,
Id quoque præſagit mortalem vivere mentem
Addere enim partes, aut ordine traicere æquum eſt
Aut aliquid prorſum de ſumma detrahere illum
Commutare Animum quicunque adoritur, & inſit
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit.
At neque transferri ſibi partes, nec tribui vult
Immortale quod eſt quidquam, neque defluere hilum
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit ante
Ergo Animus ſive ægreſcit, mortalia ſigna
Mittit, uti docui, ſeù flectitur à medicina
Vſque adeò falſæ rationi vera videtur
Res occurrere, & effugium præcludere eunti
Ancipitique refutatu convincere falſum.
Denique ſæpè hominem paulatim cernimus ire
Et membratim vitalem deperdere ſenſum,
In pedibus primùm digitos liveſcere, & ungues
Inde pedes, & crura mori, poſt inde per artus
Ire alios tractim gelidi veſtigia lethi
Scinditur atque Animæ quoniam natura, nec uno
Tempore ſincera exiſtit, mortalis habenda eſt,
Quod ſi fortè putas ipſam ſe poſſe per artus
Introrſum trahere, & partes conducere in unum
Atque adeò cunctis ſenſum deducere membris;
At locus ille tamen, quo copia tanta Animai
Cogitur in ſenſu debet majore videri
Qui quoniam nuſquam eſt, nimirùm, ut diximus ante
Dilaniata foras, diſpergitur, interit ergò.
Quin etiam, ſi jam libeat concedere falſum
Et dare poſſe Animam glomerari in corpore eorum
Lumina qui linquunt moribundi particulatim
Mortalem tamen eſſe Animam fateare neceſſe eſt,
Nec refert, utrum pereat diſperſa per auras
An contractis in ſe partibus obruteſcat,
Quando hominem totum magis, ac magis undique ſenſus
Deficit, & vitæ minus, & minus undique reſtat.

EXPOSITIO.

Quinta Lucretii argumentatio exponitur.

En alia duo Epicuri argumenta elegantiſſimo carmine à Lucretio ad Animæ mortalitatem adſtruendam expoſita? Hoc enim pacto primo ratiocinatur. Cum corpus ægreſcit, tunc ſanè æger evadit Animus, ut cum, aut inſaniâ, aut delirio, aut melancolico furore corripitur, qui deindè pharmacorum ope, ad ſalutem corpore redacto, ſani-

ſanitatem nanciſcitur, atque à morbo pariter cum corpore vindicatur, non poteſt autem ſanitati reſtitui Animus; niſi vel aliquid illi addatur, vel ab eo ſubtrahatur, vel illius partes diverſimodè invicem diſponantur. Hinc non expellitur morbus à corpore, niſi per additionem, aut ſubductionem, aut novam quamdam partium coordinationem; Fatendum igitur eſt, mortalem vivere Animum; quidquid enim immortale eſt, talis eſt indolis, ut nihil ei addi, aut ab eo ſubduci valeat, cujuſque mutationis incapax.

Secundò Funeſtum emorientis Hominis ſtatum expendens ſic arguit Epicurus. Partes hominis ſingillatim moriuntur, ideſt homo membratim interit: & ita ſcinditur Anima, quod ſi fit, mortalis habenda eſt: Si verò arbitraris, Animam ſe poſſe in unum contrahere, & introrſum recipere, totamque vim ſuam è membris omnibus deducere; hoc poſito, & conceſſo, ſequeretur neceſſariò eum locum, in quem ſeſe receperit, & contraxerit, egregiè ſentire, ac ſapere; atqui id non fit, ergo diſpergitur, ac diſſipatur, & ita interit; idcircò nihil refert, utrum Anima diſperſa, & diſcerpta pereat, an contractis, & conductis in ſe partibus obſtupeſcat, & ſenſus ſuos amittat; quod fieri videmus in homine moribundo.

CONFUTATIO.

Noſtro auxiliante Apparatu quam fallax ſit Epicuri argumentatio jnam facillime detegitur.

QUo majori elegantiâ, & venuſtate hujuſcemodi Lucretii carmina pollent, eò virulentiora ſunt, ac faciliùs imperitos, aut voluptuarios homines in fraudem impellunt. Prima autem ratiocinatio ex duplici capite captioſa, & fallax habenda eſt. Etenim primò tanquam certum, & exploratum firmat id, quod eſt in quæſtione, de quo nimirùm à nobis in præſentiarum controvertitur, hùc enim noſtra diſputatio tendit, an Anima ſit ejuſdem indolis cum organico corpore, ut pariter in partes, ut illud ſolvi valeat, ac tandem interire; Epicurus verò, ut Animum ita ſe habere oſtendat, docet, eum ſanitati ſeſe reſtituere, additis, aut ſubtractis partibus, aut per inductionem novæ diſpoſitionis in partes, quibus conſtat; atque adeò tanquam manifeſtum ſtatuit extenſa, ac ſolubili corporum magnitudine Animum laborare, quod ſanè ſub lite eſt, & in ancipiti poſitum, nam etſi certum eſt organicum corpus ſanari additionis, aut ſubductionis aut novæ partium diſpoſitionis ope, cum ſubſtantia quædam extenſa, ſectilis, partibuſque conſtans ſit, attamen non adhuc notum, & manifeſtum eſt eodem modo ſalnbritatem nanciſci humanum Animum; Si quidem in dubium vertimus, ac diſputamus, an diviſionem, corporumque tumorem patiatur; Etenim ſi ſuaptè naturâ inſectilis eſt, & inextenſus, ut ſanitati reſtituatur, nihil addi, aut ab eo ſubtrahi poteſt, modo quo contingit in organico corpore, ſed per novos quoſdam modos cogitandi, ac percipiendi in eo excitatos occaſione corporis ad ſanitatem redacti, ob conjunctionis leges, ac mutuum corporis, animique commercium. Tunc enim potiſſimùm ægreſcit Animus, cum dolore torquetur, aut in ſuarum operationum exercitio deturbatur, ac impeditur; quæ mala, ut à ſe reiiciat Animus abſque eo quod ei, aut novæ partes addantur, aut veteres ſubducantur, aut partes, quibus efformatur, diverſimodè diſponan-

nantur, quæ singula incerta sunt, & sub quæstionem cadunt, satis est, si ex doloris sensu ad voluptatis perceptionem, atque ad diversos cogitandi modos veluti transferatur, ut modos percipiendi tantùm immutet, nullam corporum partem, aut extensionem in se admittens.

Alterum Lucretianæ ratiocinationis vitium aperitur.

Ex quo alterum Epicureę argumentationis vitium apertè colligitur. Epicurus namque ex eo quod sanitati, pharmacorum auxilio corpore restituto, ad sanitatem, ac tranquillitatem redit Animus, indubitanter infert Animum mortalem, ac ejusdem conditionis esse cum corpore, cùm hoc aut ægrescente, aut ad sanitatem redacto ægrescat identidem, aut sanetur Animus; in qua re vehementer allucinatur. Etenim quamvis hoc phęnomenon in homine optime salvaretur, atque exponeretur posita Epicuri doctrina, attamen æquè nos illud exponere valemus, ad principium longe diversum recurrentes; Nàm ex hoc quod Animus etsi incorporeus, & immortalis ex liberrima facientis intentione commercium iniret cum corpore, modo à nobis suprà satis expositio, iam citrà corporum affectiones, partiumque dispositionem, qua ratione mutato, & affecto corpore, mutaretur, & afficeretur Animus, in medium haud improbabiliter adduceremus. Cùm igitur hæc eadem numero res ab Epicuro proposita æquè valeat a duplici principio emanare, dubium, & obscurum adhùc manet, an revera potius oriatur ab una, quàm altera causa, atque adeò temeritatis, ac præcipitijs iudicij vitio Epicuri argumentatio laborare videtur.

Deinde verum quidem est principium firmatum à Lucretio, Mortale esse omne id, cui partes addi, aut a quo subtrahi possunt; quidquid enim partibus constat, quæ diversimode transponi, aut ab integra natura recedere possunt, id mortale esse oportet. Non hujusmodi tamen se habet Animus, aut saltem non apertum, & evidens est id Animo contingere, cum hic sanitati restituitur, ut suprà demonstravimus, cum manifestè possibilis sit Animus finitus & imperfectus, qui pro suæ naturæ conditione in agendo aliquo modo deficiat, ægrescat, ac sanetur, a se tamen quamvis divisionem, ac corporeę magnitudinis mutationem reijciens. Quod si sensus Epicuri sit, mortale prorsùs esse omne id, quod mutationem subit, modosque diversos, ac diversas agendi rationes induere potest, apertè sustinemus, adductum principium veritati dissentire; si quidem hoc pacto, neque ipsa rerum extensarum primordia immortalia dici possent, ut Epicuro arridet, idcircò sibimet, ipse contradiceret, non enim immortalitas derivata, ac secundi generis adeò summæ immutabilitati adnectitur, ut aliquo modo mutari nequeat, aliud enim est, esse prorsus immutabile, aliud esse immortale, immortalitate participata, & contingenti, modo quo supra luculenter explanavimus.

Iam supereſt, ut, quàm subdola, & enervis altera Epicuri argumentatio sit, aperiamus, hoc enim ratiocinio in dolosum sophisma pariter incurrit Epicurus, tanquam exploratum, ac etiã probatum ponens, quod est in quæstione; Etenim ait, Animam membratim perire, nempè in partes scindi ac dissolvi, ut primò una pars, deinde altera dissipetur, & evanescat, idcircò ab eo tamquam res certa ponitur, Animam tenuissimum, ac fluidum quoddam corpus esse per crassioris corporis organa expansum, ac diffusum, ut non alia ratione emorientis homi-

nis

nis membra paulatim, ac singillatim sensum, & vitam amittant, nisi quia Animæ particulæ in organorum mole exporrectæ paulatim solvi, & in auras abire incipiunt, quibus omnibus solutis, & extta corpus per aerem excurrentibus, integra Anima interire dicatur; hoc autem est, quod à nobis controvertitur, an scilicet Anima sit extensa, partibus instructa, & in organicum corpus veluti subtilissimus halitus expansa quod cum tanquam firmam, & exploratam rem ponit Epicurus, facili negotio deinde sibi suadet, sese jam quæstionem solvisse, dum ad successivam quamdam Animæ particularum dissipationem, & in membris evanescentiam confugit; Primò enim ostendere debebat, humanam Animam sectile corpus per organa exporrectum esse. Neque opponas hoc ex ipso effectu, atque phænomeno demonstrari, ut intelligi nequeat, & explicari, quo pacto membratim homines sensu dissipato emoriantur, nisi Anima extensa, & quoad sui partes in corpore inclusa, & explicata collocetur, non enim hæc ratio urget, nulli usque momenti est hæc oppositio, nam ut in emoriente homine hujusmodi apparentia, seù hic effectus procreetur, necessum neutiquam est ut Animam corpoream, atque mortalem esse fingamus, ut in partes paulatim in moribundo homine solvatur, & in halitus quosdam transmutetur, cùm optimè ex alio longè diverso principio erumpere valeat, nam etiamsi insectilis, in extensus, & incorruptibilis esset Animus, per hoc tantùm, quod non ab existendo, sed ab agendo cessaret, cum organa corporis solvuntur ac deturbantur, jam exposita phænomena insignissima quadam probabilitate exponerentur. Cum ergo membratim emoritur homo, id ex duplici causa originem trahere potest. Primo ex eo quod Animus tenuissima aura per corpus dilatata esset, ut placet Epicuro. Iuxtà quam hypothesim membra non alia ratione vitam, & sensum deserere dicerentur, nisi quia Animæ particula illis insidens evanesceret, atque in auras solveretur, verum etiam & ab existentia removeretur. Deinde potest idem effectus ab alia causa ortum habere, non quidem ab Animæ dissolutione, & interitu, sed potiùs à defectu operationis, nimirum ex hoc, quod Anima non amplius suam operationem in algente, & emoriente membro exerceat. Siquidem ut Anima in quovis corporis organo sentiat, opus non est, ut sectilis sit, ac in toto corpore dispersa. Nam probabilius est, & fortasse evidens, Animam sentire in ea corporis parte, ubi illius substantia minimè est, ut solidissimè in prima parte hujus operis de Animæ quantitate cum Augustino disputantes demonstravimus, idcircò admonendum est, non recedere vitam, & sensum à corporis membris, quia Anima recedit, solvitur, ac interit, cum semper eadem incolumis, & illæsa subsistat, sed ex adverso quia organa deturbantur, atque ob texturæ mutationem, partiumque solutionem amittunt proportionem, & congruentiam ex Naturæ legibus requisitam, ut immortalis Animus in illis agat, ideò nulla amplius in illis vitæ & sensus actio perficitur; haud absimili modo quo in musici organi fistulis non ideò harmonicus sonitus interit, quia aer in illis inclusus sonum procreans perit, & ab existendo cessat, sed potiùs, quia fistulæ deturbantur, franguntur nempè, aut quovis alio modo dilacerantur, ut aer haud in se existere, sed tantum in fistulis agere ob organi defectum cesset. Eodem etiam pacto non ideo deturbatur, ac emoritur,

Cur Anima à corpore tandè recedat, aperitur.

Exemplum de aere, & horologio in medium affertur.

ut

ut ita dicam, horologium, quia Motus illius rotas, atque organa deserit, sed contra potius motus actio cessat esse, & perit in horologio, quia illius organa impediuntur, ac perturbantur. Quapropter non abest à membris sensus, quia interit Animus, sed quia hic ab organis sejunctus, ab agendo in corpore cessat, quod optimè explicari potest, & citra quidem apertam falsitatem, si inter inextensum Animum, & corpus organicum mutuũ quoddam commercium libera Facientis intentione firmatum collocemus, ut jam sæpissimè à nobis declaratum est. Si igitur hoc idem phænomenon, quod ab Epicuro in medium affertur, potest planè salvari, & exponi duplicis hypothesis beneficio, Epicureæ nempè, & Orthodoxæ, sanè dicendum est, in fallacem argumentationem Epicurum incidere, dum omni dubitatione rejecta, firmo judicio hoc Phænomenon ex suo principio nempè ex corporea, & mortali Animæ natura ortum ducere arbitretur.

Quæ ratione Animus ab agendo in organo corpore cesset exponitur.

Ut autem planiùs intelligatur, qua ratione juxta nostra principia paulatim vita, & sensus in emorientis hominis organis deficiat, admonemus, immortalem Animum ob unionis leges tamdiù agere in corpore, quamdiù hoc est ritè dispositum, perfectis, ac congruis organis instructum, per cujus venas, arterias, atque nervos sanguis sanguinisque spiritus, & subtilior halitus concinno, & proportionato quodam motu excurrat, & cieatur; humanum enim corpus veluti hydraulicam quamdam machinam imaginamur, canalibus, ac tubulis instructam, per quos fluida quædam corpora, ut sanguis, & tenuissima spirituum animalium aura circulari latione moventur, cum autem & exactè, ac congruè elaborata fuerint hujus admirandæ machinæ organa, & liberè citra quodvis impedimentum temperato, & congruo motu fluidæ, ac tenuiores substantiæ excurrerint, tunc ob universales leges à Supremo Conditore liberrima voluntate sancitas, dum incorporeus, ac immortalis Animus procreatur, & jam organizato corpori obstringitur, hic utpotè hominis forma, species ac vigor suas operationes in organis corporis exercere incipit, idcircò vitam, sensum, ac energiam illis impartitur, ut tanto tempore hujusmodi Animæ actiones continuentur, quanto congrua, & debita organorum dispositio durat, quæ nisi adsit, deficiente proportionato instrumento, haud esse, sed agere Animus in corpore cessat. Quamobrem cum obsidente morbo debita organorum dispositio deturbatur, partium immutatur textura, coagulatur sanguis, tenuissimus spiritus aut evolat, aut in crassiori substantia implicatus nequit suos absolvere motus, in corporis membris gelidi lethi vestigia apparent, nempe interitus, ac mortis horribilis horror in membrorum livore manifestantur, tunc omnem à corpore animi operationem abesse, necesse est; Hinc non Animus, sed corpus solvitur non mentis substantia, sed sanguinis spiritus, ac flos in auras abit, neque ulla Animo insignis mutatio contingit, cum tantum agere definat in eo loco, in quo, utpotè mole carens, revera non existebat, sed solummodò agebat, non enim insectilis, ac spiritalis substantia per partium expansionem corpori congruere potest. Quidquid enim extensione destituitur, à spatio, atque loco prorsus abhorret, & tantum ibi dicitur esse, ubi haud diffunditur, sed tantùm agit. Cum ergò membratim emoritur homo, & sensus paulatim amittit, neque dissipatur, neque con-

contrahitur, aut in unum locum è singulis deductus membris cogitur Animus, quæcunque enim hoc pacto glomerantur, & contrahuntur, partibus, & extentione constant, quibus intelligens natura caret, sed solùm Animus paulatim dum organorum textura deturbatur, quodammodò sese dissocians ab organis, ab operando in illis se abstinet. Cum igitur hæc hypothesis nulla manifesta falsitate laboret, ac res valdè verisimiles, rationique consentaneas amplectatur, atque principia claudat evidenter possibilia, nulla ratio est, cur potiùs Epicuri doctrinæ adhæreamus, probabiliori, ac tutiori rejecta sententia; quis igitur non videt, quam leviter ac subdolè ratiocinetur Epicurus, qui ratione contempta, solos sensus adhibet, solaque utitur phantasia, ut Animi naturam investiget, cujus præstantissimæ operationes, ac facultates, cum sensus, & imaginationem effugiant prorsus, ac lateant, sola ratione, ac nuda tantum intelligentià haud sensu, & phantasià intelligi, atque aperiri possunt.

Fallacem esse Epicuri argumentationem evincitur.

SOPHISMA SEXTUM.

Et quoniam mens est hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut aures, atque oculi sunt,
Atque alii sensus, qui vitam cùnque gubernant:
Et veluti manus, atque oculus, naresve, seorsum
Secreta à nobis, nequeant sentire, neque esse
Sed tamen in parvo linquuntur tempore tali
Sic animus per se non quit sine corpore, & ipso
Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur
Sive aliud quidvis potis es conjunctius eij
Fingere, quandoquidem connexus corpori adhæret
Denique corporis, atque Animi vivata potestas
Inter se conjuncta valeat, vitaque fruuntur.
Nec sine corpore enim vitales edere metus
Sola potest animi per se natura, nec autem
Cassum Anima corpus durare, & sensibus uti.
Scilicet avolsus radicitùs, ut nequit ullam
Dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto.
Sic anima, atque animus per se nil posse videntur.
Nimirùm quia per venas, & viscera mistim
Per nervos, atque ossa tenentur corpore ab omni
Nec magnis intervallis primordia possunt
Libera dissultare, ideò conclusa moventur
Sensiferos motus quos extra corpus in auras
Aeris haud possunt post mortem ejecta moveri,
Propterea quia non simili ratione tenentur
Corpus enim, atque Animans erit aer, si cohibere
Sese Anima, atque in eos poterit concludere motus
Quos ante in nervis, & in ipso corpore agebat.
Quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
Tegmine, & ejectis extrà vitalibus auris

Diſſolvi ſenſus animi fateare neceſſe eſt
Atque Animam quoniam conjuncta eſt cauſa duobus.

EXPOSITIO.

Duplex Epicuri argumentatio pro Animæ mortalitate.

DVm hìc haùd illepidè, feſtiviſque muſis pro Epicuri doctrina canit Lucretius, duo alia leviſſima contexit argumenta, quorum primum ſit procedit. Humanus Animus ſive Mens, una eſt corporis pars, certo fixa loco, quæ nimirùm ibi conſtantiſſimè reſidet, ubi conſilium, atque vitæ regimen viget, ubi nempè diverſis cordis perturbationibus afficitur, intelligendique poteſtatem exercet. Quapropter illius ſedes, atque regnum in pectore, ſive præcordijs potiſſimùm collocatur, cui menti Anima adnectitur, quæ eſt veluti Animi proceſſus, & irradiatio quædam per corpus univerſum, quæ vitam, atque ſenſum cæteris corporis organis impartitur, qua commota Animà, ob mutuum nexum agitatur Animus, & viciſſim. Si igitur pars una corporis eſt Animus, vegetior nimirum, magiſque concitata aura in inſigniori corporis loco regnans, neceſſum eſt, ut mortalis ſit, atque avulſa a toto corpore intereat eodem modo quo, quia oculus, aures, ac nares partes ſunt corporis, ità invicem in eodem corpore adnectuntur, ut ſi à corpore avellantur, atque mutuò ſeparentur, illicò intereuntes, eſſe, & agere deſinant.

Deinde hanc aliam ſubit rationem. Animus, & corpus adeò invicem adnectuntur, ut alter ſuſtineat, roboret, ac tueatur alterum. Etenim ut Animus intelligat, ſentiat, imaginetur, vitaleſque motus edat, neceſſariò corporis organis indiget, a quibus ſejunctus, nullam quidem actionem ad uſum revocare poteſt, eo prorſùs modo quo ſi oculus a corpore toto ſejungatur, illius videndi poteſtate evaneſcente, nihil ſane proſpicere poteſt.

At vice verſa Animo corpus indiget, ut ſuos motus abſolvat, vires tueatur, vita, ac ſenſu gaudeat, ſicuti ergò deturbatur, ac diſſolvitur corpus ab Animo diſſociatum, ſolvitur pariter, & evaneſcit Animus, ſi à corpore ſeparetur. Cùm ergo Mens in corpus, corpus in mentem agat, ut mutùo ſibi vires, ac robur elargiantur, ſequitur non minùs ac corpus, mortalem, atque caducum eſſe Animum, tàm tenaciter corpori adnexum. Hinc ſubiungit Lucretius. Cum Animus ſit ex primordijs rerum, minutiſſimis ſcilicet athomis contextus, neceſſe eſt, ut hujus inſectilia corpora non ſint ab invicem magno diſſita intervallo, ſed opus eſt, ut alterum alteri approximetur, ac congruum ſit, ut tandem ex ipſis elegans Animi ſtructura coaleſcat, ad quod obtinendum, oportet, Animam veluti in vaſe, in corpore contineri, quod rerum primordia cohibeat, atque ſiſtat, ne mutuo ſejungantur, & è corpore in aerem irrumpant, nam dum Animi partes è corpore egredientes in aerem excurrunt, tanto intervallo ſejunguntur, ut totus pereat Animus, qui ſi in aere incolumis, ac integer remaneret, Aer illi adnexus animatum, ac vivens corpus fieret, quo nil abſurdius. Fatendum igitur eſt, Animum prorſùs interire, atque in auras ſolvi, dum a toto corpore, cujus una pars eſt, avellitur.

CON-

CONFVTATIO.

NUgari, & ineptire potiùs, quàm philosophari in expositio Lucretij Textu videtur Epicurus. Ac primo apertè inficiamur, humanum Animum, sive Mentem esse corporis partem, dicere debebat Epicurus esse partem hominis, haud corporis, etenim Animus simul cum corpore totum efformat hominem; ex quo quæso tanta certitudine ille colligit, Animum esse partem corporis? Quia forsan suas insigniores operationes in aliqua certa, & fixa corporis parte perficit, & exercet? Attamen quis non videt, quam temerè, & captiosè ratiocinetur. Siquidem ut Animus insigniter in certa quadam corporis parte aut per universum corpus agere videatur, necesse minimè est, ut sit pars una corporis, seù ut in corpore tanquàm in vase cohibeatur, atque explicetur, sed satis est, ut ex naturæ legibus corporis organa cogitando diversimode afficiat, ac commoveat, ut illius sedes in corpore, pars ea dicatur, in qua haud effunditur sed præstantiùs, ac validiùs agit Animus, idcircò nulla ratione evidenter convinci potest, Animum esse in corpore tanquam in vase, aut esse suapte natura toti corpori adnexum, cum jam adducta ab Epicuro phænomena possint optimè exponi, invicemque conciliari, etiamsi ponamus, ac firmemus, Animum incorporeum & immortalem esse, cujus corpus non vas, sed tantum instrumentum sit, quo tanquàm insignior, altioriſque ordinis natura ut illud regat, utatur. Cum igitur nostra hypothesis sit evidenter possibilis, ac saltem æque probabilis, quam sit Epicuri doctrina, liquidò infertur, cohibendum adhuc judicium esse, & nullo pacto affirmandum, rem ita se habere, sicuti leviter putatur ab Epicuro, qui sanè, ut ex nostri apparatus assertionibus evidenter colligitur, in fallacem hìc incidit argumentationem.

Nostro accedente apparatu utraque subdola Epicuri ratiocinatio refellitur.

Ex nostro apparatu Fallax ostenditur Epicurus.

Hùc accedit, nihil prorsùs probare exemplum oculorum, aut aurium, in quibus vocibus deceptrix quædam latet amphibologia, seu æquivocatio, nàm vel nomine oculi exempli causa venit ipsamet videndi, ac sentiendi facultas, vel organum corporeum, quo ad visionem exercendam utitur Animus; si primum fateris, falsum quidem pronuncias, quod si nempè oculus à corpore separetur interit, ac dissolvitur, nam cum videndi facultas, quæ ipsemet Animus est, à toto corpore dissociatur, neutiquàm evanescit, sed adhùc integra manet in Animo, qui si benè dispositio oculo conjungatur, ex naturæ institutione, semper ad inspiciendum aptus est. Si verò venit secundum, si nimirum nomine oculi ipsum corporis organum intelligamus, tunc si oculus a toto corpore sejungatur, non amittit facultatem videndi, quæ soli Animo, insidet, sed tantum deserit esse Instrumentum Animi, ut hic videat. Etenim ex naturæ legibus, ut oculus ad videndum inserviat Animo debet cerebro atque spiritibus animalibus opticorum nervorum ope adnecti, idcircò dum a toto corpore sejungitur, instrumentali ut ità dicam videndi virtute destituitur, impar igitur est ratio, nàm etsi avulso oculo à corpore perit in oculo instrumentaria vis, illæsus tamen manet Animus avulsus à corpore, à cujus natura prorsus alienus est. Simili modo altera refellatur ratiocinatio, ex hoc enim quod Animus ut videat, aut quovis alio modo sentiat, & imaginetur, non necessario se-

quitur, Animum ſuaptè natura corpori adnecti, à corpore pendere; Etenim hic uſus, & organorum neceſſitas ad quaſdam operationes in corpore exercendas æque à duplici principio oriri poteſt, nempè vel ex hoc; quod Animus ſit corporis pars organis alligata, vel ex alio capite modo quo noſtra docet hypotheſis, idcircò nihil indubitanter ad Epicuri doctrinam adſtruendam inferri poteſt juxta ea, quæ in noſtro firmavimus Apparatu. Quid enim prohibet, poſſe dari Animum imperfectum quidem ſed inextenſum, & immortalem, qui tali lege organico corpori alligetur, ut ad quaſdam operationes abſolvendas corporeis organis uti debeat, quibus ſolutis, aut deturbatis, hæc adhibere non valeat Animus. Ut autem omnis dematur obſcuritas, nominumque confuſio vitetur, duplex genus operationum in Animo diſtinguimus. Primum amplectitur illas operationes, quæ ab Animo, auxiliante corpore, exercentur, quas nimirùm Animus organorum occaſione perficit, & hujuſmodi actiones permixtas, aut impuras nuncupamus, in quas nimirum ut cauſa principalis præſtantiſſimus Animus, ut occaſionalis verò, ſi fas eſt dicere, viliſſimum corpus influat, quo pacto ſe habent oculorum, aurium, aut narium actiones, & univerſim quidquid ſenſationis, & imaginationis naturam redolet, quibus permixtis operationibus dum comparatur Animus, indigere hic ex naturæ legibus corporeis videtur organis. Alterum operationum genus eas continet actiones, quas ut exerceat Animus, animo nempè ſe ipſo haud corporis organis indiget, ut eſt intelligere, quod puram; atque ſimplicem Animæ operationem appellamus, idcircò cum in Animo præſtantiſſimæ quædam actiones eluceant, quæ minimè ab organo corporiſq; influxu pendent, manifeſtè deducimus, non omninò mentem à corpore pendere, atque adeo à corporis commercio ſejunctam integram manere, haud interire. Quod autem in Animo inſignis quædam vis agendi citrà corporis auxilium eluceat, pluribus in locis in prima hujus Operis parte cum Auguſtino demonſtravimus, & in poſtrema parte in noſtris inveſtigationibus ſolidè, & copioſè oſtendemus.

Duplex operationum genus in humano Animo diſtinguimus.

Denique quod ait Epicurus, Animam rerum primordiis, ſeù inſectilibus corporibus effòrmari, atque intrà organici corporis terminos, ac confinia, coerceri, ut in aere libero nullo pacto vivere poſſit Animus, hoc totum commentitiis, ac falſis principiis innititur, atque potius gratis hæc aſſerere, quam probare videtur, nam cum fingat Animum tenuiſſimam auram athomis conſtantem eſſe, ne illius textura effluat, ſed illæſa maneat, & cohibeatur, in aliquo fixo, ac certo loco collocandam eſſe arbitratur, quidquid enim corporeum eſt, alicui determinato ſpatio reſpondere neceſſum eſt, attamen longè fallitur Epicurus: Etenim etſi corporeæ, ac fluidæ ſubſtantiæ ut cohibeantur, ſeù ne diffluant, loco fixo, & vaſe quodam indigent, attamen non eodem pacto ſe habent res inextenſæ, & incorporeæ, ſicuti Animus eſt, quæ cum partibus, ac trina dimenſione careant, à ſpatiis prorſus abhorrent, corporumque locis congruere nequeunt, ſed tantùm in eo ſpatio dicuntur eſſe, ubi agunt, nullo enim ſpatio indiget Animus, ut ſit, intelligat, ac vivat, quod ſi in corpore eſſe affirmatur, hoc quidem non contingit per ſubſtantiæ expanſionem, ſed tantùm per operationem. Hinc Animũ corporeis organis adnecti aut in corpore eſſe, nihil aliud ſonat, quam

Quam immaniter decipiatur Epicurus declaratur.

quam Animum in corpore quasdam operationes exercere. in quibus haud Animi substantia exporrigitur, & circumscribitur, sed tantum illius operatio effulget, modo quo suo loco planiùs enucleabimus.

Concludamus igitur, expositas à Lucretio argumentationes nihil certi, nihilque firmi continere, sed potius ut captiosas, atque sophisticas refellendas esse.

SOPHISMA SEPTIMUM.

Denique cum corpus nequeat perferre Animai
Discidium quin id tetro tabescat odore
Quid dubitas, quin ex imo, penitusque coorta
Emanarit uti fumus diffusa animæ vis?
Atque ideò tanta mutatum putre ruina
Conciderit corpus penitus, quia mota loco sunt
Fundamenta foras animæ, mananſque per artus
Perque viarum omnes flexus, in corpore qui sunt
Atque foramina? multimodis ut noscere possis
Dispertitam Animæ naturam exisse per artus
Et prius esse sibi distractam corpore in ipso
Quàm prolapsa foras enaret in aeris auras.
Quin etiam fines dum vitæ vertitur intra
Sæpe aliqua tamen è causa labefacta videtur
Ire Anima, & toto solvi de corpore membra.
Et quasi supremo langueſcere tempore voltus.
Quod genus esse animo malefactum cum perhibetur,
Aut Animam liquisse, ubi jam trepidatur, & omnes
Extremum cupiunt vires reprendere vinclum.
Conquassatur enim tùm mens, animæque potestas
Omnis, & hæc ipso cum corpore conlabefiunt
Vt gravior paulò possit dissolvere causa.
Quid dubitas tandem quin extrà prodita corpus
Imbecilla foras in aperto, tegmine dempto,
Non modò non omnem possit durare per ævum,
Sed minimum quodvis nequeat consistere tempus?
Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur,
Ire foras Animam incolumem de corpore toto
Nec priùs ad jugulum, & superas succedere fauces;
Verum deficere in certa regione locatam,
Vt sensus alios in parti quemque sua scit
Dissolvi, quod si immortalis nostra foret Mens
Non jam se moriens dissolvi conquereretur
Sed magis ire foras, vestemque relinquere ut anguis
Gauderet, prælonga senex aut cornua cervus

EXPOSITIO.

FAllaciſſimo ſenſuum teſtimonio deceptus Epicurus, lethalem illius doctrinam perleganter canente Lucretio, ſequenti modo, ut Ani-

Epicuri ratiocinatio ad humanæ Mentis cæcitatem ostendendam.

Animam pariter cum corpore interire ostenderet, argumentatur. Cum Animus ab organico corpore recedit, illicò corpus putrescit, atque tetrotabescit odore, id autem profectò non contingit, nisi quia tenuissima Animæ aura, cujus, ut ità dicam, balsamica virtus, corporis vires, elegantiam, roburque tuetur, ex corporis penetralibus, artubus, nervis, arteriisque egrediens, in partes scinditur, atque quaqua versum soluta è corpore, discerpta, & dissipata in auras abiens erumpit, idcircò solvitur, atque interit Animus, cum hic nihil sit aliud, quam vitalis quidam calor, & vividus halitus, qui dùm per artus, corporisque organa expanditur, corpus sustinet, roborat, atque perficit.

Deindè adeò Animus corpori adnectitur, ut extrà corpus prodiens tegmine dempto, in aperto aere, neque minimum tempus consistere valeat, non modò per ævum omnem durare, quod duplici ratione firmatur, & primò nemo moriens Animam incolumem de toto corpore foras ire aliquando sensit, sed potius unusquisque dùm ad interitum approximatur, Animam in certa regione locatam, deficere, percipit, ut ex omni parte, sensu deficiente, & Animum dissolvi opus sit. Deindè si Animus immortalis esset à corporis natura alienus, jam emoriente homine nullo pacto se dissolvi conquereretur, neque corpus cum dispicentia, & dolore relinqueret, sed potiùs claustra confringere, atque à corporis vinculis se vindicare summopere lætaretur, nam quidquid Immortale, & æternum est, nequit citrà vim in mortali, & caduca re detineri, undè ergo ortum habere potest in Animo tanta propensio, ac tantus amor erga corpus, si immortalitate gaudens, caducam corporis indolem à se reiicit, nullamque cum corpore affinitatem habeat? nulla enim pax, nullumq; fædus, sed potiùs lis, & inimicitia inter mortalem, & incorruptibilem naturam intercedit. Si igitur tanto amore corpus prosequitur Animus, ut à corpore nisi invitus, & violenter sejungatur, id manifestissimè præsagit, mortalem esse Animum, qui nisi in corpore contineatur, statim interit, ac in partes dispescitur. Hoc pacto à veritate aberrans, inaniter in erroris gratiam arguit Epicurus.

CONFVTATIO.

Haud expavescit errorem solidissima Veritas.

NE infidiosas rationes Epicuri, sensibus, haud intellectu Philosophantis, expaveſcere videamur, non modò cum Lucretio in medium eas adducimus, verum & novis subindè argumentis consolidare studemus, quantum erroris patitur imbecillitas, non inermem, sed robustioribus armis munitum, adversarium pietatis oppugnare, ac vincere gaudentes. Idcircò nemo miretur, si dum Epicuri Sophismata exponimus, non tantùm ea, quæ in Lucretianis Carminibus jacent, aperimus, sed etiam aliquando novas illis adnectimus rationes, aut illa planiùs enucleamus, non enim solidissima Veritas, licet horribili aspectu in certamen descendentem, extimescit errorem. Ad rem nostram igitur accedamus. Primum Lucretii argumentum vim nullam prorsùs habet, sed fallax est, & captiosum. Etenim emortuo homine non putrescit, ac fœdum odorem emittit corpus, quia ex illius recessibus vis Animæ diffusa, veluti fumus emanavit, atque per soluti corporis meatus egrediens, in aperto cœlo abiit in auras, sed quia pariter cum Anima recessit subtilior

Prima Lucretii argumentatio prorsus inanis est ac Fallax.

lior ſanguinis halitus, aut ſi mavis, concitatus ſpiritus, qui haud Animus, ſed Animi eſt inſtrumentum, cujus defectu coagulatur ſanguis, fixantur humores, atque tenuiori parte evaneſcente, in putredinem carnes degenerant; Aethereus namque, ac valdè agitatus vapor in ſanguine, nervorumque ſucco deliteſcit, qui dum per totum corpus explicatur, quaſi vitale balſamum, ſingulas corporis partes roborat, & à putredine præſervat. Hæc autem ætherea, ſummèque tenuis natura verè corporea eſt, craſſioribus organis adnexa, omni tamen ſenſu, & intellectu carens, qua ut validiori ſuo inſtrumento utitur Animus ad univerſum corpus tuendum, ac moderandum quod cum abeſt, illicò ab agendo in corpore ceſſat Animus. *Cur organico corpore infigniter perturbato ab agendo ceſſat Animus.*

Vt autem hæc expeditius intelligantur, admonemus, hominem ex triplici conſtare ſubſtantia, quarum prima dicatur infima, ſecunda media, tertia tandem ſuprema; infima craſſius ipſum corpus eſt, ſolidis inſtructam organis, in quo craſſiores humores etiam continentur, ut ſanguis, bilis, pituita, & id genus alia. Suprema verò ſubſtantia eſt Animus, ſive Mens, naturæ, & operationum excellentia craſſo corpori maximopere præſtans. Media verò eſt halitus ille, ac ſpiritus tenuiſſimus, qui veluti ætherea ſanguinis vis eſt, atque poteſtas, cujus impetu, atque virtute commotus, & agitatus conſervatur ſanguis, atque ſinguli corporis motus gubernantur. Jam hic ſanguinis flos, & vigor veluti medium locum inter craſſium corpus tenet, & Animum, ob enim maximam ſui tenuitatem, ac motus rapiditatem a craſſiori, & torpido corpore ſejungitur, quia tamen partibus, & extenſione pollet, optimè ſecernitur ab Animo. Hinc quodammodò utriuſque extremi naturam participare videtur, ob quam rationem media ſubſtantia nuncupatur, etſe habet veluti vehiculum, per quod Mentis operationes ad craſſius corpus tranſmittuntur, & quaſi vinculum, cujus auxilio Mens organico corpori adnectitur. Si quidem Animi imperium, atque regimen in corpore, potiſſimùm in hoc collocatum eſt, ut æthereæ ac mediæ ſubſtantiæ immediatè præſideat, quæ illius voluntatis nutibus obtemperet. Dum autem Animus ſanguinis ſpiritum dirigit, ac moderatur, tunc ſubſiſtere, ac vivere dicitur homo; Hinc Mens vitam, & vires corpori organico elargiri dicitur, quia æthereum, ac concitatum ſpiritum regit, ac pro ſuo arbitratu multifariam agitat, qui ſpiritus cardo eſt omnium corporalium motionum, cujus robore nempè, & influxu muſculi, ac nervi moventur, ob quam rationem principium localis motionis in corpore optimè dicitur Animus, a quo non tantùm motus ſpontanei, & voluntarii, verum etiam & ii, qui naturales, & neceſſarii dicuntur, pendent, cum Animo inſerviat, & ancilletur hujuſmodi media, ac tenuiſſima ſubſtantia, a cujus virtute quivis corporeus motus proficiſcitur. Quod ſi contigerit ex aliqua cauſa æthereum halitum aut totum in craſſiori, & extranea materia implicari, & impediri, aut per corporis meatus foris avolare, tunc inſigniſſimo Animæ inſtrumento deturbato, aut ſoluto, Animus incolumis manens à craſſo corpore diſſociatur, atque veluti diffracto vinculo à corporis organis recedit, ſeù non amplius ad agendum in corpore eſt aptus. *Triplex natura, quâ conſtat Homo diligentiùs expenditur.*

His autem præmiſſis, & explicatis faciliùs Lucretiani Sophiſmatis fraus evelatur. Hoc enim pacto arguere videtur Lucretius. Non putreſcit nec tetro odore, in tabem convertitur corpus, niſi per ſecretionem, & diſſociationem partis ſubtilioris,

ac

ac mobilioris à partibus craſſioribus, atque ad motum ineptis. Nam ſolutis & auolantibus tenuioribus particulis, craſſiores partes, quæ ſubtiliſſimo ſpiritu permeante, ac devinciente, invicem concinno quodam ordine detinebantur, illicò diſgregantur, atquè dùm evaporando nares offendunt acuminata, & anguloſa figura, qua pollent, ingratum odoris fœdi ſenſum excitant. Atqui dum Animus ſejungitur à corpore, hoc confeſſim tabeſcit, atque tetrum pariens odorem in putredinem abit. Igitur ſubtilior, ac mobilior organici corporis pars ipſe met Animus eſt, qui dum à corpore recedit, & in partes ſolvitur, ſimul cum ipſo tenuiſſima vitalis caloris aura perit, ac diſſipatur. Quis ſanæ mentis quàm captioſa ſit hujuſmodi argumentatio, non intelligit? in cujus minori propoſitione deceptionis virus obliteſcit. Recedente Animo à corpore, putreſcit quidem & evertitur corpus, non quia Animus ſit ſubtilior, & mobilior pars, quæ à craſſioribus particulis ſejungitur, ita ut idem ſit recedere Animum à corpore, ac ab eodem tenuiorem partem diſſociari, quod falſum quidem eſt; ſed quia dum recedit Animus pariter deturbatur, ac ſolvitur, Media ſubſtantia, cujus beneficio Animus corpori obſtringitur, ſoluto enim vinculo, quo Mens organico corpori copulatur, neceſſe eſt cum ſubtiliori parte ſoluta, pariter a corpore ſolvi, & liberari Animum. Idcircò ſi mente è corpore egreſſa, adhuc incluſus, & congruo motu excurrens concitatus, & æthereus ſanguinis ſpiritus in craſſiori corpore remaneret, neutiquam tabeſceret corpus, quod ſanè non contingit, quia ex naturæ legibus Animus tamdiù in corpore agere & pro modo ſuo manere debet, quamdiù ritè craſſioribus corporis organis diſpoſitis, media, atque ſubtiliſſima ſubſtantia per corporis artus liberè quaquaverſum excurrens ſub animi imperio ſuas motiones abſolvit. Quamobrem ex eo quod cum recedit Mens, putreſcit corpus, nullo pacto indubitanter inferri poteſt ſubtiliorem corporis partem quæ avolat, ac ſolvitur, ipſummet Animum eſſe, atque adeò manifeſtè deducimus in captioſum Ratiocinium Epicurum incurrere. Jam ſupereſt, ut alteram Lucretii Ratiocinationem trutinemus, in qua profectò æquè ac in prima Sophiſmatis dolus continetur; Et primò quod corpus tegmentum ſit, & receptaculum Animi, aſſeritur quidem, haud probatur, non enim ſuprema ſubſtantia, ſed tantum media, nimirùm non Mens, ſed æthereus ſanguinis vigor in infima ſubſtantia, nempè in craſſiori corpore tanquàm in vaſe continetur, Animus enim tantùm verè in corpore agere, & ob imperium, quod ſuprà ſubtiliorem, & concitatam auram exercet, contineri dicitur, idcircò dum corporis Vas diſrumpitur non Mens, ſed Mentis inſtrumentum, atque inſignius organum effluit, & in partes diſſolvitur. Hoc enim probandum eſt, cum corpore pariter ſolui, & interire Animum, & quod in idem recidit, tenuiſſimum ſanguinis florem & halitum haud a Mentis natura ſecerni, quod ſanè nunquam Epicuri Sectatores demonſtrabunt.

Prætereà Epicuri aſſertionem haud roborant, ſed potius enervant ea, quæ in confirmationem adducit Lucretius. Ait enim ſecundò nemo, dum emoritur Animam incolumem extra corpus ire ſentit, ſed tantum illam deficere in ea corporis parte in qua certa illius Sedes collocatur.

Atta-

Attamen, cum inquit, Homo sentit, aut venit Corpus, aut Animus, non autem primum, quia sentire haud corporis est, sed animi, ut in prima hujus operis parte caput 14. Augustini de Animæ quantitate interpretantes, demonstravimus; Dicendum igitur est, secundum, nempè Animum esse, qui sensus actionem exercet, tunc enim sentire dicimur, cum Animus externis corporis organis utens percipit aliquid: Dum verò Animus à corpore recedit, nequit se incolumem è corpore egredientem sentire, nam ut se ipsum, suasque facultates percipiat, haud sensibus, sed sola intelligentia uti debet, non enim externis organis auxiliantibus, sed tantùm semet ipso effulgente, suam naturam intelligit. Cum ergò Animus à corpore sejungitur, dum se dolentem, atque abagendo in corpore cessantem percipit, incolumem adhuc esse & manere non se sentit, sed intelligit, dum enim dolet Animus & sese à corpore sejungens, non ampliùs actiones in organo exercere percipit, jam se dolentem, & in corpore minimè agentem intelligit, nequit autem hæc intelligere, quin se scientem, ac intelligentem videat. Dum verò se nosse, & intelligere cernit, jam se ipsum integrum, & incolumem videt, cujus integra vis, atque potestas ipsum nosse, ipsumque intelligere est, ut, Augustino docente in secunda hujus Operis parte luculenter ostendimus.

Neque doctrinam orthodoxam infirmat Lucretius, dum suam assertionem roborans subdit, quod si Animus incorporeus, ac sempiternus esset, nullo pacto dum sejungitur à corpore conquereretur, sed potius è carceribus, atque vinculis sese expedire, & liberare gaud eret. Etenim etiam hoc posito & concesso, ex hac ratione citrà fallacis, & captiosæ argumentationis vitium certò inferri nequit, humanum Animum corruptibile corpus esse. Ut autem hoc planius ostendatur, admoneo ex duplici principio oriri posse, quod dum Animus à corpore solvitur, doleat, & conqueratur, primo ex hoc quod fingeretur, Animum nihil aliud esse, nisi tenuissimam auram insectilibus athomis contextam, quæ ut conservetur, corpore organico tanquam vase, & domicilio indigeat, modo quo Epicurus edocet, & juxtà hanc fictionem, illicò exponi posse videtur, qua ratione invitus, summaque diſplicentia totus Animus sejungatur à corpore, nam si subtilissimum corpus in crassioribus organis incluſus Animus esset, proculdubio separationem à corpore exhorresceret, ex qua illius interitus, ac mors sequeretur; Quidquid enim in hac rerum universitate vivit, dum se tueri & existere exoptat, destruentes sui causas detestari, necessum est. Hoc idem tamen phænomenon possit æquè obtineri, si ad aliud diversum principium confugiamus. Etenim ut in nostro Apparatu ostendimus, possibilis est imperfectus, & finitus Animus, qui nihil aliud sit præter Animum, suaptè nempè natura totus intelligens, inextensus, & immortalis, jam fingamus Animo, hunc Animum existere, sanè dum hic immortalis, & à corporis natura alienus ponitur, nullam affinitatem, cognationem nullam cum corporibus, sensilibusque rebus haberet. Atque adeò suaptè natura potiùs mortalia corpora, resque caducas effugeret, atque execraretur, quàm illis conjungi, cum illis vitam, & societatem inire vellet, cum nullus sit nexus inter corruptibile, & immortale, nulla inter inextensas res, & corpus proportio eluceat, non enim mortali re immorta-

Nostro accedente apparatu Lucretiani sophismatis fraus detegitur.

lis natura indiget: Attamen quamvis si rerum indolem consulamus, nullum intelligatur commercium inter mortale, & immortalẽ, corporeum & inextensum, nihilominus non videtur à ratione alienum, aut apertè falsum, posse finitum & immortalem Animum modò à nobis expositò ex aliqua causa adeò corpori organico conjungi, ut mutuum quoddam commerciũ inter utramque naturam innascatur, seù non videtur impossibile, quod ex naturæ legibus immortalis, & incorporeus Animus pro aliquo præscripto tempore, aliquam materiæ portionem, organicum scilicet corpus aliquod tueri, regere, & custodire teneatur, ut immortale mortali rei obstrictum, & veluti adnexum videatur, quia tamen Immortale mortali non indiget, atque adeò nullam ex natura sua propensionem, & amorem erga res extraneas, & corruptibiles habere possit, non videtur impossibile, & rationi dissentaneum, quod, ut hoc mutuum commercium corporis, & Animi obtineatur, atque amor, & propensio quædam erga corpus in Animo immortali excitentur, solertissima Natura duo media, atque congrua instrumenta instituerit dolorem, nempè, & voluptatem, hac lege ut dùm res externæ corporea organa diversimodè afficiẽtes, corporis economiam, & congruam dispositionem non deturbant, aut destruunt, sed potius tuentur, ac fovent, jucundus voluptatis sensus confestim excitetur in Animo, quo hic citrà ratiocinium statim animadvertat, motus ab externis causis, in organa transmissos, haud destruere, & immutare, sed conservare, & fovere corpus, ad cujus custodiam, & incolumitatem ipse Animus destinatur. Quod si externarum rerum impressiones ad corporis destructionem, aut insignem quamdam mutationem tendunt, tunc ut illicò ad corpus tuendum occurrat Animus, ingrata doloris perceptio statim innascatur.

Non est à ratione alienum posse imperfectum Animũ etsi immortalem, & inextensum extensæ tamen & mortali naturæ conjungi.

Iuxta quam hypothesim, quæ sanè nullam apèrtam falsitatem amplectitur, Animus non suaptè natura corpus amaret, & corpori perpetuò obstringi cuperet, sed ex Naturæ legibus, ad organicũ corpus tuendum & moderandum, doloris, & voluptatis ope ordinaretur, neque revera corpus diligeret, cum corpore conjungi gauderet, sed tantùm voluptatem amaret, odio haberet dolorem. Etenim nisi corporis occasione, neque dolor neque voluptas in eo progignerentur, neque ad corporis custodiam descenderet, neque à corpore sejungi conquereretur; Hoc autem pacto rem in homine contingere fatemur, aut saltem insigniter probabile esse sustinemus. Cum igitur idem phænomenon ab Epicuro adductum possit à duplici causa ortum ducere, & juxtà utramque hypothesim æquè explanari, evidenter inferimus, temerè, & captiosè arguere Epicurum, dum ex amore, & propensione Animi erga corpus, citra dubitationem deducit, Animum corporeum, & mortalem esse.

Animus ex liberrima Authoris intentione, haud suapte naturâ corporis conjunctionem amat.

SOPHISMA OCTAVUM.

Denique cur Animi nunquam mens, consiliumque
Gignitur in capite, aut pedibus, manibusve: sed unis
Sedibus, & certis regionibus omnis inhæret:
Si non certa loca ad nascendum reddita quoique

Sunt

Sunt & ubi quidquid poſſit durare creatum ?
Atque ità multimodis pro totis artubus eſſe
Membrorum ut nunquam exiſtat præpoſterus ordo
Vſque adeo ſequitur res rem, neque flamma creari in
Fluminibus ſolita eſt, neque in igni gigniter algor.
Prætereà ſi immortalis natura animai eſt
Et ſentire poteſt ſecreta à corpore noſtro
Quinque, ut opinor, eam faciundum eſt ſenſibus auctam
Nec ratione alia noſmet proponere nobis
Poſſumus infernas animas acherunte vagare.
Pictores itaque, & ſcriptorum ſæcla priora
Sic animas introduxeruni ſenſibus auctas.
At neque ſeorſum oculi, neque nares, nec manus ipſa
Eſſe poteſt anima, neque ſeorsùm lingua, neque aures
Abſque anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe;
Nec ſenſus ipſi ſeorſum conſiſtere poſſunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua, nec per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.

EXPOSITIO.

VT collabentem Epicuri doctrinam perlegans, ac venuſta Lucretii Maſa fulciret, duo nova, ſed æquè inania, ac præcedentia fuere, contexit argumenta, quorum primum eſt; Si humanus Animus immortalis, & à corporis indole alienus eſſet, profectò nulla certa ſede, in qua locaretur indigeret, ſed in quavis corporis parte deliteſcens ad inſigniores intelligentiæ operationes exercendas aptus eſſet; Cum enim nullam cognationem, & proportionem haberet cum corpore, ubicunque in corporeis organis poneretur, vitæ conſilium atque regimen, mentiſque vim in uſum verteret, ac manifeſtaret, idcircò & in manibus, & in pedibus cæteriſque corporis membris non tantùm ſentiret, verum & intelligeret, ac præſtantiores ſuas actiones patefaceret; Atqui hoc nullo pacto contingit. Etenim Animus certam ſuam regionem ac fixam ſedem in corpore, ſcilicet in pectore ac præcordiis habeat, ubi vegetior eſt ſenſus, & concitatiores vigent affectus; idcircò fatendum eſt, mortalem, & extenſum Animum eſſe, cui non minus ac cæteris corporibus ſua peculiaris, ac certa ſedes tribuitur, ut in uno tantum loco vitæ regimen, ac mentis conſilium efflorеſcat.

Dupliciter adverſus Animæ immortalitatem hic arguit Epicurus.

Altera verò argumentatio ſic procedit, Anima corpori adnexa, ut ſentiat, nempè videat, olfaciat, audiat, organis indiget, nempè opus eſt, ut aures, oculos, nares, & alia membra ad ſentiendum ordinata adhibeat. Hinc ſi à corpore avellatur oculus, illico videndi poteſtas extinguitur in Animo. Idcircò ſicuti organa ſenſus à corpore ſejuncta omni vitali actione deſtituuntur, eodem pacto, & eſſe, & ſentire ceſſat Animus, dum à toto corpore, cujus certa quædam pars eſt, diſſociatur; Si igitur extrà corpus ſingulis caret ſenſibus, cum ſit ſeparata ab organis, in quibus ſentiendi facultas exercetur, deficere, & interire oportet, cum tota Mentis vis in ſentiendi poteſtate ſita ſit; quapropter Vulgi, atque Poetarum deliramenta ſunt, cum dicimus, Animas ſenſibus præditas à

corpore sejunctas per inferos vagari, quod sanè excogitatum fuit, ut deindè sustineri possit, Animas è corporibus solutas inferna supplicia sentire: quo profectò nihil absurdiùs, cum intereunte corpore singuli sensus intereant. Hoc pacto à ratione devius delirat Epicurus.

CONFVTATIO.

INfelix quidem Erroris conditio? Hic enim quo magis insolescens veritatem oppugnare studet, eo victus magis, ac depressus enervatur, suamque nobis imbecillitatem aperit: quod Lucretio falsum tuenti sanè contingit, qui quo majori conatu ad Epicuri mendacia sustinenda incumbit, eo fortiùs à triumphali veritate debellatur, atque apertæ redarguitur falsitatis. Quid enim ad Animi interitum ostendendum infirmius adduci poterat, quam fixa, & certa mentis sedes in pectore, sive præcordiis collocata; siquidem ut hujus primæ rationis levitas ac tenuitas facilè innotescant, sic arguimus: Anima juxtà doctrinam Epicuri nihil aliud est, quam quædam tenuissima aura ex valdè mobilibus, ac subtilissimis athomis emergens, ubicunque igitur in corpore clausa hujuscemodi aura invenietur, cum ipsa pariter Animus, mens, & ingenium reperietur, idcircò nullam certam regionem, ac fixam sedem, aut in pectore, aut in cerebro haberet Animus, sed in quovis corporis organo, seu in qua vis organicæ materiæ parte non tantùm sentiret, verum & intelligeret, insignioresque mentis actiones perficeret, atque adeò tela, quæ in nos Epicurus immittit, in ipsummet hostem resiliunt, ut non tantùm nos, sed etiam ipsius Epicuri sectatores hoc primum Lucretii argumentum solvere debeant.

Epicuri detegitur error.

Dubitatio quædam emergit.

Respondere tamen poterit adversarius dicens, quod quamvis in qua-vis viventis corporis parte subtilissima hæc vigeat aura, cui sentiendi potestas insidet, & ob quam rationem Anima nuncupatur, attamen quia vegetiori motu, majorique tenuitate in pectore pollet, ubi organum magis ad præstantiores Animi functiones obeundas congruum, & proportionatum invenitur, ideò Animus, sive mens haud in quovis corporis loco, sed tantùm tanquam in suo Regno in pectore sive præcordiis suum imperium exercet, atque intelligendi facultatem ad usum revocat, idcircò optimè Epicuri hypothesi firmata, Animus ab anima secernitur, atque ratio traditur, cur certa quædam mentis sedes sit in organico corpore collocanda.

Dubitatio solvitur.

Hæc tamen responsio nullius ponderis est: Etenim primum absit quæro, Epicuri sectator? si Animus, seu mens quædam tenuissima aura est, ac quidam athomis contextus vapor, cur hic in pectore tantùm viget, ut non possit insimul in aliis carporis visceribus, & potissimum in cerebro, in arteriis, nervorumque cavitatibus, in quibus subtilissimus summeque concitatus sanguinis spiritus summoperè floret? Cur enim tantùm in pectore intelligendi vis exercetur, ut etiam, & arteriæ, & nervi, & cerebrum, & aliæ similes partes non intelligant, judicandi, & ratiocinandi virtute non polleant? Quod si, ut Epicurus docet, fortuito Athomorũ concursu citrà supremi Numinis providentiam effor-matus est Animus, cur tantum in pectore suam certam regionem invenit, ut non possit etiam saltem aliquando ità athomorum motu adaucto

in

in alias corporis partes irrumpere, ut & manus, & pedes & brachia intelligere, mentisque potestate gaudere videantur? Cur etiam & hoc in brutis non contingit, in quibus sæpissimè magis, quam in hominibus ferocior atque concitatior spiritus vehemens è sanguine erumpit, qui per corporis artus, atque membra velocissima excurens brutorum corpora humanis corporibus robustiora, atque viviori sensu prædita reddit? Hinc observamus in quibusdam Animantibus ratione, & intellectu carentibus vivendi, aut audiendi sensus nervorum, sanguinisque vires validiores, ac vehementiores esse, quàm in homine. Cur ergo & maioribus viribus prædita bruta ut homines non intelligunt, si mobiliores, subtiliores, ac potentiores athomos in suis organis, fluidis substantijs admixtas, complectuntur.

Audio tamen quid ulteriùs respondeant, nempè, ad intellectus actiones absolvendas haud satis esse concitatas, ac tenuiores athomos in aliqua corporis parte locatas inveniri, sed insuper requiritur, ut locus, in quo existunt, congruus, & proportionatus sit ad intelligendi vim exercendam, quod tantùm in pectore, in aliqua scilicet certa corporis regione, non vero in cæteris partibus contingit. Attamen quis quàm inanis, ac futilis hæc responsio sit, non videt, nam hoc ipsum quærimus. Si Animus casu procreatus est, & in quadam tenuissima aura totus consistit, cur in solo pectore, non verò in alijs corporis locis suam sedem collocatam invenit? Cur non intelligit in sanguine, in nervis, arterijs, aut in cerebro? ubi tam concitatum, ac vegetum motum sentimus? in his namque locis hæc subtilissima aura sanè vivit, ubi inclusa detinetur, liberè evagatur, & excurrit. Cur igitur in illis tantùm sentit, non verò intelligit? Animæ, non Animi actiones exercet? Cur tot organis, ut vivat Animus, indiget, ut saltem aliquando in unico solo organo hujusmodi aura inclusa rationis, atque mentis operationes perficere nequeat? Cur etiam casu factum non est, ut concitatus halitus in vino delitescens, in vase aliquo optimè clausus, in Animæ, mentisque actiones non erumpat? Quod si tandem hæc tenuissima athomorum textura ut fiat Animus, nimirum ut intelligat, instrumento, & organo quodam congruo, & proportionato indiget, jam & ipsemet Epicurus viam nobis aperit, ut nostram hypothesim firmemus, illiusque sophismata quam facillimè detegamus. Quod ut meliùs percipiatur, admonemus, duplicem sensum habere posse hujus Epicuri verba, Animus certam regionem, ac fixam sedem in corpore habet; nam vel sensus est, Animum per suæ substantiæ expansionem, in quodam peculiari loco claudi, & contineri, ut nihil sit aliud, quàm tenuissimum corpus in quadam maxime sibi congrua parte corporis locatum; vel sensus est, in aliqua corporis parte tantum elucere proportionatum, ac congruũ instrumentum, ubi Anima singula corporis membra regere & moderari valeat, ut in illo intelligendi potestas exerceri videatur, ut in capite potissimùm id contingere putamus. Si primum dicatur, jam in fallacem argumentationem incidit Epicurus, tanquam certum firmans id quod probare debuerat, deindè in alterum dilabitur errorem, dum fingit, & opinatur Mentis actiones in aliqua corporis parte corporei instrumenti beneficio absolvi, quod apertè falsum est, cum intelligentiæ vis, ut suas operationes exerceat, nullum corporis adhibet organum,

Quam sibi repugnet Epicuri doctrina demonstratur.

Qua ratione Animus potissimum in aliqua corporis parte vigere, aut sedem obtinere dicatur, paucis ostenditur.

num, sed ut suprà innuimus, potiùs, dum intelligit, a corpore avertitur, ac removetur. Hoc enim ostendendum est, Animum organo indigere ad intelligendum, quod non ostendit, sed tantum absque ullo fundamento in medium affert Epicurus. Quapropter ad secundum sensum saniùs, ac tutiùs confugiendum est. Siquidem optimè affirmari potest, ex naturæ legibus, sic Dei disponente providentia, in humano corpore sedem quamdam seu quoddam concinnum, ac ineffabili quadam ratione elaboratũ instrumentum vigere, in quo, & ob mediæ, subtilioris que substantiæ validiores vires, & ob nobiliorem partium structuram & configurationem Animus veluti in arce positus ad corpus tuendum, ac moderandum incessanter invigilet; nàm cum in hoc insignissimum organum singuli corporis motus, atque omnium externarum rerum impressiones concurrant, ac tendant, dum ex hujusmodi motionibus iuxta naturæ leges dolor, & voluptas in Animo excitantur, tota Animi vis ad corporis præsidium, atque tutelam in hoc validissimo organo abbreviata videturut, ex ipso in Universum corpus vita, & sensus derivetur. Idcircò affirmamus, ibi Animæ sedem collocatam esse, ubi ad sensuum, & imaginandi potestatem exercendam, atque ad totum corpus tuendum insignius, magisque congruum instrumentum invenitur, quod nisi adsit, imaginatio, & sensus intereunt in Animo, qui corporis organis sane indiget, ut sentiat, aut imaginetur, sensationes enim & imaginationes, ut diximus permixtæ, & impuræ sunt Animi operationes, neutiquàm tamèn hujusmodi corporis organo indiget Animus, ut intelligat, quamvis nobis hunc in capite intelligere appareat, in quo profectò Animus decipitur, sicuti fallitur, cum existimat, sensum haud in semetipso, sed in corporis organis, in quæ res externæ incurrunt, procreari. Postremo hoc pacto arguens Epicurus, in alium Paralogismum incidit; Etenim ex hoc, quod insigniores sensus vitæ, & imaginationis actiones in aliqua determinata corporis parte exerceantur, indubitanter infert, Animum tenuissimum, ac mortale corpus in quadam organicæ materiæ parte expansum, & clausum esse. Quis tamen sana mente præditus non videt hoc Phænomenon posse ex alio diverso principio emanare, nàm æque commodè exponi possit, si nempè fateamur, Animum immortalem quidem, & inextensum esse, ut in nulla corporis parte effundi, & expergi queat, ex Naturæ tamen legibus adeò corpori adnexum esse, ut in quadam tantùm fixa sede, & certa regione congruentiori instrumento accedente, vitæ regimen, atque consilium valeat exercere, ut subtilissima, & ætherea corporis substantia, haud Animus sed præstantius Animi sit instrumentum, modo quo suprà abundantiùs exposuimus; Cum igitur hoc idem Phænomenon possit commodè ex duplici causa proficisci, ut captiosus, atque inaniter arguens reijciatur Epicurus, dum immortalitatis oblitus ex sola corporis morte Animæ nostræ actiones, ac facultates educere studet. Jam superest ut alteram argumentationem pro viribus refellamus. Hoc enim pacto ratiocinatur. Animus à corporeis organis sejunctus sentire nequit, igitur dum a corpore dissociatur, sentiendi potestate evanescente, penitùs interit. Fallax propemodum est hic sermo. Nàm si in eo veritas emicaret, inferri etiam posset, fracta musici organi fistulà simul cum sonitu resonantem aerem interire.

re. Hoc certè contingeret, si sola sonitum excitandi potestas aeri inesset. En jam detectus error? arbitratur siquidem Epicurus solam, ac nudam sentiendi virtutem Animo adhærere, ut hic nil aliud sit, quam quædam sentiendi vis, in sensu enim mentis vitam impudenter collocat, at hoc prorsus à veritate abhorret, cum præter sentiendi potestatem insignior quædam vis effulgeat in Animo, quæ Intelligentia, aut Mens nuncupatur. Hinc etsi sensus soluto corpore extinguatur, sentiendi facultatem à corpore sejunctus minimè exerceat Animus, attamen integra, incolumisque præstantior intelligendi virtus manet, quæ nullo modo à corpore pendet, ac ipsum veluti Animæ fundum, intimioremque naturam efformat, cui sentire, & imaginari quid contingens, quidque arbitrarium, ita Natura instituente, est, intelligere verò necessarium, adeoque intimum, ac proportionatum ut intelligendi facultate seposita, Animi notio confestim pereat, Tolle sensum, relinque intelligentiam, jam integer Animus adest; ut enim vivat Animus, haud sentire, sed intelligere necessum est, quod evidenter constabit, cum in quarta hujus operis parte Animæ natura pervestigabitur.

Vt vivat humanus Animus haud necesse est ut sentiat, ac in corpore agat, satis est si intelligat.

Hic tamen tantùm solvendum supereſt, quo pacto Animus à sensuum otganis dissociatus, inferna supplicia sentire valeat, qua nimirùm ratione in Animo à corpore sejuncto, citrà organorum auxilium, igne sæviente possit doloris sensus excitari. Ardua quidem, ac solutu difficillima hæc quæstio videtur iis, qui cum Animæ naturam perscrutantur, ad corpora, non verò ad Animum sese convertunt, atque sensilium rerum spectris, & imaginibus decepti, cum sensibus, & carne, haud cum intelligentia commorari gaudent. Nam si naturam Animi, atque sensus exquisitè perpendamus, illicò intelligemus evidenter possibile esse, Animum à corpore sejunctũ, ignis occasione, ex liberrima supremi Numinis voluntate, doloris sensu excruciari posse, ut fide docente, contingere apud inferos, pro certo habemus, ubi Animæ æterno torquentur igne. Hujusmodi enim possibilitas planè innotescet, si Animi, ac sensus naturam diligenter evoluamus, atque animadvertamus in ea, quæ Animo corpori adnexo eveniunt. Animus cum suaptè natura incorporeus sit, & immortalis, modo quo pluribus in locis hujus operis demonstravimus, sequitur ex se nullam proportionem cum corpore habere, atque adeò semotis naturæ legibus ex mutatione, & quavis corporis affectione nulla consurgere potest mutatio, atque perturbatio in animo, & pariter quovis modo finito, & imperfecto Animo immutato, & alterato, nullo pacto mutari, & alterari deberet corpus. Siquidem nisi inter duas res proportio, & congruentia quædam eluceat, altera in alteram agere nequit; Cum ergo tota corporis natura sita sit in hoc quod sectilis magnitudinis tumore, & extensione gaudeat, animi verò indoles in nuda cogitandi potestate collocetur, profectò nullus à nobis intelligi potest modus, quo corpus & inextensum, insectile, & divisibile invicem impelli, & agere valeant. Idcircò cum in homine mutato, & affecto corpore, nova quædam mutatio, & affectio in perceptione, & cogitationibus animi innascitur, id sanè non oritur ex ipsamet natura, & potestate corporis, quod cum sit longè infimius animo. hunc neque dolore miserum, neque voluptate beatum efficere potest.

Quo pacto humanus Animus à corpore sejũctus ignis actione excruciari valeat, ostenditur.

Quid-

Quidquid enim aut dolore punire, aut recompenſare voluptate animum poteſt, animo excellentius ac præſtantius eſſe oportet. Si igitur ex corporis mutationibus voluptas, aut dolor, aut quivis alius cogitandi modus excitatur, hoc tantummodò ex liberrima ſupremi Numinis intentione oriri poteſt, quia nempè naturæ Author voluit adeò invicem animum, ac corpus adnectere, ut mutatio unius ſit occaſio, ut mutetur, alter juxtà leges unionis inter mortale, & immortale ſancitas ex quibus manifeſtè colligimus non minus arduum, & difficile explicata, & captu eſſe, quo pacto Animus à corpore ſejunctus ad præſentiam ignis dolore torqueatur, quam intelligere, & aperire, qua ratione corpori conjunctus, dum corpus movetur, & afficitur, dolorem, aliaſque mutationes patiatur, cum Animus æquè improportionatus ſit igni, dum eſt à corpore ſejunctus, ac ipſiſmet corporeis organis, dum cum corpore in homine aſſociatur. Sicuti igitur ex Divinæ Voluntatis arbitratu inextenſus Animus ad organici corporis præſentiam, & mutationem adeò poteſt immutari, ut dolore aliquando excrucietur, poterit etiam liberrimè ſtatuere, ut idem Animus ad ignis præſentiam æterno doloris ſupplicio puniatur, ut ignis, ſi fas eſt, dicere, ſit cauſa occaſionalis doloris, qui in Animo excitatur eo modo, quo organicum corpus motivum, & occaſionem præbet Naturæ creanti, ut nunc dolorem, nunc verò voluptatem progignat in humano Animo. Verum quidem eſt, Animum ſolutum à corpore ex inſtrumentorum abſentia neque videre, neque audire, aut ullum alium ex quinque ſenſibus exercere, attamen ex divina ordinatione ad præſentiam ignis dolorem ſentire poterit, non minùs, ac ſentiat, cum corporeis organis animo copulato aliqua corporis pars deturbatur, aut ſolvitur. In utraque enim re eadem prorsùs continetur difficultas. Sed hæc obiter dicta. Satis eſt, hic innuiſſe, quam inſaniant, & toto cælo aberrent, qui rerum corticem, ſenſus, lumine tantùm inſpicientes, rerum viſcera, ac penetralia, intellectu poſthabito, minimè cernunt.

SOPHISMA NONUM.

ET quoniam toto ſentimus corpore ineſſe
Vitalem ſenſum, & totum eſſe Animale videmus.
Si ſubito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, ut ſeorſum partem ſecernat utramque
Diſpertita procul dubio quoque vis animai
Et diſciſſa ſimul cum corpore diſijcietur.
At quod ſcinditur, & partes diſcedit in ullas
Scilicet æternam ſibi naturam abnuit eſſe
Falciferos memorant currus abſcindere membra
Sæpe ita deſubito, permiſta cæde calentes
Vt tremere in terra videatur ab artubus id, quod
Decidit abſciſſum, cum mens tamen. atque hominis vis
Mobilitate mali non quit ſentire dolorem,
Et ſimul in pugnæ ſtudio, quod dedita mens eſt
Corpore cum reliquo pugnam, cædeſque petiſſit,
Nec tenet, amiſſam lævam cum tegmine ſæpe

Inter

Inter Æquos abſtraxe rotas, falceſque rapaces,
Nec cecidiſſe alius dextram, cum ſcandit, & inſtat?
Indè alius conatur adempto ſurgere crure,
Cum digitos agitat propter moribundus humi pes
Et caput abſciſſum calido, viventèque trunco,
Servat humi voltum vitalem, oculoſque patentes
Donec reliquias Animai reddidit omnes.
Quin etiam tibi ſi lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, utrinque
Sit libitum in multas partes diſcindere ferro,
Omnia jam ſeorſum cernes anciſa recenti
Volnere tortari, & terram conſpergere tabo
Ipſam, ſeque retro partem petere ore priorem
Vulneris ardenti ut morſu premat icta dolore
Omnibus eſſe igitur totas dicemus in illis
Particulis animas? at ea ratione ſequetur
Vnam Animantem Animas habuiſſe in corpore multas.
Ergo diviſa eſt ea, quæ fuit una ſimul cum
Corpore; quapropter mortale utrunque putandum eſt
In multas quoniam partes diſcinditur æquè.

EXPOSITIO.

Lucretii ratiocinium pro Animæ mortalitate ſtatuendæ.

A Senſibus ad diviſionem deſcendit Lucretius, ut firmiorem doctrinam redderet Epicuri, ſic enim primò ad Animæ mortalitatem evincendam ratiocinatur. Quidquid corruptibilis corporis proprietates amplectitur, mortale, & corporeum quidem eſt, præcipua autem mortalis corporis paſſio in partes ſcindi & dividi, atque in ſpatiis explicari poſſe, eſt; atqui ſingula hæc humano congruunt animo, corruptibilis igitur eſt Animus. Cum enim vitalis ſenſus per totum corpus explicetur, clarè infertur, & Animam, cui ſenſus ineſt, per ſingulas corporis partes effundi. Deinde Animus in partes dividi, ac ſcindi poteſt, nam dum humanum corpus ferri violentia, aut ænei globi è bellico tormento exploſi ictibus in duas diſpeſcitur partes, tunc in duas medietates organicum abſcinditur corpus; tenuiſſima mentis aurà effluente, in partes evaneſcens per aerem diſpergitur Animus, ſenſus, ac vitalis calor diſſipantur. Si igitur in pattes ſcinditur Animus, mortem, non minus ac corpus patitur, atque interit.

Quod autem Anima ſectilis ſit, & in partes diviſibilis, apertiſſimè colligitur, ſi ad quædam Animantia animum convertamus. Etenim plura extant Animalia ut ſerpentes, quæ ſi in plura fragmenta dividantur, veluti in plura viventia ſenſu, & motu prædita convertuntur, ut eadem numero Anima diſciſſa, atque diſtributa in illis fragmentis videatur, neque dicendum eſt, lacertorum, exempli gratia, Animam eſſe plurium integrarum Animarum congeriem, ut cum Animal abſcinditur, unaquæque Anima ſuam quodammodò corporis particulam accipiat, cui vitam, & ſenſum elargiatur, cum id citrà ullam rationem aſſereretur. Fatendum igitur eſt, tam in homine quam in cæteris Animantibus ſectiles, atquè adeò mortales eſſe Animas. En quo pacto in-

teritus, ac putredinis fautor, mortem, corporisque passiones in humano Animo sævire, ac delitescere, Lucretius sibi suadet.

CONFUTATIO.

Captiosam ac levè esse Epicuri argumentationem ex nostro apparatu ostendimus.

Hæc nova Epicuri argumentatio ab humani corporis sectione, vitalisque sensus expansione deprompta, merum sophisma est, nulloque negotio refellitur. Et primò ex eo quod ubique in corpore sentiat Animus haud evidenter infertur, Animum per singulos corporis artus exporrectum esse, nam ut in libro de Animæ quantitate ostendit Augustinus, sentit in corporis organis, ubi non est, ubi scilicet tantum agit, haud expanditur, cum insectilis, & inextensa sit illius substantia. Necesse siquidem non est, ut Anima per universum corpus subtilissimi corporis instar explicetur, & extendatur, ut sensus in quavis corporis parte excitetur, cum ad id obtinendum satis fuerit, immortalem Animum ob mutuum unionis commercium posse in quavis corporis parte agere, & ad illius mutationem affici, modo quo supra pluries explicatum est. Cum igitur idem phænomenon ex duplici principio diverso ortum ducere possit, nulla est ratio, cur potiùs oriatur à causa, quam effingit Epicurus, non verò ab eo principio, quod solidissimè firmat Orthodoxa Religio, idcircò sic arguens Epicurus, fallax quidem committit ratiocinium.

Deindè neque manifestè ab Epicuro ostendi potest scisso corpore in plures partes aliquando, & Animum abscindi. Nam si tantùm sensus auctoritatem consulamus, cum ferri violentia in duas partes secatur humanum corpus, tantùm asserere possumus citrà rationis iniuriam cum sanguine tenuissimum, ac æthæreum illius florem pariter effundi, & in auras abire. Quod autem intereat, & effundatur Animus, sensus non edocet, ad rationis tribunal tantùm de hac re judicium ferre spectat, hoc enim est, quod sub quæstionem cadit, an videlicet cum corpus scinditur, & in partes solvitur, scindatur identidem, ac solvatur Animus, quem nullus quidem sensus percipit, sed tantum ratio cernit, & intellectus comprehendit. Consulatur ergò sedulo rationis, & intelligentiæ lumen, cujus oracula quæso expectemus, ut quid de re tam gravi, tam magni ponderis, judicandum sit, intelligamus. Sanè saltem ratio evidenter nos edocet, cum in duas partes humano corpore abscisso, & sanguine effuso emoritur homo, ac vitalis interit calor, id posse æquè commodè ex duplici causa promanare; nam primò abscisso corpore sensus extinctio, atque Animæ operationum defectus possent oriri ex hoc, quod dum sanguis effunditur, ac corpus scinditur, effundatur pariter, & dividatur Animus, cujus natura in ipsa tenuissima sanguinis aura, athomorumque textura sita sit, quæ disrupto vase dissipari, atque per aerem dispertiri necesse sit, modo quo apud Epicurum exponitur.

Præterea fulgidissima ratio dictat, posse hoc idem phænomenon originem trahere ex alio principio, cui omninò adversatur causa ab Epicuro adducta. Etenim haud improbabiliter sustineri potest, corpore abscisso, non abscindi, & solvi Animum, sed incolumem, ac integrum remanere, & tantùm cessare ab agendo in corpore ob congrui

grui instrumenti defectum, & debitæ organorum dispositionis absentiam.

Cum enim scisso corpore effunditur sanguis, media hominis substantia sive pars subtilior, & ætherea sanguinis, quæ est vinculum, cujus ope Animus corporeis adnectitur organis, in auras abiens solvitur, atque per aerem dispergitur, idcircò dum vinculum disrumpitur, Animus à corpore solvitur, illæsa sua manente naturà, ut non ipse, sed illius vinculum, & insignius instrumentum in partes distribuatur, & intereat, quæ quidem hypothesis nil falsi apertè continet, sed potiùs saltem verisimilitudine, & probabilitate Epicuri principiis anteponenda videtur. Fallax igitur est Epicuri ratiocinium, quo ex corporis divisione, sanguinisque effusione Animi interitum colligere tentat.

Solvendum supereſt alterum argumentum, quod adhibet Epicurus, ut animantium Animas scindi, ac dividi in plures partes abscisso, & diviso corpore, ostendat, quia tamen de hac re fusè in prima hujus operis parte diſſervimus, Augustini vigesimum textum illustrantes, ideò hic ab hoc argumento denuò solvendo abstinemus. Concludamus ergo, neque sensu, neque ratione ex corporis divisione Animæ mortalitatem inferri posse.

SOPHISMA DECIMUM.

Prætereà si immortalis natura Animai
Constat, & in corpus nascentibus insinuatur
Cur super ante actam ætatem meminisse nequimus?
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere est animi mutata potestas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum
Non (ut opinor) ea ab leto jam longiter errat.
Quapropter fateare necesse est, quæ fuit ante,
Interiisse, & quæ nunc est, nunc esse creatam
Prætereà si jam perfectò corpore nobis
Inferri solita est animi vivata potestas
Tùm cum gignimur, & vitæ cum limen inimus
Haud ità conveniebat, uti cum corpore & unà
Cum membris videatur in ipso sanguine cresse.
Sed velut in cavea per se sibi vivere solam.
Convenit ut sensu corpus tamen adfluat omne
Quare etiam atque etiam nec originis esse putandum est
Experteis Animus, nec lethi lege solutas.
Nam neque tantopere adnecti potuisse putandum est.
Corporibus nostris extrinsecùs insinuatas
Quod fieri totum contrà manifesta docet res.
Namque ità connexa est per venas, viscera, nervos,
Ossaque, uti dentes quoque sensu participentur,
Morbus ut indicat, & gelidai stringor aquai,
Et lapis oppressus subitis è frugibus asper
Nec tam contextæ cum sint, exire videntur

Incolumes posse, & salvas exolvere sese
Omnibus è nervis, atque ossibus, articulisque

EXPOSITIO.

Duplex Epicuri exponitur argumentatio.

DUm in humanæ Mentis ortum, & originem animadvertit Epicurus, nugantium hominum deliramenta, animorum perpetuitatem esse arbitratur; Idcircò Animæ mortalitatem adstruens, hoc pacto hic primo argumentatur. Si humanus Animus immortalis esset, cum nascentibus corporibus infunditur, præteritarum rerum vestigia, & signa teneret, ac in nullam rerum caderet oblivionem; Quapropter reminisceretur eorum, quæ antequam corporeis insinuaretur organis, præstitit, atque cogitatione revoluit. Si quidem quod immortale & incorporeum est, nulla ratione deturbari, ac vitiari potest, dum mortalibus, extensisque rebus adnectitur: Atqui hoc sanè non contingit, nullius enim rei ante actam ætatem recordatur Animus, qui neque postquam cum corpore adoleverit, memoria complectitur ea, quorum ab ineunte ætate signa quædam tenebat. Undè quæso tam turpis rerum oblivio orta est? Quis tot vires corpori subministravit, ut hoc cunctarum rerum vestigia, ac delineamenta delere potuerit ab Animo, qui simul in corpus infunditur, illicò rerum memoria destituitur, haud vitam, sed mortem reperiet in corpore, in quo non vivere, sed mori diceretur; dicendum igitur est, Animo in corpus immerso, illius priscam ætatem evanuisse, atque novam vitam fuisse in corpore, cujus quod erat antea, interit, quod verò vivit de novo procreatum est.

Deindè arguit Epicurus, si Animus extrinsecus corpori advenit, profecto cum sanguine invenis non cresceret, sed tanquàm res a corporis natura sejuncta extra venas, nervos, & arterias in corpore tanquam in cavea habitaret. Res enim immortalis nullam cum mortali corpore affinitatem, ac proportionem habet, quin etiam Animus non deberet tam tenaciter corporis membris adglutinari, venis, arterijs, sanguini, singulisque partibus tam arcto vinculo adhærescens. Si igitur Animus citrà dolorem, & difficultatem nequit sese a corporis organis expedire, & liberari, luculentissimè sequitur, mortis non minùs, ac corpus participem esse. Interit ergo Animus, si cum corpore nascitur pariter, ac solvitur, si nempè non oritur, nisi corpori insinuetur, ac organis tenacissimè adhæreat, quibus solutis & adglutinatus dissipatur Animus. Ità ex altero in alterum errorem incidens Epicurus, veritatis lumen tenebris offundere nititur.

CONFVTATIO.

Epicuri dubitatio solvitur.

AC primùm celeberrimam in hoc loco quæstionem movet pro Epicuro Lucretius de Animorum ortu, & origine. Vt autem ad planiorem rei intelligentiam, atque ut expeditè adversarij rationes diluamus, rem totam sic enucleare liceat. Humanus Animus aut tenuissimum, & mortale corpus est in crassioribus organis expansum, iuxta Epicuri doctrinam, aut immortalis est a corporis organici genere sejunctus; si primum, inconcussum erit, Animum haud insinuari seù cor-

corpori infundi, ſed in ſemine deliteſcentem cum ipſo corpore naſci, & creſcere; ut dum corporis organa perficiuntur, augentur, & adoleſcunt, augeatur, perficiatur, ac unà adoleſcat Animus, cujus vires, aut imbecillitas exacta quadam proportione corporis tenuitati, ac viribus reſpondeant. Quapropter ſecundum hanc hypotheſim Animus ſit extraduce, nempè cum ipſomet ſemine propagatur. Si autem detur alterum, ſcilicet ut ratio, & fides firmiſſimè docent, animorum firmetur immortalitas, tunc cum Animus ſit a mortalis corporis indole alienus, & ſuaptè natura inſectilis, & inextenſus, oriri, & augeri ſimul cum corpore nequit, aut propagari in ſemine, modo quo materiatis, ſenſibilibuſque ſubſtantijs evenit, idcircò fatendum eſt corporibus extrinſecus inſinuari, quod duplici modo contingere poteſt; Etenim vel ità Animus corpori infunditur organico, ut antequam corpori copularetur, præexiſtebat ac integer perfecta vità gaudebat, aut vivere, & exiſtere incèpit eodem tempore, quo corpori perfectè organico adnexus eſt. Primo modo corporibus Animos inſinuari Plato, & Pythagoras exiſtimarunt, eo tamen diſcrimine, quod Plato putabat humanas Animas fuiſſe à Deo extra corpora procreatas, quarum intelligentia dum tota à mortalibus rebus ſejuncta, in mundum intelligibilem, increatę nimirùm Sapientiæ lumen immergebatur, omnium rerum ſcientiam tenebat, quas deinde Animas ad illarum crimina punienda Deus in humanis corporibus tanquam in carceribus, aut ſepulcro incluſit, in quibus veluti obcæcatus Animus in rerum omnium oblivionem incidens, ſtultus, ac inſcius evaſit, qui tandem externarum rerum, ſenſuum impreſſionibus, & imaginibus excitatus, haud de novo diſcere, ſed eorum, quæ jam ſciebat, incipiat reminiſci. Hinc Plato præxiſtentes animos in alicujus criminis punitionem humanis corporibus tantum inſinuari, & extrinſecus advenire arbitratus eſt. Pitagoras verò cenſebat quidèm Animas ante corpora præextitiſſe, attamen haud humanis corporibur ſolùm, verùm etiam & organicis irrationalium Animantium machinis infundi & perpetua quadam ſucceſſione inſinuari. Ideoque cenſuit, in rerum Univerſitate Animarum revolutionem, & tranſmigrationem quamdam ex uno ad aliud corpus fieri, quam Græci Metempſicoſim appellarunt, iuxta quam opinionem cunctorum Animantium Animæ ejuſdem ſunt rationis, & immortales, quæ ſolum differunt ob varias, & diſcrepantes actiones, quas ob diverſa corporis organa, quibus inſinuantur, exercent, quæ ita naturà comparatæ ſint, ut ex uno corpore ſolutæ, in aliud corpus immigrent.

Nequit immæteriatus Animus in ſemine propagari.

Platonis & Pithagoræ de Animorum præexiſtentia ante corpora expoſitur opinio.

De Pithagorica à Metempſicoſi.

Secundum autem modum infuſionis Animi in corpus Orthodoxa tenet religio docens, humanum Animum haud ante corpus præextitiſſe, ſed tunc a Deo ex nihilo procreari, cum corpori perfectè organico inſinuatur, ità ut Animus non ſit ſui corporis faber, & architectus, ſed dum ſupremi Numinis virtute progignitur, corpus, cui infunditur, ſuis organis perfectè inſtructum inveniat. Iam in hoc Lucretij textu Epicurus Animam ſimul cum organico corpore velut illius ſubtiliorem, ac vitalem halitum oriri, & creſcere opinans, platonicæ ſententiæ apertè adverſatur, atque oſtendere ſtudet, nullo pacto humanos Animos ante corpora prę-extitiſſe, ut deinde in corpora ſeſe inſinuantes, rerum omnium ſcientiam amiſerint, atque in mortiferam quamdam inciderint oblivionem. Quam Platonis doctrinam etiam & nos, ut

De ortu & origine intelligentis Animæ iuxtà Orthodoxam Doctrinam.

ut rationi dissentaneam, ac nullo valido fundamento innixam refellimus, ac improbamus. Nullum enim adest inditium, quo hujusmodi Animorum præexistentia citrà erroris periculum inferri valeat, neque verum est, Animum corpori adnexum nihil de novo discere, sed tantum recordari, si saltem in rerum sensilium cognitionem Animum convertamus, de qua re mentem nostram Augustino duce aperuimus, cum Librum de Animæ quantitate explanavimus. Insinuatur ergò Animus corpori eodem tempore, quo à Deo efformatur, qui dum ex Authoris manibus erumpit, haud omnium rerum scientiam accipit, sed tantum signa, & semina quædam in eum derivantur, in quibus universa sapientia quodammodò delitescens continetur, primæ nempè, ac insigniores veritatis, honestatisque regulæ, & notiones quædam, quas ingenitas, & insitas appellamus. Idcircò sustinemus, humanum Animum, utpotè immortalem, & incorporeum extrinsecus organicis corporibus advenire, quod nullo pacto enervat, aut infirmat Epicurus, dum subdolè, & captiosè arguens ait, non posse immortalem Animum cum sanguine pariter crescere, ac corporeis organis tenaciter adglutinari.

Epicuræ ratiocinationis dolus detegitur.

Firmat enim tanquam certum id, quod sub litem, ac controversiam cadit, an nempè Animus mortalis sit, & extensus, ut cum corpore unà crescat, & oriatur, adhæret quidem Animus corpori non substantiæ effusione, sed tantùm agendi virtute, crassis adglutinatur organis tenuissima, ac media substantia, halitus nempè æthereus præstantissimum Mentis instrumentum, quo auxiliante crassiori corpori agendo copulatur Animus, idcircò dum sic arguit Epicurus in prima, ac vetera sophismata incurrit, quæ jam satis, superque confutavimus, ac detexi-mus. Attamen quia Epicurus Platonem redarguens ex omnimoda rerum oblivione, in quam Animum incurrisse opinatus est Plato, Animæ mortalitatem conatur inferre, nos ex quarumdam immutabilium veritatum scientia, cum qua humanus progignitur Animus, illius incorpoream, atque immortalem indolem hoc pacto demonstrare contendimus. Si Animus nil esset aliud, quàm tenuissima quædam athomorum textura, in crassioribus organis tanquam subtilissimus, ac vitalis halitus expansus, sanè cum cunctarum rerum ignorantia stultus omninò nasceretur, atque adeò nullius rei vestigia, ac signa memoriâ, & intelligentiâ complecteretur, neque in eo immutabilium rerum delineamenta quædam laterent, in quibus immortalis veritas inhabitaret, oppositum tamen contingit; siquidem primò humanam mentem cum quadam Dei anticipata notione nasci, ipsemet docuit Epicurus, ut apud Laertium videre est, deindè in singulis hominum mentibus quædam ingenitæ ideæ effulgent, in quibus firmissima artium, ac disciplinarum rudimenta constantissimè continentur, emicant quidem in illis quædam immutabiles veritates, quas omnes homines æquè vident, & clarissimè in eadem universali ratione intelligunt, quod fusiùs, & fortiùs prosequemur, cum infrà Augustini argumentationes pro Animæ immortalitate, & enucleare, & roborare studebimus. Si igitur valida quædam, ac captiosa aura minutissimis corporibus contexta esset Animus, non video, quo pacto tam firmiter immutabilis veritatis vestigia quædam ei insidere possint, quam quæso, proportionem, & affinitatem

Ex insitis primarum veritatum notionibus adversus Epicurum à corporis natura & interitu ab horrere humanis Animum ostenditur.

cum

cum immortali corruptibilis corporis aura habere poteſt, ut hæc cum mortis, atque extenſarum rerum diſſolutionis ſit particeps, ideas æternarum, & inſectilium rerum in ſe tenaciſſimè amplectatur. Si oritur igitur Animus cum immortalium rerum ſignis, exornatus poteſtate intelligendi ea, quæ ab interitu corporumque putredine ſunt immunia, Animum immortalem, & incorporeum eſſe citrà Animi hæſitationem affirmandum eſt.

SOPHISMA UNDECIMUM.

Quod ſi fortè putas extrinſecus inſinuatam
Permanare Animam nobis per membra ſolere
Tanto quæque magis cum corpore fuſa peribit,
Quod permanat enim diſſolvitur, interit ergò
Diſpertitur enim per caulas corporis omnes
Vt cibus in membra, atque artus cum diditur omnes,
Diſperit, atque aliam naturam ſufficit ex ſe
Sic Anima, atque Animus, quamvis Integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando diſſolvuntur
Dum quaſi per caulas omnes diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc animi natura creatur.
Quæ nunc in noſtro dominatur corpore, natæ
Ex illa, quæ tunc peritat partita per artus.
Quapropter neque natali privata videtur.
Eſſe die natura Animæ, neque funeris expers
Semina præterea linquuntur, nec ne animai
Corpore in exanimo? quod ſi linquuntur, & inſunt,
Haud erit, ut meritò immortalis poſſit haberi
Partibus amiſsis quoniam libata receſsit
Sin ita ſinceris membris ablata profugit,
Vt nullas partes in corpore liquerit ex ſe,
Vnde cadavera rancenti jam viſcere vermes
Exſpirant? Atque unde animantum copia tanta
Exos, & exanguis tumidos perfluctuat artus.

EXPOSITIO.

IPſammet adverſariorum doctrinam adhibens Epicurus, humanum Animum mortalem eſſe, adhuc ſeſe oſtendere poſſe autumat. Concedamus, inquit, Animam haud cum ſemine naſci, ſed extrinſecus organico corpori inſinuari, ut mentis perpetuitatem adſtruentes admonent, jam hoc poſito, Animum corporeum funeriſque participem eſſe, neceſſariò ſequitur. Siquidem ſi Animus corporibus extrinſecus advenit, igitur ut illis inſinuetur, neceſſe eſt, ut in molem corpoream permanet, ut nimirum ſingula corporis organa intus perluſtret ac pervadat. Nequit tamen Animus in corpus permanare niſi diſpertitus, ſi ius, atque corporis meatus ſubingrediatur, membratim in corporea organa ſeſe inſinuans, quod tamen hoc pacto in corporis meatus illabitur, pereunte, ac diſſipato corpore, ſolvetur tandem ac interibit.

Callidior Epicuri argumentatio adverſus Animorũ perpetuitatem.

Dein-

Deindè dum Animus corpus permanat, adeo in plures particulas distrahitur, illiusque primordia ab invicem disiunguntur, ut dum corporis penitioribus accommodatur, ac per singulos effunditur artus, propriam naturam exuat, ac diversa exornetur indole. Quapropter immutata perit, ac novam naturam induit. Haud absimili modo quo cibus, ut corporis partes alat, seu ut in substantiam rei, cui alimentum suppeditat, convertatur, opus est, ut in sanguinem abiens à propria natura recedat, idcircò dum Animus extrinsecùs adveniens corpori infunditur, illicò perit; atque novam nanciscens vitam in ipsomet corpore nascitur, atque adeò dum corpus interit, ac in partes scinditur, & Animum destrui, & solvi necessum est.

Præterea cum solvitur, & corrumpitur corpus, aut non totus recedit Animus, sed quædam illius reliquiæ in soluto, & exanimi corpore manent; Aut totus integer Animus avolat, ut nil illius supersit in corpore. Si primùm detur, perit igitur Animus, dum à corpore dissociatur. Nam dum quædam illius particulæ remanent in cadavere, diminutus, ac extenuatus Animus interiisse, ac in suas partes solutus esse videtur, quòd si totus exciderit Animus, profectò non posset reddi ratio, cur ex tabescente, & putrefacto corpore tot vermiculi, totque Animantia generentur, quæ nisi recedentis Animæ fragmenta, ac reliquiæ quædam remanserint, nullo pacto in lucem prodirent, ob quam rem infert Epicurus cum corpore pariter oriri, & in mortem incurrere humanum Animum.

CONFVTATIO.

Insidiosa ac fallax Epicuri argumentatio detegitur unà ac refellitur.

DUm Epicurus intelligentiæ usum deserens, ad sensuum illusiones, ac phantasiæ spectra sese tantùm convertit, magis, magisque à veritatis luce recedens, densioribus errorum tenebris obcæcatus, atque perpetua quadam à legitimo ratiocinio deflexione, levissimis sophismatibus ludere, ac desipere videtur. Quid enim fallacius, quidvè ineptius argumentatione, quæ in his Lucretii carminibus primo loco in medium affertur? Putat enim Epicurus, non posse Animum extrinsecùs corporibus advenire, nisi hic veluti in partes distributus per corporis meatus penetretur, atque tenuissimi halitus instar in corporis penetralia quaqua versum effundatur; at quid ab immortalis, & incorporei natura alienius? Non enim incorruptibilis, & inextensa Mens membratim organicum corpus pervadit, ac permanando materiatis organis insinuatur, hoc enim pacto tenuissimum, ac mortale corpus esset, de qua re controvertitur. Hinc firmat Epicurus tanquam certum, quod probatum est, rerumque mortalium imaginibus seductus, ac sensuum captus simulacris, immortales, & incorporeas naturas, ut extensas, & morti obnoxias imaginatur, adeò ut nisi sensus, & phantasia mendaces suas imagines ipsi subministrent, veluti emortuo, & extincto rationis exercitio, nihil se percipere, ac intelligere posse putet. Permanat quidem in corpus quidquid extrinsecùs insinuatur, si id corporeæ magnitudinis redolet genium, si nempè extensum est, ac sectile; eo modo quo per corporis meatus ac poros subtilissimus infunditur aer, attamen diverso modo extrinsecùs corporibus advenit res incorporea;

& im-

& immortalis, scilicet Animus qui haud permanando, & membratim sese insinuans, sed tantum agendo, corpus perlustrare, ac in corpore inhabitare dicitur. Cum enim incorporeus Animus partes, ac divisionem à se reiiciat, nequit nisi per operationem corporeis organis accommodari. Nullo si quidem spatio incorporeæ substantiæ comprehenduntur. Cum igitur duplici modo res extrinsecus corporibus infundi possunt, ad instar nempè corporum, & inextensæ, immortalisque substantiæ: in spuriam, & valdè infirmam argumentationem incurrit Epicurus, dum spiritales Animas, ut extensas moles imaginans, Animum secundum partes, ac membratim, puriori spiritalis insinuationis modo contempto, per corporis artus explicari, indubitanter infert. Auocet ergò à rerum sensilium imaginibus intelligentiam carnalis homo, atque elatam phantasiæ arrogantiam sua confinia transgredientem edomet, ut salubriter percipiat, quàm decipiatur, cum quæ ad solum spectant intellectam, & extrà mortalium corporum regnum efflorescunt, oculis cernere, tactu capere, phantasiâ comprehendere studet.

Alterum Epicuri argumentum diluitur.

Attamen quis satis, quàm inane, quàm imbecille sit alterum Epicuri ratiocinium, verbis proferre valebit? Erumpunt quidem ex tabido corpore, recedente Anima, quamplurium sese moventes vermiculorum moles, atque in corporis putredine haud pauca Animantum genera vitam degunt, & enutriuntur, attamen ex humanæ vitæ reliquiis vitam nullo modo capiunt; non enim intelligendi vis in emortuo homine, sed corpus corrumpitur, idcircò ex putrefacto corpore, haud ex illæsa. & immortali Intelligentia originem trahunt vermes, ad quorum structuram, & fabricam ipsæ cadaveris particulæ subtiliori substantiæ admixtæ concurrunt, aut semina quædam à muscis relicta, & in putrescentibus membris latentia, dum caloris putredine foventur, in vermes, & Animalcula erumpunt. Quid enim stultius, magisque fatuum dici poterat, quam ad vermes in cadaveribus progignendas, & alendas præstantissimam rationalis Animæ naturam in plures partes scindendam, ac solvendam esse, quasi vilissimi vermes ratione, & intelligentiâ pascerentur, atque progenitrice hominis mente indigerent. Videat quæso Epicurus, quam insanum, quàm turpe sit velle, infirmissimis sensibus summam Animi dignitatem investigare.

SOPHISMA DECIMUMSECUNDUM.

Quod si fortè animas extrinsecùs insinuari
Vermibus & privas in corpora posse venire
Credis nec reputus, cur millia multa Animarum
Conveniant, unde una receserit: hoc tamen est, ut
Quærendum videatur, & in discrimen agendum:
Vtrum tandem Animæ venentur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur ubi sint,
An jam corporibus perfectis insinuentur.
At neque, cur faciant ipsæ, quarève laborent
Dicere suppeditat, neque enim, sine corpore cum sunt
Sollicitæ volitant morbis, alguque fameque
Corpus enim magis his vitiis adsine laborat,

Et mala multa Animus contagi fungitur ejus
Sed tamen his esto quamvis facere utile corpus,
Cum subeant: at qua possint, via nulla videtur.
Haud igitur faciunt animæ sibi corpora, & artus
Nec tamen est, ut jam perfectis insinuentur
Corporibus, neque enim poterunt subtiliter esse
Connexæ; neque consensu contagia fient.

EXPOSITIO.

Lucretiana explanatur argumentatio.

INfimis, ac temporariis vermibus excellentiorem, ac immortalem Animum comparans Epicurus, jam suprà allatum prosequens argumentum, sequenti modo ratiocinatur. Si non ex Animæ recedentis reliquiis in cadaveribus vermiculorum Animæ proficiscuntur, hæ profectò extrinsecùs illorum corporibus insinuantur, attamen quàm hoc absurdum, & à ratione alienum sit, quis non videt? Etenim primùm stultum est dicere, tot millia Animarum eò convenire, undè unica decessit Anima. Deindè quærendum & in controversiam vocandum est, utrum Animæ venentur, & exquirant primordia vermiculorum, & ex iis ipsæ sibi corpora fabricentur, an in corpora vermiculorum jam perfecta ingrediantur; neutrum tamen dici potest; nam primò nulla suppetit ratio, quare Animæ ipsæ sibi domos fabricentur, nullo enim corpore indigent, ut vivant, imo feliciores, ac liberiores sunt extra corporum carceres, in quibus cum includuntur, & ægrotant, & algent, & esuriunt; quæ profectò incommoda minimè subeunt, cum extrà corporis vagantur organa. Deindè neque verisimile est Animas ingredi corpora jam perfecta, nam si hoc contingeret, Animæ non essent ut oportet, & examussim cum corporibus connexæ, neque fierent contagia ex consensu corporis & Animæ, idest neque cum corporibus afficientur Animi, neq; cum Animis corpora, quod tamen fieri videmus. Dum hoc pacto ratiocinatur Epicurus, potissimùm oppugnare videtur Pythagoræ sectatores, existimantes immortales Animas in cunctorum Animantum corpora indifferenter immigrare; sicuti etiam ostendere contendit, quod si humanus Animus esset immortalis, & à corporis indole abhorrens, nullo pacto corporibus insinuaretur. Nam vel semini infunderetur, ut in illo suum domicilium architectaretur, aut corpori jam perfectè organis instructo extrinsecùs adveniens adnecteretur. Utrumque tamen rationi dissentaneum est; nam dementiam saperet, si Animus à sua nativa libertate, & tranquillitate recedens, nullo cogente, carcerem, atque vincula sibi in humano corpore efformaret. Undequæso in Animo tam stulta & iniqua propensio oriri possit? ut dum corpori insinuatur, & algere, & esurire, & ægrotare & innumeris corporis detrimentis subjaceret velit. Neque dicendum est, Animum corpus jam perfectum ingredi; cum enim immortalis, & alterius sit generis, non potest adamussim corporeis organis congruere, & copulari; quapropter nexus, qui requiritur ut Anima, & corpus in eumdem hominem conveniant, nullus eluceret, quod experientiæ quidèm adversatur. Idcircò colligit Epicurus haud extrinsecùs humanum Animum

mum materiatis organis infundi, ſed cum ſemine naſci atque tandem cum ſoluto corpore interire.

CONFVTATIO.

EAdem argumentatione duo turpiſſima ſophiſmata complectitur Epicurus, & primo caducam, & corruptam vermiculorum naturam cum incorruptibili hominis Intelligentia confundit. Temporaria, ac vilis, vermium Anima cum nihil aliud præter ſubtiliſſimum flatum craſſiori materiæ admixtum ſit, haud extrinſecus advenit, ſed in ipſis vermiculorum ſeminibus vel in tabeſcentis corporis putredine creſcit, & latet, neque tam inſignis, tamque valida vermiculis facultas, aut actio ineſt, ut immortali, & extrinſecus adveniente Animo illi indigeant, quod citrà ullum fundamentum improbabiliter quidèm affirmaretur. Satis namque ipſamet mortalis corporis putredo eſt, ut tam miſerrima, tamque fragilia Animalcula procreentur. Secus verò ratiocinandum eſt de Mentis humanæ ortu, & origine; nam cum incorporea, intelligens, & ab interitu immunis ſit, neutiquàm in ſemine latet, non cũ ſanguine augetur, & in caducis expanditur organis, ſed veluti quid divinum, corporibuſque longè præſtantius a ſupremo Numine ex nihilo condita, extrinſecus corporibus inſinuatur. Non igitur tam contemnenda, & nullo pretio habenda eſt hominis dignitas, ut viliſſimis, ac turpibus vermiculis ſit æqui paranda, qui potiùs inertes, ac emortuæ quædam ſubſtantiæ, quàm res vita præditæ dicendi ſunt. *Duplex Epicuri Sophiſma oppugnatur.*

Inſuper dum ad humanum Animum deſcendit Epicurus, altera fallacià capitur, in qua non ſingulæ partes perfectè enumerantur; ſiquidem poſſibile eſt, Animum poſſe in corpus permanare, non per diffuſionem ſubſtantiæ tanquam in vaſe, ac loco, in quo corporeis dimenſionibus comprehendatur, ſed tantùm operationis virtute. Ex hoc enim, quod inſectilis, & immortalis Animus mutuo quodam ex naturæ legibus commercio firmato, in ſingulis organici corporis partibus, ætherea, ac tenuioris ſubſtantiæ vinculo opitulante, actiones quaſdam exercet, modo ſuprà expoſito; iam cuncta hominis phænomena ad Animi, corporiſque nexum, & reciprocam agendi poteſtatem ſpectantia, ſaltem inſigni quadam veriſimilitudine explanarentur, ac invicem conciliarentur. Quapropter ut Epicuri ratiocinium tanquam captioſum & nihil revera concludens refellatur, ſatis eſt oſtendiſſe, poſſibilem eſſe imperfectum Animum, cujus integra natura ipſa inextenſa, & immortalis intelligendi facultas ſit, adeò tamen ex liberrima Dei voluntate corpori tam perfecto extrinſecùs adveniens, ut eodem tempore procreetur, quo ſingulis organis abſolutè inſtruitur corpus, illique operationis præſentià copuletur, modo quo in homine contingere experimur. Hinc admonemus præcipuum hìc noſtrum ſcopum eſſe oſtendere Epicuri argumenta nullam vim prorſus habere, ſed fallaciæ vitio perpetuo laborare, dum aut tanquam firmum, & inconcuſsum in medium adducit id, quod ſub litem, & quæſtionem cadit, quod ſcilicet probandum, & inveſtigandum eſt; aut ſingulas poſſibiles cauſas minimè enumerans, ex hominis phænomenis & quibuſdam operationibus indubitanter infert unicum tantum & ſuæ doctrinæ accommo- *Perperam ratiocinatur Epicurus.*

datum principium in Universo elucere, à quo expensa phænomena proficiscí valeant; Vt igitur hìc Epicuri errores oppugnasse, ac vicisse dicamur, satis est demonstrasse sola sophismata, & subdolas argumentationes adhibere Epicurum, ut humani Animi mortalitatem adstruat. Dum autem Augustinum pro Animæ perpetuitate pugnantem interpretabimur, positiva quadam demonstrandi methodo, Mentem hominis nulla ratione interire, & cum corpore pariter dissolvi posse ostendemus, quod etiam diversam calcantes viam, aperiemus, cum in sequenti Opere quædam haud contemnendæ nostræ investigationes in medium adducentur.

SOPHISMA UNDECIMUMTERTIUM.

DEnique cur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur? dolu volpibus, & fuga cervis
A patribus datur? & patrius pavor incitat artus?
Et iam cætera de genere hoc, cur omnia membris
Ex ineunte ævo ingenerascunt, inque geuntur
Si non certa suo quia semine, seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore toto?
Quod si immortalis foret, & mutare soleret
Corpora, permistis animantes moribus essent:
Effugeret canis hyrcano de semine sæpè
Cornigeri incursum cervi: tremeretque per auras
Aeris accipiter fugiens, veniente columba:
Desiperent homines, saperent fera sæcla ferarum.
Illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt
Immortalem Animam mutato corpore flecti.
Quod mutatur enim, dissolvitur, interit ergo,
Traijciuntur enim partes, atque ordine migrant.
Quam dissolvi quoque debent posse per artus
Denique ut intereant unà cum corpore cunctæ.
Sin animas hominum dicent in corpora semper
Ire humana, tamen quæram, cur è sapienti
Stulta quæat fieri: nec prudens sit puer ullus:
Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis,
Si non certa suo quia semine, seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore toto
Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem
Non fugient, quod si jam fit: fateare necesse est,
Mortalem esse Animam, quoniam mutata per artus
Tantopere amittit vitam, sensumque priorem.

EXPOSITIO.

Nova Epicuri argumentatio ad Animæ mortalitatem adstruendam.

IN hoc loco Lucretius primo Pithagoreos insequitur, ostendens fictitiam, atque vanam esse Animorum transmigrationem ex uno corpore in aliud, quæ & transanimatio, & metempsicosis dici solet, quam Pithagoræ sectatores amplectuntur, arbitrantes Animos immortales esse

esse, & promiscuè, & confusè singulis Animantum corporibus extrinsecus insinuari. Deindè absolutè ostendit, Animum cum corpore solvi, & interire. Quamobrem hoc pacto primò arguit; si Animæ immortales essent, atque ex uno corpore in aliud immigrarent, singulorum Animantum mores, ingenia, & indoles invicem confunderentur, & eum lem constantissimum ordinem minimè servarent; idcircò dum exempligratia, Leonis Anima in cervi corpus permanaret, expulsa timiditate ferox, & imperterritus, haud fugax, & pavidus cervus in lucem prodiret, & vicissim dum cervi, aut leporis Anima Leonis subingrederetur organa, neutiquam horribilis, & immanis, sed metu, & pavore obsessus Leo sese in conspectum daret, idcircò perpetua Animarum revolutione & transmigratione bruta Animantia intelligere, stultiores feras sapere, homines desipere aliquando videremus. Neque dicas, rationales Animas tantùm in humana corpora immigrare, nam saltem promiscui, & confusi erunt singulorum hominum mores, ut sapiens Animus stultus, fatua mens sapiens evaderet. Occurrat enim ad pueri corpus occupandum sapientis Animus, jam hic in tenera, atque immatura pueritia imbecillis, ac stultus fieret. Talis enim indolis est humanus Animus, & ita corporeis organis adhæresens, ut cum corpore identidem extenuetur, aut augeatur, major fiat, aut imminutus obstupescat, atque adeò utqua ratione tam tenax Animi, corporisque nexus naturæ legibus absolvatur, explicemus, Animum mortalem, & corporeum esse fatendum est, ut unaquæque Anima juxta suam speciem ac peculiarem naturam in suo quodam determinato semine simul cum crassioribus organis nascatur, & augescat; quo posito, & serarum, & hominum mores, atque ingenia optimè secernimus, atque singula viventium phænomena citrà vim & illusionem explanamus. Hùc accedit, quod si Animus humanus immortalis, & in corporeus esset, sanè organorum ruinam neutiquam extimesceret; quidquid enim immortale est, & à corporis natura alienum, nullam sanè mutationem, aut sollicitudinem pati potest, ex eo quod extranea corpora destruantur, aut quovis alio modo deturbentur. Quod fusiùs acerrimus Epicuri assecla Lucretius in subsequentibus carminibus prosequitur, quæ nos ne semper eadem repetamus, libenter omittimus.

CONFVTATIO.

Epicureæ vaticinationis vitia detegitur.

ET si veritati favet Epicurus, dùm acriter Pitagoræ Metempsycosim refellit, attamen falsis principiis ad illam reiiciendam utitur; Etenim si singulæ Animantum Animæ essent immortales, & corporum dimensionibus destitutæ, dum ex uno in aliud corpus immigrarent nullo pacto mores, & ingenia confunderentur. Dici enim posset, quamlibet Animam induere illas inclinationes, illasque actiones extrinsecùs exercere, quibus seminis, aut corporis, potissimum subtilioris, temperies & structura congrueret, ut juxtà instrumentorum corporis diversitatem, & mores, & Animantum ingenia discreparent, atque singulæ Animæ agere tenerentur modo corporeis organis congruo, & proportionato.

Nos autem hìc haud Pythagoricam transanimationem approbamus sed

Pythagoricam metempſicoſim ut fidei ac rationi diſſentaneam improbamus.

ſed potiùs, ut fidei, & rationi diſſentaneam reiicimus, ac deteſtamur. De qua re, Auſpicante Deo, integrum opus abſolvemus, in quo, & Platonicis, & Pythagoreis rejectis, de Animæ noſtræ origine in Orthodoxæ doctrinæ gratiam agemus. Hic igitur ſcopus noſter eſt, ut oſtendamus, humanum Animum à corporis natura abhorrere, & immortalem eſſe, ut nullo pacto cum corpore pariter per ſubſtantiæ expanſionem naſcatur, & in majorem molem aſſurgat. Atque ſufficit nobis demonſtrare ex Lucretii argumentis, non poſſe evidenter inferri, Animum corpus caducum eſſe, etenim ut mores, & hominum ingenia diſcernamus, ac exponamus, qua ratione mens corpori adnectatur, organorum ruinam expaveſcat, ad corpus tuendum ſit ordinata, corpore mutato deturbetur, & id genus alia, non eſt neceſſe, ut ad Epicuri theoriam recurramus, cum hæc omnia profluere æquè poſſint à diverſo principio, ut noſtra edocet hypotheſis, quæ quidem, & evidenter poſſibilis & tutior, & rationi congruentior eſt; atque adeò concludimus, nullum in medium adduci poſſe Epicuri argumentum pro Animæ humanæ mortalitate firmanda, quod ex noſtro apparatu fallaciæ, & deceptionis non convincatur. Idcircò nemo ex Epicuri ſectatoribus noſtras ſedulò expendet confutationes, quin illicò teneatur ſaltem ſuam lethalem doctrinam in dubiũ vertere, niſi rationem, & apertiſſimũ verũ abnuere velit. Suſpendat ergo ſuum aſſenſum, ac anceps judicium cohibeat Epicureæ doctrinæ propugnator, ſaltem uſquè dum formidabilem Auguſtini vocem exaudiet, qui validiſſimis rationis armis, non tantùm dubiam, & incertam, verùm etiam & apertè falſam Epicuri doctrinam eſſe demonſtrabit. Nullo enim pacto judicandum eſt, & quieſcendum, niſi donec effulſerit evidentia, quæ certè Epicuri ſectatoribus minimè favet, qui haud firmam, & inconcuſſam, ſed obſcuram, & pluribus difficultatibus involutam, ac nutantem ſententiam ſuſtineat.

SOPHISMA ULTIMUM.

PRæterea quæcunque manent æterna, neceſſe eſt
Aut quia ſunt ſolido cum corpore, reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat artas
Diſſociare intus partes, ut materiai
Corpora ſunt: quorum naturam oſtendimus ante
Aut ideò durare ætatem poſſe per omnem
Plagarum quia ſunt expertia, ſicut inane eſt,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum
Aut ideò, quia nulla loci ſit copia circum,
Quo quaſi res poſſint diſcedere, diſſolvique
Sicut ſummarum ſumma eſt æterna, neque extrà
Quis locus eſt, quò diffugiat, neque corporà ſunt, quæ
Poſſint incidere, & validæ diſſolvere plaga.
At neque (uti docui) ſolido cum corpore mentis
Natura eſt, quoniam admiſtum eſt in rebus inane.
(Nec tamen eſt, ut inane), neque autem corpora deſunt
Ex infinito quæ poſſint fortè coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem

Aut

Aut aliam quamvis cladem importare pericli.
Nec porrò natura loci, ſpatiumque profundi
Deficit, expergi quo poſsit vis Animai,
Aut alia quavis poſsit vi pulſa perire.
Haud igitur lethi præcluſa eſt janua menti.

EXPOSITIO.

VT tandem ab inſigniſſimo immortalitatis attributo humanos Animos ſejungeret Epicurus, à partium enumeratione arguens, primò, quot ſint æternarum rerum genera juxta ſuam hypotheſim expendit; quorum nullum deindè humanæ Animæ congruere oſtendit, idcircò ſic ratiocinatur. Quidquid æternum eſt, aut corpus perfectè ſolidum eſt, quævis inania interſtitia à ſe reiiciens, inſectilis nimirùm athomus, quæ ab iniuria externa frangi, ac diſſolvi nequit, ut ictus omnes contendat, ac repellat; aut ſpatium inane eſt, quod corporum dimenſionibus deſtitutum, cum à nullo corpore tangi valeat, nullos in ſe ictus excipit, nullarumque plagarum particeps eſt; aut ſumma rerum, ſeu Vniverſitas eſt, circà quam nullus regnat locus, quo diſpergi, ac in partes diſſolvi queat; quapropter quidquid perpetuum, & ab interitus iniuriis immune eſt, vel indiviſibilis athomus, vel intactum inane, vel ipſamet rerum Vniverſitas eſt, ut nihil aliud humanus intellectus excogitare poſſit, cui immortalitatis privilegium competat; nihil tamen horum humanus Animus eſt; ſiquidem non eſt corpus perfectè ſolidum, cum ſingulis rebus genitis admixtum ſit inane; tenuiſſimus enim, ac valdè rarus halitus eſt per corporis artus expanſus, innumeris poris, ac interſtitiis ſcatens, ut fluidiſſimæ ſubſtantiæ natura expoſcit. Deindè neque ſpatium inane Animus dici poteſt; nam minutiſsimis corporibus conſtat, extenſarumque rerum magnitudine tumet; quapropter, & tangi, & tangere valet; à quibus omnibus penitùs abhorret Inane. Tandem neque Animus caret loco, in quo dum ſolvitur, diſiunctæ ſuæ partes excurrant, quaqua verſum enim externarum rerum ictibus exponitur, lociſque circumdatur, ubi cum à corpore diſſociatur, in auras abiens diſpergitur; quapropter fatendum eſt mortalem, atque temporarium humanum Animum eſſe.

Poſtremæ Epicuri argumentatio adverſus Animorũ æternitatem.

CONFUTATIO.

HÆc Epicuri argumentatio penè quot voces, tot monſtra, totque mendacia complectitur. Dum enim Epicurus fallaciſsimæ ſenſuum, & imaginationis auctoritati tantùm fidem præſtat, haud veras ſolidaſque naturas, ſed larvas, umbras, ac ſpectra cogitatione revolvit; & quod inſanius, ac ſtultius eſt, fictitiis, aut incertis rebus concedens æternitatem, Mentem, quæ inter creatas res ſola verè incorruptibilis eſt, acerbæ mortis ſupplicio damnat, hinc dum, aut ſua deliramenta, aut caducas ſubſtantias ab interitu vindicat, immortales naturas funeris vitio deturbare non erubeſcit. Quid enim primò hoc corpus perfectè ſolidum eſt, in quod mors ſævire nequit? ſanè non ſenſibus illud percipit, quidquid enim ſenſibus, aut phantaſia agitamus, ſectile, ac

Quam imperfecta ſit ac mẽdax Epicuri ratiocinatio aperitur.

in

in partes dissolubile est. Hinc non tantùm à sensibus verùm, & ab intelligentia insectilis abhorret athomus, quæ si mole, & extensione pollet, partes sanè amplectitur, in quas dispesci valeat; Ut ergò suprà innuimus, hujusmodi corpora perfectè solida, quæ nulla externa iniuriâ frangi possunt, aut delirantis imaginationis commenta, aut obscuræ, & incertæ quædam naturæ sunt, quæ fortasse in sola depravata Epicuri phantasia & vigent, & imaginaria immortalitate perfruuntur. Eodem pacto nil absurdius dici poterat, quam æternum esse Inane, quod juxtà saniorem, magisque oculatam philosophiam, aut merum somnium est, pugnantes invicem affectiones in se involuens, aut quid tantum privativum, seù simplex quidam corporum defectus est, cui nulla perfectio, ac nulla actio congruit: nihili autem nulla est proprietas. Hinc idem est, æternitatem Inani concedere, ac aut nihilo, aut impossibilibus rebus maximè præstantem immortalitatis dotem tribuere.

Epicuri athomos & inane tanquam delirantis imaginationis cõmenta rejicimus.

Præterea, dum Lucretius fatetur rerum Universitatem carere loco, quo dispergatur, infinitum Universum esse, docet, qui omne spatium, omnemque locum absorbeat; sed undè, quęso, hujuscemodi infinitatem infert, quę profectò ex suis principiis minimè colligitur. Ut videsigitur, commentitiis, larvatisque rebus aut dubiis, & incertis substantiis, immortalitatem ille tantum elargitur. Utinam Epicurus haud carnis oculis, sed purissima intelligentiæ lumina adhibuisset, ut immortales, æternasque naturas inspiceret; profectò corporeis rebus posthabitis, solos Animos immortalitate exornatos vidisset. Animus namquè quamvis neque athomus, neque inane, neque rerum sit universitas, nihilominus res tota intelligens est, nullis partibus, & extensione implicata, atque adeò prorsùs insectilis, & immortalis.

Fingamus autem, & athomos, & inane, & rerum universitatem æternitatis dotem redolere, ut edocet Epicurus, attamen non ideò citrà sophismatis labem, evidenter potest inferri, Animum non esse immortalem. Etenim in hac Epicuri ratiocinatione committitur fallacia, quæ à deficiente partium enumeratione proficiscitur, in qua nimirum ut in casu nostro non enumerantur singula genera rerum, quibus æternitas aptari potest; nam præter tres species rerum æternarum adductas ab Epicuro, potest in medium afferri quartum genus, quod amplectatur substantias, quæ nihil aliud sint præter Animum, in sola scilicet intelligendi virtute positas, quas evidenter possibiles esse in nostro apparatu demonstravimus; quibus humanum Animum adnumerandum esse insignitet probabile, aut saltem non apertè falsum est, imo magis videtur rationi consentaneum in humanæ Mentis substantia, quàm in umbraticis, & fictitiis athomis insigne donum immortalitatis efflorescere. Hinc cum non singulas partes, ut sapientem addecet, enumeret Epicurus, in captiosam quidem argumentationem incurrit, atque adeò Animum mortalem esse minimè evincit.

Epicuri fallacia detegitur.

Tandem Epicurus in aliam hìc fallaciam illabitur. Nam cum æternas res enumerans, humanum Animum ab athomis, seu corpore perfectè solidò secernit, ponit tanquam certum id, quod est in quæstione, ac in contentionem cadit. Ait namque, Animum distingui ab athomis, quia partibus contexitur, quibus admiscetur inane, quia nimirum fluidum, ac tenuissimum quoddam corpas est, haud continuum, & solidum,

In novum sophisma incurrit Epicurus.

dum, sed ut ità dicam, interruptum, ac discretum, interstitiis, ac meatibus instructum. En quo pacto pro ratione adducit id, de quo à nobis controvertitur; Quærimus enim, an Anima sit subtilissimum, & in partes solubile corpus, an verò potius res incorporea mortalitatis expers.

MENS
SIVE
AVGVSTINVS
Pro sempiterna Mentis humanæ natura pugnans.

In Libro de Animæ Immortalitate.

Prima Augustini argumentatio deprompta ex Artium ac Disciplinarum immutabilitate.

TEXTUS.

SI alicubi est disciplina, nec esse nisi in eo, quod vivit, potest, & semper est, neque quidquam in quo quid semper est, potest esse non semper, semper vivit, in quo est disciplina. Si nos sumus qui ratiocinamur, idest, Animus noster, nec rectè ratiocinari sine disciplina potest, nec sine disciplina esse Animus, nisi in quo disciplina non est, potest, est in hominis animo disciplina. Est autem alicubi disciplina, nam est, & quidquid est, nusquam esse non potest. Item disciplina non potest esse, nisi in eo quod vivit. Nihil enim quod non vivit, aliquid discit. Nec esse in eo, quod nihil discit, disciplina potest. Item semper est disciplina. Nam quod est, atque immutabile est, semper sit necesse est. Esse autem disciplinam, nemo negat: Et quisquis fatetur fieri non posse, ut ducta per medium circulum linea non sit omnium, quæ non per medium ducuntur maxima, idque esse alicutus disciplinæ, immutabilem disciplinam esse, non negat. Item nihil in quo quid semper est, potest esse non semper. Nihil enim quod semper est, patitur sibi subtrahi aliquando id, in quo semper est. Iam verò cum ratiocinamur, animus id agit. Non enim id agit, nisi qui intelligit, nec corpus intelligit, nec animus auxiliante corpore intelligit, quia cum intelligere vult, a corpore avertitur. Quod enim intelligit, ejusmodi est semper, nihilque corporis ejusmodi est semper: Non igitur potest adjuvare animum ad intellectum nitentem, cui non impedire satis est. Item nemo sine disciplina rectè ratiocinatur. Est enim recta ratiocinatio à certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio. Nihilque certum est in animo, quod ignorat. Omne autem quod scit animus in sese habet, nec ullam rem scientia complectitur, nisi quæ ad aliquam pertineat disciplinam. Est enim disciplina quarumque rerum scientia. Semper igitur humanus Animus vivit.

Exponitur, & Roboratur Auguſtini Argumentatio.

MEritò carnem Epicurum, Mentem Auguſtinum appellavimus; Etenim dum utriuſque Philoſophi genium & peculiarem ratiocinandi methodum, acerrima, & attentiſſima quadam perceptione expendimus, totus carneus, totuſque ſenſus, ut ita dicam, Graius homo, ex omni verò parte ſpiritalis, ac intellectivus Sanctiſſimus Africæ Antiſtes nobis ſeſe offerunt. Epicurus ſolis ſenſibus addictus, corruptaque imaginandi conſuetudine captus, dum & ipſamet inviſibilia cernere, & quæ ad nudam intelligentiam pertinent, phantaſiâ capere, criminoſa quadam temeritate ſtudet, Animum haud in ſeipſo, ſed extra ſemetipſum inter caducas, corporeaſque naturas inquirit, ac turpiter inveſtigat; nimirùm Animum ut corpori comparatum, & ſenſibus tantùm conjunctum contemplari gaudet. Porrò cum reverà non Animum, ſed corpus inſpiciat, ideò ſingulas corporis perturbationes Animum ſubire putat, quem & augeri, & minui, adultiorem fieri, & ſeneſcere, mole creſcere, in partes ſcindi, in auras abire, multifariam immutari, ac tandem interire pariter cum corpore, toto cœlo aberrans, imaginatur: atque adeò dum nihil aliud prêter corpora videat, undecunque mortem, putredinem, mutationem, rerumque diſſolutionem regnare, hominumque figmenta ſpiritales, inextenſas, ac ſempiternas res eſſe arbitratur.

Huic cogitandi, ac philoſophandi modo ex diametrò Auguſtinenſis adverſatur doctrina. Auguſtinus enim fallaciſſimum ſenſuum teſtimonium contemnens, imaginationis edomita arrogantia, ut rerum cauſas & affectiones rimetur, puriſſima tantùm intelligentiæ lumina adhibet; hinc carne, ſenſibilibuſque rebus rejectis, ſuper corporea, & viſibilia aſcendens, intimiores animi receſſus cogitatione ſubingreditur, ac ipſiuſmet Animæ fundum, ſi fas eſt dicere, pervadit, & perluſtrat, ut Animum haud extrorſum in corpore, ſed intùs in ſemetipſo cernat, ac ſpeculetur. Dum autem Animi penetralia, ac viſcera intelligit, haud mortem, ſed vitam, non tempus, ſed æternitatem inſpicit, cum quidquid in Animi penitioribus floret, ac deliteſcit, ab interitu, & tempore immune, ſummo immortalitatis dono perfruatur. Quapropter ſicuti Epicurus carneis, caduciſque ſenſibus Animi naturam inquirens, in mortem, ac putredinem incidit, Auguſtinus è contra dum ipſomet immortali, & incorrupto Animo ad Animum inveſtigandum utitur, vitam, ac æternitatem in Animo detegit, atq; in Orthodoxæ Religionis triumphum; quàm infeliciter Epicurus decipiatur, ſolidiſſimis rationibus demonſtrat. Hinc primò ad diſciplinarum artiumque immutabilitatem confugiens, Animum immortalem eſſe, totis nervis oſtendere nititur. Vt autem jam adductæ Auguſtinenſis argumentationis vis & ſoliditas planiùs percipiantur, liceat Analyticam adhibere methodum, ſcilicet ita ad examinis trutinam Auguſtini ratiocinium avocare, ut illud in ſuas partes, ac membra reſolvamus, ac ſcindamus, quæ ſigillatim deinde trutinentur, ac evo-

evoluantur; cujus Analyſis, ac reſolutionis ope ad ſyntheſim, ſeù compoſitivam methodum poſteà deſcendentes, quot viribus, ac quanta evidentià Auguſtinenſe argumentum polleat, facili negotio demonſtrare poſſe ſperamus.

Auguſtinenſis Argumentationis Analyſis.

PROPOSITIO PRIMA

Quid ſit diſciplina, diligenter expenditur.

DIſciplina, Ars, & Doctrina idem prorſùs ſonant. Nomine autem diſciplinæ nihil aliud venit, niſi plurium rationum, ſeu veritatum ad aliquam peculiarem rem ſpectantium cætus, atque congeries, ut e.g. Diſciplina, quæ Arithmetica nuncupatur, aut Geometrica, nihil eſt aliud, quam congeries ex pluribus veritatibus, quæ ad numerorum, aut figurarum naturam, & affectiones ſpectant, ſi Arithmeticam conſideremus, hujuſmodi veritates ſunt, Vnitas eſt omnium numerorum fons, & menſura; Vnitas in ſeipſam ducta, & multiplicata ſeipſam tantùm progignit; duo, & duo quaternarum numerum efformant; numerus ſenarius ternarium numerum bis continet; & id genus alia; quod ſi geometrica doctrina expendatur, veritates, & rationes illam efformantes ſunt exempli cauſa, circularis figuræ radij invicem æquantur; duo quævis trianguli latera ſimul accepta, reliquo ſunt maiora; totum ſuam partem excedit; duæ lineę rectæ non habent commune ſegmentum; inter duo puncta una recta linea tantum duci poteſt, & ſimilia. Idcirco plurium veritatum aggregatum, vel ad numeros, vel ad figuras, vel ad aliquam aliam rem pertinens, diſciplina, ſive ars, ſive doctrina appelletur, cujus ope humanus Animus diſcit, ſeù latentes rerum cauſas, obſcurioreſque veritates perveſtigat. Quamobrem ſingulas diſciplinas, & artes ſua rudimenta, ac prima elementa continere dicimus, quia veritates quaſdam, tanquam primas regulas, & conſtantiſſima præcepta ampleƈtuntur, quorum auxilio citrà erroris periculum, aut ad verum inſpiciendum, ac detegendum, aut ad rectè agendum ducitur Animus; quævis enim diſciplina, vel ad veri contemplationem, vel ad vitæ uſum ſpectat, ut vel qua ratione obſcurum verum ſit evelandum, ac vitandus error, aut quo pacto citrà turpitudinem, & incongruentiam ad praxim revocandum ſit, quod agendum eſt, doceat. Quod profecto cunctis diſciplinarum ſpeciebus perfectiſſimè congruit: quippè aut Grammaticam, aut Rethoricam, aut Muſicam, aut Matheſim, aut Ethicam, aut Philoſophiam, alias que artes conſideres, ſemper intelliges, in hujuſmodi diſciplinis quamplures veritates elucere, quarum beneficio, aut ad rectè agendum, aut ad verum ritè contemplandum ducimur, ac præparamur. Neque ob aliam rationem exercentur diſciplinæ, niſi ut in aliquas primas, & firmiſſimas veritates animadvertamus, quæ aut ad rectam rationem, aut ad ſolidam ſpeculationem Animum manuducere valeant. Hinc excellentiores diſciplinæ, quibus veluti firmiſſimis cardinibus univerſa ſa-

Plurium rationum cætus eſt diſciplina.

Exemplum ex Arithmetica, & Geometria.

pientia innititur, Naturalis ſcientia, & Aethica ſunt, quarum prima ad verum noſtro captui accommodatum detegendum, altera verò ad legitimum bonum aſſequendum, nitidiſſimo quarumdam ingenitarum veritatum lumine, Mentem ſummoperè diſponit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Immutabiles, & à corruptione immunes ſunt Diſciplinæ.

Hæc Propoſitio confeſtim innoteſcet, ſi quid ſit ars, ac diſciplina intelligamus; Cum enim, ut diximus, nihil aliud ſit diſciplina, niſi quamplurium veritatum congeries, & nulla veritas efflореſcat, quæ immortalis non ſit, & immutabilis, neceſſariò ſequitur, immortales, & immutabiles diſciplinas eſſe; ut autem hoc expeditius nobis pateat, accedant Geometria & Arithmetica, quæ puriſſimam Univerſæ Matheſeos Diſciplinam efformant, jam quidquid in illis effulget, nulli mutationi ſubjacet, interitum neutiquam expaveſcunt, immarceſcibili æternitatis diademate coronantur. Quid enim magis à mutatione, & corruptione immune, quàm primæ, & manifeſtiſſimæ proprietates, quæ aut in numetis, aut in figuris emicant? Quis enim non videt nunquam mutari poſſe, ſed conſtantiſſimè eodem pacto ſemper manere, numerum ſenarium bis ternarium continere, duo, & duo quatuor æquare, totum ſuam partem excedere, radios ejuſdem circuli eſſe invicem æquales, circulorum diametros excedere ſingulas rectas lineas, quæ intrà circulum ex uno ad aliud circumferentiæ punctum protrahuntur, æquales remanere quantitates, à quibus æquales partes abſcindũtur, eamdem æqualitatem incolumem manere, ſi æqualibus æqualia addantur & ſimilia; adeò enim inconcuſſa, & firma ſunt ſingula Matheſeos axiomata, ut à ſingulis hominibus, & quovis tempore eodem pacto citrà mutationem ullam intelligantur. Si quidem ſivè diſciplinarum principia, ac rudimenta ſint liberrimè à divina voluntate conſtituta, ſivè neceſſariò in ipſamet Dei ſapientia contineantur, attamen poſtquam illa, vel procreavit, vel intellexit ſapientiſſimus rerum Arbiter, tot vires, tantumque robur acceperunt, ut nunquam interire valeant, æterna, ac immutabili vita prædita. Idcircò ſive Mundus corporeus maneat, ſivè pereat, incolumes ſemper ſubſiſtent diſciplinæ, cum nunquam veritas intereat. Occidat namquè, ſi fieri poteſt, Veritas, tunc verum eſſet, Veritatem interiiſſe, at qua ratione hoc enunciari poſſet, niſi viveret Veritas, quæ ſimul, & mortua, & vivens diceretur, neque interire poteſt id, quo cætera vivunt. Quidquid autem vivit, auxiliante Veritate vivit, nam niſi verum eſſet ipſum vivere, nullo modo viveret; idcircò recedente, aut emortua Veritate, nulla res viveret, ſingulæ interirent naturæ. Si igitur talis roboris eſt Veritas, ut illius ope exiſtentes res vita perfruantur, affirmandum eſt, nullo pacto illam interire poſſe.

Quidquid matheſis edocet immutabile quidem eſt, ac ſempiternum.

Interire nequit Veritas.

Neque dicas, rudimenta, ſeu veritates Diſciplinarum, & artium eſſe hominum figmenta, fictas nimirùm ac larvatas naturasab humano ingenio pro ſuo arbitratu excogitatas; etenim quidquid falſum, & fictum eſt, talis eſt indolis, ut facili negotio pereat, mutetur, & diverſas facies induat, neque conſtantem, ac firmam aliquam perfectionem redoleat,

Veras & citrà fictionẽ artes ac diſciplinas eſſe oſtenditur.

doleat, ſed veluti in perpetuo fluxu continenter deficere, & multifariam alterari videatur. Non hujuſmodi quidèm ſe habent diſciplinæ, quorum principia conſtanter omni tempore eodem modo intelliguntur, adeò ſimpliciſſima, & immutabilia, ut citrà interitum nihil illis addi, aut ab illis ſubtrahi valeat: ut exempli gratia, natura, ratio, & affectiones circuli, tantùm à mutatione abhorrent, tamque firmiter eædem ſemper manent, & à quavis humana mente eodem modo percipiuntur, ut omni fictione poſthabita, immutabilis, immortalis, ac ſemper conſtantiſſimè eadem circuli natura dicenda ſit. Non enim fingimus, aut ſomniamur, aut larvas animo agitamus, cum ejuſdem circuli radios invicem æquari, aut duo, & duo quatuor efficere percipimus, ſed immutabile aliquod Verum intelligimus, quod eadem claritate in ſingulorum hominum intelligentia ſplendet, tanta firmitate exornatum, ut nullus ſit intellectus adeò potens, qui has veritates immutare, ac diverſo modo intelligere poſſit. Cum igitur Diſciplinarum rudimenta aſſenſum cogant, intelligentiæ humanæ neceſſariò repreſententur, ac eædem abſque ulla mutatione ſemper maneant, dicendum eſt, haud fictas, & commentitias, ſed veras, & ſolidiſſimas naturas eſſe, à quavis mutatione prorsùs immunes.

PROPOSITIO TERTIA.

Semper eſſe, & exiſtere Diſciplinas neceſſum eſt.

Hæc aſſertio ex rebus jam demonſtratis apertiſſimè colligitur. Diſciplinæ, ut probavimus, immutabiles ſunt; quidquid autem immutabile eſt, ſemper eſt, conſtantiſſimè vivit, atque exiſtit. Sunt igitur, & exiſtunt neceſſariò Diſciplinæ. Si quidem ſi aliquando non exiſterent, jam deficerent, & interirent, quæ autem intereunt, ac deficiunt, mutationi quidem ſubjacent, nihil enim inſigniùs mutatur, niſi id quod interit. Quapropter ſi prorsùs à mutatione diſciplinæ abhorrent, ſemper eſſe, ſemperque vivere diſciplinas opus eſt. Hinc exempli gratia Geometria, & Arithmetica, quæ inter humanas artes ſummoperè præclaræ ſunt, & eximiæ, cum ex immutabilibus quibuſdam veritatibus compingantur, adeò neceſſariò exiſtunt, ut nunquam interiiſſe, aut ab exiſtentia recedere poſſe, humanus intellectus percipere valeat. Intereant quidem, ſi fieri poteſt, hujuſmodi diſciplinæ, jam ſingula illarum axiomata caderent, ac ſingulæ veritates, quibus illæ continentur, in nihilum abirent, quapropter nullo pacto verum eſſet, totum partem excedere, bis duo eſſe quatuor, circulorum radios invicem æquari. Porrò quis hoc contingere poſſe aliquando intelliget, ut veluti emortuas, & evaneſcentes Arithmeticam, ac Geometriam animo cernat? Non enim interire, aut in falſum mutari poteſt, quod immutabiliter verum eſt. Neque majori probatione expoſita propoſitio indigere videtur, cum ad firmiter illam demonſtrandam ſatis ſit, attentè diſciplinarum indolem, ac naturam Animo revolvere. Quamobrem concludamus ſemper eſſe, & neceſſariò exiſtere Diſciplinas, quarum immutabilitas cum defectu, & interitu nulla ratione conjungi poteſt.

Immutabiles naturæ perpetuo vivunt, ac exiſtunt.

PRO-

PROPOSITIO QUARTA.

Haud nusquam, sed alicubi vivere, & regnare Disciplinas oportet.

VT hæc propositio citrà amphibologiam, & erroris periculum aperiatur, primùm opus est expendere universale principium ab Augustino firmatum nempè: *Quidquid est, haud nusquam, sed alicubi necessariò est.* Omne quod est, aut res, aut rei modus & attributum est. Res autem aut inextensa, & insectilis est, quæ spiritalis appellatur natura; aut extensa, partibus, & mole constans, quæ propriè corpus nuncupatur: juxta quam rerum divisionem duplex illicò modorum, & attributorum genus innascitur; quidquid enim tanquam illius proprietas spiritali naturæ adhæret, spiritalis, & incorporeus modus dicitur. Si verò extensam naturam afficit, corporeus modus nominatur.

Omne quod est, aut res, aut rei modus est.

Deindè alicubi esse, duplici modo intelligi potest, primo per diffusionem, & expansionem in spatiorum mensuris, ac dimensionibus, quo sensu idem sonat alicubi esse, ac spatio quodam determinato circumscribi, ut sydera in cælo, plantæ, aut Animantia in telluris globo esse dicuntur; secundo modo res dicuntur esse alicubi, haud per substantiæ expansionem, sed tantùm per operationem, quia nimirum in aliquo peculiari spatio, & loco operationem quamdam exercent, quo pacto dicitur esse in corpore Animus, non quia corporis spatio comprehendatur, sed quia in corpore totus & indivisibiliter operatur, ex quo patet, quod si alicubi esse, idem fit, ac in spatiis diffundi, & explicari, sequitur falsum esse, si generatim accipiatur, principium, quod suprà attulimus, Omne scilicet quod est, alicubi esse; nam res inextensæ, & spiritales hoc pacto nullibi sunt, in nullo enim spatio exporriguntur; quod si intelligatur secundum, tunc spiritales, & incorporeæ substantiæ alicubi esse dicuntur, ibi nimirùm ubi agunt, & operantur; quod si ab operando in spatiis, & corporeis rebus cessarent, nusquam esse dicerentur; nullum enim spatium respicerent, ac ad nullum corporeum locum tenderent. Modi autem, & proprietates si ad corporeas substantias spectant, dicuntur etiam in spatiis locari, & diffundi, inhærere scilicet rebus, quæ aut ipsum spatium sunt, aut spatiis necessariò continentur. Modi verò, & attributa spiritalia in nullo spatio sunt, adhæresunt namque naturis insectilibus, quæ nullo spatio capi possunt, sed tantùm dicuntur esse alicubi, quia sunt, & existunt in substantiis incorporeis, quæ se habent veluti fundamentum, & subjectum, cui illa inhærent. Hinc propriè haud in loco, sed in subjecto vivere, & esse dicuntur. Hoc modo exempli gratia, amor, aut ratiocinatio non dicuntur esse alicubi, quia in spatiis extenduntur, aut insunt rei, quæ spatio comprehenditur; sed quia spiritali, & inextenso Animo inhærent, cujus attributa sunt, & proprietates. His explanatis.

Dupliciter res alicub esse dici potest.

Quæ ratione spiritales & incorporeæ naturæ in spatiis esse dicantur, explanatur.

Ad nostræ Propositionis explicationem accedamus. Si alicubi esse idem significat, ac in aliquo determinato spatio, more corporum, exporrigi, & explicari, neutiquam alicubi, sed nusquam, in nullo scilicet loco existere disciplinas dicendum est. Etenim disciplina neque corpus, neque corporis modus, & attributum est; Sunt enim singulæ disci-

plina-

plinarum veritates, & rationes prorsùs inextensæ, insectiles, à spatiorum mensuris alienæ, quas sanè si intelligere velimus, necesse est, ut mentem à corpore avertamus. Nulla namque immutabilis veritas, sive Ratio quæ in Geometrica, aut Arithmetica disciplina effulget, clarè & distinctè à nobis concipi potest, nisi primò à nostra consideratione abjiciamus cuiusvis corporis partes, magnitudinem, dimensiones, ac demum quidquid spatiorum, & quantitatis naturam redolet. Non tantum autem corporeæ non sunt Disciplinæ, sed neque corporibus insident; cùm enim immutabiles sint, nequeunt mutabilibus rebus inhærere, secùs cum ipsismet corruptibilibus corporibus mutarentur, ac tandem interirent. Tantùm igitur disciplinæ dicuntur esse alicubi secundo modo, nimirum dicuntur esse in Animo, in quo operantur, & cui tanquam rei, & subiecto inhærent.

Nudæ intelligentiâ Matheseos principia percipimus.

Incorporeæ substantiæ inhærent disciplinæ.

Quidquid igitur est, & vivit, alicubi necessario est, nimirum in rerum Universitate citrà fictionem extra nostras notiones est, aut in spatiis agit, & in corporibus operatur, si insectilis, & spiritualis substantia est; Aut spiritali substantiæ inhæret, tanquam illius affectio, si modus incorporeus est. Aut tandem in spatiis diffunditur, aut rei in spatiis diffusæ inhæret, si corpus, aut corporis modus est.

Jam juxta expositum sensum disciplinas alicubi esse, necesse est. Siquidem cum disciplina revera non sit res, sive substantia se ipsâ manens, cum nequeat concipi disciplina, nisi concipiatur res, quæ aut discat, aut doceat, aut in semetipsa singulas disciplinæ veritates emicantes, & involutas videat, apertissimè infertur, disciplinam haud rem, & substantiam, sed modum rei ac substantiæ adiacentem esse. Quapropter inferimus, concedendum esse subiectum, cui Disciplina inhæreat, in quo nimirum vel Disciplina doceat, vel tanquam inventa, aut in substantia contenta delitescat. Hinc sicuti non potest intelligi Ars sine Artifice, Sapientia sine Sapiente, felicitas sine re, quæ felix dicatur, eodem pacto ut clarè, & perfectè quævis intelligatur Disciplina, oportet, ut pariter concipiatur res, & subiectum, quod Disciplinam amplecti dicatur. Quid enim absurdius, quam dicere, existere Geometriam sine Geometra, vivere Arithmeticam absque eo quod existat res, quæ Arithmeticæ facultatem possidere concipiatur. Statuamus ergo tanquam quid evidentissimum alicubi Disciplinam esse, subiecto scilicet alicui tanquam illius modum, & attributum inhærere.

Quo pacto disciplinæ alicubi sint, exponitur.

PROPOSITIO QVINTA.

Substantia, cui Disciplina inseparabiliter inest, Immortalis est, ac sempiterna.

HVius Propositionis veritas apertissimè patet. Quippè Disciplina suaptè natura est immutabilis, ut nunquam interire valeat; deinde non ex se subsistit, sed alteri rei tanquam subiecto inseparabiliter inest. Hoc igitur Disciplinarum subiectum immortale, ac sempiternum esse oportet; nam si mutaretur, ac periret, illicò evanesceret, & in nihilum abirent Disciplinæ, quæ illi inseparabiliter inhærent, deficiente siquidem subiecto, necesse est, ut singuli illius modi, & affectiones deficiant. Idcirco talis indolis est Disciplina, ut immortale subiectum expo-

expoſcat, quod nullo pacto ab ea ſubtrahi poteſt. Si igitur neceſſariò vivit, & eſt diſciplina & pariter neceſſe eſt, ut vivat, & exiſtat ſubſtantia, in cuius ſinu immutabiles Diſciplinæ continentur.

PROPOSITIO SEXTA.

Diſciplina ſoli Animo inſeparabiliter inhæret.

HAc aſſertio ex rebus jam demonſtratis facilè innoteſcit. Nam Diſciplinæ, quarum hìc ſermonem habemus, revera nihil ſunt aliud, quam immutabilium Veritatum congeries. Hæ autem immortales veritates in primis, ac ingenitis noſtris Notionibus elucent, ac repræſentantur. Ingenitæ verò notiones haud corpori, ſed Animo inſident, cum ſint quidam modi cogitandi, quorum natura ab Animo, nempe à cogitandi poteſtate proficiſcitur. Deinde diſciplinæ, ut demonſtratum eſt, ſunt incorporeæ, & immortales, habent ergo pro ſubiecto ſubſtantiam, quæ incorporea eſt, & immortalis; corpus autem ſpatiorum dimenſionibus circumſcribitur, atque ſuaptè natura mutabile, & corruptibile eſt, cum in partes diſſolvi poſſit; quapropter non poteſt eſſe ſubiectum diſciplinarum; oportet igitur præter corpora elucere in Rerum Vniverſitate ſubſtantiam aliam à corpore diverſam, quæ partibus, & extenſione careat, atque ab interitu ſit prorsùs immunis, quæ cum ſit diſciplinarum Domicilium, opus eſt, ut ſit Animus, res nempè intelligens, in cuius inſitis notionibus diſciplinæ, quæ opus ſunt intelligentiæ, floreant, ac vivant.

Nequeunt Artes corporeis ac mortalibus rebus inhærere.

Incorporea Natura in Vniverſo profectò Floret, cui inſident diſciplinæ.

Hic autem Animus inſectilis, & incorporeus, in quo vivunt diſciplinæ, vel eſt inventor, & excogitator diſciplinarum, cuius munus ſit illuminare, ac docere inferiores Animos, aut ab alio jam excogitatas diſciplinas in ſemetipſo reperit, illarumque auxilio, quod ignorat, diſcit, nempè ad latentes, & obſcuras veritates evelandas fertur. Primo modo ſe habet Animus perfectiſſimus, infinita ſcilicet, ac interminata intelligentia, quæ eſt cunctarum artium, ac diſciplinarum excogitatrix, cuius veſtigia, & impreſſiones ſunt diſciplinæ, quæ in nobis emicat; Secundo verò modo ſe habet finitus, & imperfectus Animus, qui à Deo diſciplinarum lumen accipit, in cuius ſecretis, ac penetralibus immutabilis Supremi Numinis Sapientia inceſſanter irradiat. Hinc Divinam Mentem Archetypum, ac Princeps Diſciplinarum Subiectum appellamus, finitos verò, & imperfectos Animos Subiecta ſecundaria, atque Primi, & Exemplaris Subiecti imagines, & repræſentationes dicimus. Concludendum eſt igitur, Subiectum diſciplinarum immortalem, & inextenſum Animum eſſe, in quo tantùm Sedem ſuam incorruptibiles artes collocarunt. Hinc patet, quo pacto ex diſciplinarum vita, & æternitate, manifeſtiſſimè deducatur, præter mortalia, & caduca corpora concedendam eſſe in Vniverſo digniorem, ac præſtantiorem ſubſtantiam, quæ ut immutabiles diſciplinas in ſe recipiat, & complectatur, a corporum mole abhorreat, & immortalitatis privilegio perfruatur. Fingamus enim Animo ſola, & caduca corpora exiſtere, ut nullus inextenſus, & immortalis vivat Animus; jam ubi quæſo viverent, ubi immutabiles regnarent diſciplinæ? Quippè ſi hæ ſemper vivunt, mutationem nullam patiuntur, partes, ac molem à ſe reijciunt.

De duplici diſciplinarum ſubiecto.

Quin

Quin etiam quo pacto inhabitare possent in corporibus, quorum indoles, imbecillitas, & mortalis conditio summoperè disciplinarum dignitati, & excellentiæ adversantur? Præterea vanæ, ac inutiles prorsùs essent disciplinæ, si in cæcis, brutis, ac insciis corpcribus continerentur, quæ cum omninò Intelligentiâ, & immortalitate careant, nequeunt sanè quodammodo custodire, tueri, ac sustinere disciplinas, quæ in Intellectivæ Naturæ gratiam immutabiliter vivunt. Vivit ergo in rerum Vniversitate res, quæ tota est Animus, tota nempè intelligens à corporum affectionibus, & corruptibilitate prorsus aliena.

Elucere in Universo rem, quæ tota sit Animus, concluditur.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Cum Homines ratiocinantur, verè disciplinas possident, quas haud Corpus, sed Animus in sese habet.

HAEc propositio facili negotio suadetur. Etenim ut præclarè in hoc loco docet Augustinus, recta ratiocinatio nihil aliud est, quàm a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio: nam tunc rectè ratiocinamur, cum certarum, & evidentium rerum auxilio ad incertas, & obscuras res detegendas ducimur, hinc cum homo ratiocinatur, nititur a certis ad incertorum investigationem intelligentiâ ferri. Nihil autem certum & evidens est, quod a nobis ignoratur. Quapropter necesse est, ut certorum, & evidentium scientiam, & cognitionem habeamus, quidquid autem scimus, & scientia complectimur, ad aliquam profectò disciplinam spectat; ut exempli gratia primæ, & manifestissimæ numerorum, aut figurarum affectiones, quarum scientia in nobis effulget, ad Arithmeticam, & geometriam pertinent. Cum ergo rectè ratiocinamur, disciplinas verè possidemus, nempè evidentiam, & certitudinem primarum veritatum ad aliquam disciplinam spectantium habemus, ut nisi disciplinarum lumen nobis affulgeret, nulla recta ratiocinatio a nobis absolvi posset. Has porrò disciplinas, cum ratiocinamur, non corpus quidem, sed Animus possidet. Quippè, ut suprà demonstravimus, in illo subjecto efflorescunt disciplinæ, quod inextensum, & immortale est, hujusmodi autem minimè se habet corpus, cui mors, & mutatio perpetuo imminent, ac spatiorum tumor inest; remanet igitur, ut immutabile, & inextensum subjectum disciplinarum sit Animus, qui dum disciplinas amplectitur, necesse est, ut mortalis, ac fictilis corporis naturam penitùs a se rejiciat; quod planiùs constabit, si advertamus, substantiam illam in homine disciplinis uti, & artes in se continere, quæ, veritatis fulgore prælucente, ratiocinando intelligit, nullo autem pacto corpus, cum ratiocinamur, intelligit, oportet igitur, ut in nobis præter corpus alia diversa substantia eluceat, cui intelligere congruat, quam Mentem, & humanum Animum appellamus, qui cum intelligit, omninò corporis naturæ adversatur. Etenim si id, quod corporeum, & extensum est, in nobis intelligeret, cum Animus noster in intelligentiæ actiones erumperet, haud a se corpus averteret, minimè suos interiores oculos a corporum imaginibus, & consideratione avocaret, sed magis corpori conjungeretur, atque ad sensibiles res vehementiùs aspiraret, nam quæ-

Quid sit ratiocinium aperitur.

Corpoream naturam nullo pacto intelligere posse ostenditur.

libet ſubſtantia, cum ſuam congruam & naturalem operationem exercet, haud a ſua natura recedit, ſed ad ipſam proximiùs accedit; naturalis enim, & congrua operatio a natura inſtituta eſt, non ut res agens a ſua natura removeatur, & quodammodo ſeipſam abneget, ac deſtruat, ſed ut illam perficiat, atque ſi fas eſt dicere, ut res ſibimet ipſi magis adnectatur, & conjungatur, atque in ſua conditione, & natura fortiùs roboretur. Quamobrem ſi intelligere congrua & naturalis corporis actio eſſet, ut verè corpus intelligeret, jam corpus intelligendo neutiquàm ſeipſum a ſemetipſo averteret, nullo pacto a ſuæ naturæ conſideratione ſuas cogitandi facultates removeret, ſed potiùs ad ſeipſum magis accederet, ſibique ipſi dum intelligit, arctiùs conjungeretur.

Hoc autem nullo pacto contingere, evidentiſſimum eſt. Nam cum intelligimus, primas, ac manifeſtiſſimas quaſdam diſciplinarum veritates animo agitamus. Porrò hujuſmodi veritates, cum immutabiles ſint & inextenſæ, nulla corporum imagine nobis repreſentari valent, quinimmo ut rectè, & clarè illas in ratiocinationis gratiam agnoſcamus & cogitatione revoluamus, opus eſt, ut noſtram conſiderationem a ſingulorum corporum ſimulacris, rerumque ſenſilium ſimilitudine avocemus. Quippè cum immutabiles diſciplinæ a ſeipſis prorsus excludant partes, molem, ſpatiorum dimenſiones, aliaſque tumentium magnitudinum affectiones, ut clarè, & diſtinctè intelligantur, neceſſum eſt, ut illas ab omni corpore ſejungamus; ſcilicet ſingulis poſthabitis corporibus, intelligamus: Non tantum ergò intelligentiam non juvant corpora, verum & impediunt, ac perturbant. Perit enim, atque evaneſcit quodlibet intelligentiæ opus, cum ad corpora, aut corporum imagines ſeſe convertit Animus. Ut autem hæc veritas planiùs conſtet, accipiamus ipſasmet lineas, ſuperficies ac figuras, quarum ingenitas notiones quaſdam habemus, & ad Geometricam diſciplinam pertinent: Exempli gratia in medium adducantur, linea recta, breviſſima omnium linearum eoſdem terminos habentium; ſuperficies plana, breviſſima omnium ſuperficierum, quæ in eaſdem definunt extremitates, curva ſuperficies ſphæræ æque undecunque recedens a centro; circularis linea undique ſibi concors, & æque ab eodem puncto medio diſtans; figura plana quatuor rectis lineis æqualibus comprehenſa, ac quatuor rectis angulis pollens, quæ geometricum quadratum nuncupatur; & id genus alia. Iam hujuſmodi res, atque naturæ modo quo a geometris conſiderantur, profectò neque ſub ſenſum, neque ſub phantaſiam cadunt, neque externis, corporeiſque rebus inhærent. Etenim nulla in materiatis, ſenſilibuſque ſubſtantijs aut linea perfectè recta, aut ſuperficies abſolutè plana, aut perfectus globus, aut exacta linea circularis aut perfectum quadratum regnant & continentur; tanta ſiquidem linearum, ac figurarum puritate, & perfectione neutiquàm externa corpora, rerumque materia pollent, quorum, figuræ haud veræ, ſed falſæ ſunt, & licet ad veras intelligibiles figuras tendant, ac veras imitentur: veræ tamen figuræ non ſunt; neque ſenſus, & imaginatio unquam aut veras rectas lineas, aut perfectum circulum, aut omnibus numeris abſolutam ſphæram, aut exactum planum perceperunt; non enim ſenſuum, ac phantaſiæ munus eſt, lineam a ſuperficie, ſuperficiem a corporis ſoliditate ſejungere, cum quid-

Geometricæ figuræ nudæ intelligentia, haud ſenſu, ac phantaſia percipiuntur.

quidquid illis exhibetur, corporeum, ac trinè dimenſum ſit, trinaque dimenſione præditum repræſentetur, quæ ſingula in prima parte hujus operis cum Auguſtino fuſiùs expoſuimus, ac demonſtravimus. Cum igitur humanus Animus geometriæ rudimenta intelligit, ſeſe a corpore avertit, atque adeò incorpoream, & inextenſam illius ſubſtantiam eſſe oportet, cui corpus potiùs impedimento eſt, quam auxilio, ut immutabile diſciplinarum lumen ad uſum revocet.

Corpus impedimentò eſt Animo, ut intelligit.

Iam ſupereſt, ut ultimam propoſitionis particulam exponamus, ac demonſtremus, nimirum humanum Animum cum diſcit, in ſemetipſo habere diſciplinas. Cum humanus Animus ex ſupremi Conditori manibus erumpens, organico corpori infunditur, Increatæ Sapientiæ veſtigia, ac delineamenta quædam in ſe recipit; nempè illius Intelligentiæ Deus immutabiles quaſdam diſciplinarum veritates, & notiones indidit, quæ ſunt veluti irradiatio, & rivuli ab Infinito lumine, & inexhauſto fonte Ingenitæ Sapientiæ proficiſcentes. Huiuſmodi autem ingenitæ veritates rationis uſum in nobis præcedentes, ab ineunte ætate in Animo veluti conſopitæ deliteſcunt, quibus quamvis in immatura, & imbecilli ætate non utatur Animus, in eo tamen verè vivunt, & veluti latentes in mentis penitioribus habitant, quæ deinde, homine admonente atque ad aures abſtrepente, illicò excitantur, atque humanæ Intelligentiæ ſeſe offerunt. Hoc tamen modo rem contingere maximè rationi conſentaneum eſt: nam nequeunt deforis advenire, ſed verè intus in Animi penetralibus reſident.

In Humana Mente Artes latent, ac diſciplinæ.

Quippè cum hujuſmodi veritates incorporeæ ſint, & immutabiles; non poſſunt ad Animum pertingere, ſenſu, & phantaſia auxiliantibus; ſenſus enim, & phantaſia non ſunt vehiculum, per quod immortalium & inextenſarum rerum notiones & puriſſimæ imagines ad mentem tranſmittuntur, tantùm ſiquidem hujuſmodi organicis, & corporeis facultatibus extenſas, & mutabiles res perſpicimus. Præterea cum ſingulæ mentes hominum eadem evidentiâ, claritate, & conſtantia æquè, omnique tempore eaſdem Diſciplinarum veritates intelligant, atque tanta facilitate, ut ad eas intelligendas, nullo accedente ratiocinio, ſola vocum expoſitio ſatis ſit, neceſſe eſt, ut affirmemus Animum haud deforis, ſenſuum ope, diſciplinas accipere, ſed intùs in ſeſe habere, in ſuiſque penetralibus ac ſecretis illas, perfectiſſimi artificis manibus impreſſas, invenire. Quapropter fatemur, nunquam Animum diſciplinas ignorare, quamvis ſæpiſſimè in illas neutiquam animadvertat, illarumque veritates cogitatione non revolvat; nam, ut alibi diximus, aliud eſt ſcire, aliùd cogitare, ipſomet docente Auguſtino, ut plura in Animo extent, quorum neceſſariam ſcientiam habemus, etſi actù ſub cogitationem minimè cadunt. Quod planius enucleabimus in noſtris inveſtigationibus, in quibus Platonis reminiſcentiam ab erroribus purgatam Orthodoxæ Religionis doctrinæ accommodare pro viribus enitemur. Concludendum eſt igitur, humanum Animum, cum recte ratiocinamur, in ſeſe immutabiles diſciplinas habere, atque adeò verè Diſciplinarum ſubjectum eſſe, quod ſoli Animo, haud corpori congruere poteſt.

Haud de foris ex ſenſibus hauſit, ſed intus in ſemetipſo diſciplinarum rudimenta reperit Animus.

Primas diſciplinarum veritates nunquam ignorat Animus.

SYNTHESIS.

CUm homines rectè ratiocinantur poſſident neceſsariò Diſciplinas. *Ex Prop.* 7.

Atqui Diſciplinæ alicui ſubjecto neceſsario adjacent. *Ex Prop.* 4.

Vivit igitur in homine ſubjectum, cui inhærent Diſciplinæ.

Rursùs. Diſciplinæ non corpori, ſed Animo inſeparabiliter inhærent ex *Prop.* 5.

Subjectum igitur Diſciplinarum in homine haud corpus, ſed Animus eſt.

Atqui Diſciplinæ ſunt immutabiles, ac ſemper exiſtunt. *Ex Prop.* 2. & 3.

Semper igitur vivit, atque immortalis eſt in homine Animus, cui inſeparabiliter inſident, Diſciplinę *ex Prop.* 5.

Hæc Auguſtini Demonſtratio pro Animæ immortalitate adeò legitima, & inconcuſsa eſt, ut nulla ratione ab Epicuri ſectatoribus infirmari valeat; ſiquidem ex certis evidentibus, aut jam demonſtratis principiis, ſevero, & ſano ratiocinio colligitur; Hinc minimè pertimeſcendum eſt, ne tanquam captioſa, & fallax ab adverſario refellatur, illius enim vis tota deſumitur ex immutabilium Diſciplinarum natura, quę nullo pacto poteſt à mortali corpore proficiſci, ſeù extenſis, & corruptibilibus ſubſtantiis inhęrere, ſed neceſsariò, & inſeparabiliter immortali, ſempiterno, & incorporeo Animo adhęreſcunt, atque adeò Auguſtinenſe ratiocinium prorsùs immune eſt à ſophiſmatis vitio, quo mirum in modum Epicuri laborant argumentationes.

Duplex enervatis dubitatio.

Attamen ne ullus cavillis locus detur, duas dubitationes in medium afferam, quę videntur enervare ratiocinationem Auguſtini. Prima eſt: Ex Auguſtini doctrina hic jam expoſita ſequitur tantùm ſapientum Animos, qui nimirùm rectè ratiocinantur, poſſidere diſciplinas, ut hę nullo pacto in ſtulto, & fatuo Animo contineantur: atque adeò manifeſtè infertur, non ſingulos hominum animos immortales eſse, ſed tantùm eos, qui ſapientia exornati Diſciplinarum dignitate, & pręſtantiâ pollent.

An in ſtultorum Animo vivant diſciplinæ?

Hæc tamen dubitatio nullius momenti eſt. Etenim ut ex ipſismet Auguſtini verbis conſtat, & apertiſſimè ex ſequentibus illius argumentis colligitur, in quolibet Animo, ſive hominis ſapientis, ſive ſtulti, regnant, ac deliteſcunt diſciplinę, cum quibus quilibet naſcitur Animus modo quo ſuprà, & alibi explicavimus. Magnus Auguſtinus hic in medium adducit homines rectè ratiocinantes, non quia putat in illis tantùm artes, ac diſciplinas regnare, ſed ut oſtendat Diſciplinarum uſum in homine, cum rectè ratiocinatur.

Ex Auguſtini argumentatione in Univerſo perfectiſſimum & incorporeum Animum exiſtere evidenter inferitur.

Altera dubitatio eſt. Ex Auguſtinenſi ratiocinio tantùm evidentiſsimè inferri, exiſtere in rerum Univerſitate perfectiſſimum, & immutabilem Animum, nempè Deum, cui inſeparabiliter immutabiles adhæreant Diſciplinæ; non autem neceſsariò deduci immortalitate gaudere finitos, & imperfectos hominum animos, quibus neutiquam inſidere neceſsariò, & inſeparabiliter videntur Diſciplinæ. Siquidem cum humanus Animus fuerit in tempore ex nihilo procreatus, atque adeò non ſem-

ſemper extiterit, ſequitur non eſſe verum, & genuinum ſubjectum Diſciplinarum, quæ, antequam eſſet humana Mens, in Divina intelligentia perfectè effulgebant, ex quo deducitur, quod etiamſi humanus extingueretur Animus, non ideò extinguerentur, ac interirent Diſciplinæ, quibus nunquam deeſt perfectiſſimus Animus, qui illas in ſe complectens, ſuſtineat ſemper, ac tueatur; idcircò hoc Auguſtini ratiocinium tantum debellare, & prorsùs evertere Atheos, haud Epicuri doctrinam videtur. Nimirùm ſolum manifeſtiſſimè oſtendit, præter corporeas mortaleſque ſubſtantias, dari incorpoream, & immutabilem naturam, quæ ſit ſcientiarum, ac Diſciplinarum fons, ſubjectum, & origo, quæ natura procul dubio perfectiſſimus Dei Animus eſt, quo pacto & Deum exiſtere, & incorporeas naturas præter extenſas res regnare, unico tantum argumento haud, citrà animi admirationem, ſolertiſſimus Auguſtinus demonſtraſſe dici poteſt. Cæterum hæc argumentatio minimè videtur Epicuream ſententiam oppugnare, non enim evidenter infertur, finitum, & imperfectum hominis Animum immortalem ac ſempiternum eſſe, cum non hic, ſed infinitus Animus ſit verum ſubjectum, cui inſeparabiliter ineſt Diſciplina.

In hanc dubitationem egomet olim incidi, cum Auguſtini ratiocinium ſedulò expendiſſem: quæ quidem dubitatio diù me vehementiſſimè torſit, ut aliquando putarem Auguſtinum in hoc primo argumento minimè evidenter oſtendere humanum Animum ſemper vivere, & immortalem eſſe. Attamen cum maturiùs, & accuratiùs Auguſtinenſe ratiocinium animo revolviſſem, illicò quam hujuſmodi dubitatio tenuis & imbecillis ſit, intellexi. Et primò ſummoperè lætor me in hac Auguſtini argumentatione evidentiſſimam inveniſſe rationem, quæ omni fugata dubitatione, ſupremi Numinis exiſtentiam animo quam manifeſtiſſimè aperit.

Auguſtini ratiocinio non tantùm Atheiſmus, verùm & Epicuri dogma de Animarùm mortalitate erroris ac falſitatis convincitur.

Etenim, cum clarè, & neceſſariò intelligerem, Auguſtino docente, æternas, neceſſarias, ac immutabiles eſſe diſciplinas, quæ abſque congruo ſubjecto, cui inſeparabiliter inſint, nullo pacto percipi valent, confeſtim mihi evidenter innotuit, exiſtere extra meas notiones æternum, immutabilem, ac perfectiſſimum Animum, in quo Vniverſæ Sapientiæ Theſauri contineantur, atque ſingularum artium, & diſciplinarum genera tanquam in ſuo principio, ac fonte ſint, & regnent. Deinde admirandum in modum gaviſus ſum, me jam in ſolidiſſimum Argumentum incidiſſe, quo inevitabiliter oppugnatur, erroriſque tedarguitur Epicurus, affirmans nihil in hac rerum Univerſitate exiſtere præter corpora. Nam ſi verè vivunt, & florent in Univerſo diſciplinæ, neceſſum eſt, ut vigeat, atque vivat incorporeus, & inextenſus Animus, qui mutabilis corporis affectiones à ſe reiiciens, immutabiles in ſe complectatur Artes, ac diſciplinas. Poſtmodum, ſumma cum animi voluptate, Auguſtini ratiocinium examuſſim evoluens, intellexi, Animum humanum incorporeum, & immortalem eſſe. Siquidem etſi datur hominis Animum non eſſe legitimum ſubjectum, cui inſeparabiliter adjacent diſciplinæ, attamen evidens, ac certum eſt artium, ac diſciplinarum lumen in noſtræ mentis ſecretis, ac penetralibus perpetuò accendi, & effulgere, quo immutabili, & illibato lumine nos utimur, cum rectè ratiocinamur, ut ſuprà ſatis oſtendimus, idcircò diſciplinæ veluti famulæ

Immortalis est humanus Animus si immortalibus utitur artibus.

mulæ se habent, humano servientes ingenio, quod ut veritatis inventione se ipsum perficiat, ac illustret, artes, ac disciplinas, quæ subitò ipsi præsto sunt, solertissimè adhibet. Utitur ergò humanus Animus ad sui naturam exornandam, & perficiendam immutabilibus, & incorporeis rebus, immaterialis, & immortalibus artibus, ac disciplinis; At quo pacto si corporeus, ac mortalis esset Animus, id contingere posset? Valdè enim monstrosum, & à veritate alienum est, immutabiles, & incorporeas naturas corruptibili, & caduco corpori famulari, ac quodammodo inservire. Instrumentum namque aut æque perfectum, aut inferioris ordinis est, quam sit artifex, qui utitur illo. Si igitur immutabili sempiterno, & incorporeo noster utitur Animus, saltem necesse est, etiam ipsum esse & inextensum, & ab interitu immunem, ut citrà incongruentiam, ac rerum dissonantiam intueri, & ad proprium usum vertere valeat id; quod semper vivit, & immutabile est. Magna profectò res est Augustini argumentum, ex quo tam miras, tam magnas, salutaresque veritates, debellato errore, colligimus.

Neque tamen dici potest, saltem ex Augustini ratiocinio nullomodo evidenter inferri, immutabiles Disciplinas inseparabiliter humano Animo inhærere, ut si hic interiret, & illas interire, & extingui necessum sit. Etenim, ut in dubitatione satis exposuimus, ut vivant, ac semper existant disciplinæ, satis est, si semper vivat, & existat Divinus Animus, cui inseparabiliter insunt. Porrò ut hic scrupulus prorsùs evellatur ab Animo, admonemus, duplex artium, & disciplinarum genus à nobis distingui. Primum amplectitur disciplinas, quas Archetypas, exemplares, & primas appellavimus, quæ ut supra docuimus, aut ipsam immutabilem, & ingenitam Dei sapientiam efformant, ut arridere videtur Augustino, aut ex liberrima Dei voluntate constitutæ, inter arbitrarias Increatæ intelligentiæ ideas elucent, ac regnant. Quovis tamen modo se habeant, hujusmodi disciplinarum subjectum sola Dei sapientia est, artium omnium inventrix, cujus vita, & existentia satis est, ut archetypæ vivant, ac semper effloreant Artes. Alterum verò genus continet Disciplinas, quas nos typicas, derivatas, secundarias, aut repræsentativas nuncupamus, quæ nihil aliud sunt quàm delineamenta vestigia, repræsentationes, & imitamenta immutabilis Sapientiæ, atque Exemplaris, & Archetypæ disciplinæ; quæ vestigia naturæ Autor in singulos hominũ animos impressit, qui cum delineamentis, & imaginibus archetyparum disciplinarum nascuntur, ut fusiùs, ac fortiùs in nostris investigationibus de Divina mente, & humano animo agentes, ostendemus.

Artes aliæ archetypæ, derivatæ aliæ dicuntur.

Archetypæ artes soli divino Animo adhærescunt.

Jam quamvis artes, ac disciplinæ, quæ in hominis Animo tanquam in subiecto vivunt, non sint ex se ipsis Archetypæ, ab omni mutatione, & interitu immunes, cum res genitæ, & factæ sint, nihilominus ut verè repræsentent exemplares, & primævas Artes, quæ in divina Mente existunt, oportet, ut etiam ipsæ sint immutabiles, & immortales, secùs in illis immutabilitatem, ac æternitatem suæ Archetypæ Sapientiæ minimè exscriptam ac inumbratam increatus cerneret Animus; Quidquid enim interit, ac mutationi subiacet, nequit esse viva Imago, & congrua repræsentatio eorum, quę semper vivunt, nullumque mortis, ac mutationis ictum pati possunt. Sunt ergo immutabiles, & immortales huiusmodi deri-

Derivatæ artes immortalẽ etiam naturã, cui insideant exposcunt.

derivatæ disciplinæ, quæ in humanæ mentis thesauro delitescunt.

Cùm autem sint suaptè natura finitæ, genitæ, & imperfectæ, ut potè perfectioris rei Imagines, & imitamenta, ad aliud se ipsis præstantius, neutiquam ad se ipsas tendentes, oportet, ut habeant pro subiecto haud perfectissimum, sed imperfectum, & finitum Animum, nempè humanum, cui inseparabiliter inhæreant, atque adeò cum semper vivere, & existere exposcant, & nequeant vivere, & esse, nisi vivat, & existat subiectum, in quo vivunt, concludendum liquidissimè est, humanum Animum semper vivere; secus si hic extingueretur, & interiret, intereunte Subiecto, disciplinas, & artes, quæ illi inhærent, interire, ac mutari oporteret. Quapropter vicit jam Augustinus, Epicurum jam debellavit, dum ex disciplinarum humanarum immutabilitate, & sempiterna vita perpetuam humani Animi existentiam intulit. Hanc tamen disciplinarum diversitatem, quam Nos ut suprà statuimus, & ipsemet agnovit Augustinus. Siquidem in hac sua Argumentatione se corrigit, ac reprehendit, ubi dixit, vivere, & regnare in eo, qui discit, disciplinas; nam se retractans ait, hoc falsum esse, cum etiam existant artes, & disciplinæ in Divina Mente, quæ cum perfectissima omnium rerum scientia polleat, nihil profectò discere potest. Distinguit ergo duplicem Animum, perfectissimum nempè, in quo veluti in suo fonte, & Inventore splendidissimè florent disciplinę, & imperfectum sive humanum, cui Archetypę disciplinę delineamenta inseparabiliter inhęrent, ut in illis Mens nostra discat, quod ignorat, atque immutabilis Sapientię pulchritudinem admiretur.

Vsus Augustinensis Argumentationis, nostro accedente apparatu, ad evertendam Epicuri doctrinam de humanæ Animæ natura, & compositione.

EX Augustini argumentatione jam a nobis exposita, & roborata, quam rationi dissentanea sit Epicuri doctrina, evidenter innotescit. Iuxta Epicurum humanus Animus nihil est aliud præter auram quamdam tenuissimam ex primordijs rerum, nempè athomis efformatam, & in crassioribus organis expansam, quæ, intereunte corpore, solvitur, ac perit; secundum igitur Epicuri sententiam, artes, ac disciplinæ subtilissimæ, & corporeę substantiæ inhęrent. Quapropter cum tenuissima corporis aura in partes dispescitur, ac dissipatur, artes, ac disciplinæ, quæ in illa vivunt, extinguuntur illicò, & intereunt: cum enim corruit, & destruitur subiectum, necesse est, ut intereat, ac mutetur quidquid illi inseparabiliter insidet. Atqui demonstratum est, humanas artes, ac disciplinas immutabiles esse, semperque vivere: falsum igitur apertè est, Animum ex minutissimis corporibus procreari, partibus & extensione instructum. Quo enim pacto immortales, & incorporeę doctrinæ possent existere, ac contineri in tam lubrica, fluxa, & caduca substantià, qualis est hujusmodi aura, in qua humanæ mentis naturam collocat Epicurus?

Iuxta Epicuri doctrinã mutabiles ac mortales essent Artes ac disciplinæ.

Deindè si humanus Animus crescente, aut imminuto corpore crescerent, aut minueretur, pariter cum Animo augerentur, aut decrescerent

rent disciplinæ; siquidem immutato subjecto, adaucto nimirùm, aut imminuto, aut soluto, immutatur identidem, imminuitur scilicet, aut fit minor, aut interit quidquid illi inseparabiliter inest; atqui hoc absurdum evidenter est, cum disciplinæ utpotè immutabiles, & semper constantissime eædem, omnem prorsùs mutationem a se reiciant, atque veritates talis indolis, & conditionis amplectantur, quæ neque crescere, neque minui possunt, incapaces excessûs, aut defectus, semper sibimet ipsis immutabiliter æquales. Non crescit igitur cum corpore pariter Animus, adeòque est à corporis natura alienus, & immortalis.

Non tantum fallacem, verùm & apertè falsam esse doctrinam Epicuri ex nostro apparatu ostenditur.

Tandem ex nostro apparatu concludimus non tantum fallacem, verùm etiam manifestè falsam esse doctrinam Epicuri. Quippe ex propositione quinta, quam firmavimus in Apparatu, cum idem phænomenon, seù idem effectus (ut scholarum verbis utamur) potest æquè oriri a duplici principio A. & B. si evidens aliqua accesserit ratio, quæ ostendat effectum actu profluere potiùs a principio A. quam B. quamvis possibile videatur posse proficisci a causa B. attamen affirmandum est oriri a principio A. non autem B. nisi quis turpiter ingenito rationis lumini contradicere, ac repugnare velit.

Iam, ut in nostra confutatione Lucretianæ doctrinæ ostendimus, eadem phænomena, & effectus, quibus utitur Epicurus, ut suam adstruat doctrinam, possunt non tantum profluere ex principio ab ipso firmato, scilicet à mortali, & corporea Animæ substantia, sed etiam à principio diverso, nempe à nostra hypothesi, in qua Animum in extensum, & immortalem organico corpori ex liberrima Dei voluntate obstrictum, modo à nobis ut suprà explicato, ponimus, ut utrumque saltem æquè probabile sit: attamen nunc, arguente Augustino, solidissima quædam Ratio ex disciplinarum immutabilitate deprompta emergit, quæ omni semota dubitatione, ostendit, verum esse nostrum Principium, falsum autem id quod firmavit Epicurus; oportet igitur, ut concludamus singulos effectus, quos adducit Epicurus, ortum ducere ex nostra haud ex sua Hypothesi, ac Theoria, nimirùm Animum humanum non esse Athomorum texturam, ac corporeum quemdam halitum, sed rem insectilem, & immortalem, cuius tota natura in potestate intelligendi collocetur.

Ut ergo incolumes, & ab interitu penitus immunes, immutabiles maneant disciplinæ, fatendum est, singulas mutationes, quas corporis occasione subit humanus Animus, oriri, non quia hic fit corporeus, & corruptibilis, ut somniat Epicurus, sed quia licet inextensus, & immortalis ex naturæ legibus mutuum quoddam commercium contraxit cum corpore, ut alibi fusè explicavimus.

Secunda Augustini Argumentatio ex Rationis Naturà deprompta.

TEXTUS.

RAtio profectò aut Animus est, aut in Animo. Melior autem ratio nostra, quam corpus nostrum. Et corpus nostrum nonnulla substantia est, & melius est esse substantiam, quam nihil. Non est igitur ratio nihil. Rursum quæcunque harmonia corporis est, in subjecto corpore sit necesse est inseparabiliter, nec aliud quidquam in illa harmonia esse credatur, quod non æque necessario sit in subjecto illo corpore, in quo & ipsa harmonia non minùs inseparabiliter. Mutabile est autem corpus humanum, & immutabilis ratio. Mutabile est enim omne quod semper eodem modo non est. Et semper eodem modo est duo & quatuor, & sex. Item semper eodem modo est, quod est, quod quatuor habent duo & duo, hoc autem non habent duo. Duo igitur quatuor non sunt. Est autem ista ratio. Immutabilis igitur ratio est. Nullo modo autem potest mutato subjecto, id quod in eo est, inseparabiliter non mutari. Non est igitur harmonia corporis Animus. Nec mors potest uccidere immutabilibus rebus; semper ergo Animus vivit, sive ipse ratio sit, sive in eo ratio inseparabiliter.

ANALYSIS

PROPOSITIO PRIMA.

Ratio aut Animus est, aut in Animo.

NOmine rationis hìc apud Augustinum venit congeries plurium primarum veritatum, quæ manifestissimæ, & ingenitæ dicuntur, quæ scilicet in singulis hominum mensibus elucent, atque artium, & immutabilium disciplinarum rudimenta constituunt, ut primę, & evidentissimę figurarum, & numerorum affectiones, quę in Geometrię, & Arithmeticę pronunciatis exponuntur, modo quo in Analysi precedentis argumentationis explanavimus. Jam sensus Augustinensis propositionis est, Rationem, sive insitas, ac primas disciplinarum veritates, quæ mentibus nostris affulgent, aut ipsum Animum esse, aut Animo tanquam subjecto inhærere, quod profectò evidentissimum est; Nam si dicas, Animum, sive mentem nihil aliud esse, nisi ipsum intelligendi lumen ex hujusmodi ingenitis veritatibus conflatum, jam verum erit, rationem nihil esse præter Animum. Si verò affirmes, Animum secerni, ac distingui à disciplinarum veritatibus, & tantùm illis uti, illasque in se complecti, tunc evidens erit, rationem Animo tanquam subjecto adhæresere, idcircò manifestum est, rationem aut esse Animum, aut Animo inseparabiliter insidere.

Quovis modo accipiatur ratio semper verum erit rationem aut ipsum esse Animum, aut Animo inhærere.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ratio immutabilis est.

Ab intervallo prorsus immunes sunt artium ac disciplinarum veritates.

Hæc assertio sponte sua à præcedenti propositione profluit. Cum enim Ratio nihil aliud sit, nisi congeries, sive cætus ingenitarum veritatum, quæ in disciplinis & Artibus florent, evidenter infertur, eam immutabilem esse. Quippè in propositione secunda Analysis primæ argumentationis, artes, ac disciplinas sempiternas, & à mutatione immunes esse demonstravimus. Hoc pacto immutabiles sunt exempli causa singulæ veritates, quæ ad Arithmeticam spectant, & in affectionibus numerorum continentur, ut bis duo sunt quatuor, non autem duo, quatuor & quatuor sunt octo; quinq; & sex undecim, unum duo, & tria adæquant senarium, & similia, in quibus nuda simplex, ac necessaria ipsamet veritas inhabitat; quæ secus non esse, nec intelligi possunt. Est igitur ratio immutabilis.

PROPOSITIA TERTIA.

Omne Corpus murtabile est.

Quid sit corpus aperitur.

Corporis natura secundùm Augustinum.

Quovis modo corpus accipiatur, mutabile esse demonstratur.

Huius assertionis veritas illicò patet, si quid sit corpus intelligamus. Corpus autem, ut apertissimè, ratione prælucente, ipsemet admonet Augustinus, nihil aliud est, quàm res quædam, cujus natura tribus spatiorum dimensionibus consumatur, quæ nempè longitudine, latitudine, & profunditate prædita est, aut ut alibi idem docet Augustinus, corpus est id, cujus major pars majori parti spatii, minor verò minori respondet. Quovis autem modo corpus accipiatur, cum necessariò extensum, mole scilicet, ac partibus sit instructum, suaptè naturà mutabile est. Primò quia cum sit in partes divisibile, potest incessanter augeri, aut minui, atque infinitè secari, & in partes suas dissolvi. Quæ singula mutationis defectum continent. Deindè cum corpus diversis locis, ac spatii partibus sese applicans, movetur, tunc & ratione loci, & temporis mutari, apertissimum est. Præterea si nomine corporis haud simplex, & elementare, sed permistum, & compositum corpus venit, ut corpus humanum, jam evidens erit, corpus perpetuò fluere, & mutari ob perpetuam dissociationem partis subtilioris à crassiori. Hinc corpus humanum exempli gratia adeò continenter expirat, & effluit, ut antiquarum partium detractione, novarumque additione, nunquam idem maneat, sed perpetuò fluens mutetur, ut non eædem sint partes, quæ infantis corpus constituunt, ac sint illæ, quibus corpus ejusdem hominis adolescentis, seu ad adultiorem ætatem accedentis contexitur. Quapropter evidentissimè infertur, omne corpus suaptè natura mutabile esse.

PRO-

PROPOSITIO QUARTA.

Ratio melior, & præstantior est Corpore.

NEutiquam in dubium hæc propositio verti potest. Oritur enim necessariò ex antecedentibus. Nam quidquid æternum, & immutabile est, melius, & excellentius est eo, quod interitus, & mutationis capax est. Atqui, ut ostendimus, ratio sempiterna est, & immutabilis, corpus verò ita perpetuò mutatur, ut perpetuò deficere, ac interire dici possit, evidenter ergo sequitur, Rationem naturæ dignitate, & perfectione singulis præstare corporibus.

Neque Epicuri asseclę dicant non omnia corpora mutabilia esse, sed tantùm quę permista sunt, & composita, cum in Universo individua quędam corpora, nimirùm Athomi existant, quę ob perfectam soliditatem qua gaudent, immortales sunt, & immutabiles. Etenim ut suprà Lucretium confutantes probavimus, aut mera figmenta, aut res obscuræ, ac valdè incertę sunt hujusmodi insectiles magnitudines, quas imaginatus est Epicurus; aut quid fictitiũ igitur est, aut res incerta, & dubia hujusmodi simplicium corporum immutabilitas: ex adverso tamen vera, certa, & evidentissima est immutabilitas Rationis, quę nulla rationabili dubitatione vexari potest. Deindè fingamus Animo, florere hujusmodi Athomos in Universo, adhuc tamen ratione loci, & temporis, atque motus, & mutui impulsus plures subirent mutationes, ut alibi ostendimus, atq; adeò illarum phantastica immortalitas nullo pacto equiparari posset rationis immutabilitati, quę sincerior, purior, & manifestior est. Conficitur ergò solam Rationem, haud corpus immutabilitate gaudere.

Epicuri doctrina de athomorum natura aut manifestè absurda aut obscura & incerta.

Oppugnatur Epicurus.

PROPOSITIO QUINTA.

Ratio verè est, atque in Universo existit.

HÆc propositio emergit ex antecedentibus assertionibus. Quippe si ratio melior, ac prestantior est corpore, corpus autem substantia quædam est in Universo existens, infertur necessariò, rationem aliquid esse, & verè existere; siquidem si actu nihil esset, haud melior, sed deterior esset corpore, quod actù est; nihil enim nihilo deterius, ac infimius est.

Præterea Ratio est ipsamet immutabilis Veritas, quæ in Animo habitat, verè igitur est, ac semper vivit. Nequit enim interire Veritas, cujùs virtute sunt, & existunt, quęcunque sunt, ac vivunt. Quidquid enim est, aut verè est, & tunc ipsamet est veritas, aut est id, in quo veritas inhabitat, aut non verè, sed per solam tendentiam ad verum est, ideſt neque veritas est, neque veritatis subjectum, sed tamen ad veritatem tendit, & id quod verè est, conatur esse, quod veritatis imitatione verum esse dicitur, & nisi ad veritatem tenderet, minimè esset; est enim, quia veritatis quamdam imaginem in se continet. In hanc profundam ac sublimem cogitationem incomparabilis incidit Augustinus in secundo

Veritas ab interitu immunis est.

libro ſoliloquiorum Animæ & rationis, ubi ut animæ immortalitatem adſtruat, ſolum immortales res verè exiſtere, in ſolis ſcilicet immortalibus rebus inhabitare veritatem oſtendit, neutiquam verò in corpore, quod quamvis verum corpus ſit, attamen à ſe ipſammet veritatem reiiciens, verè non eſt, ſed ſolum quædam veritatis imago, quæ ideo eſt, quia veritatis imitatione verè eſſe contendit. De qua re fuſius agemus cum in noſtris inveſtigationibus naturam numeri, atque corporis evoluemus.

In ſolis immortalibus rebus inhabitare Veritatem oſtendit Auguſtinus.

Corpus verè non eſt, ſed tantùm per tendentiam ad Verum.

PROPOSITIO SEXTA.

Quævis corporis harmonia, & quidquid in ea continetur corpori inſeparabiliter ineſt.

HAec vox harmonia in hoc loco nomen translatum eſt, acceptum nimirùm ex concentu, ſive conſonantia vocum, & muſicorum inſtrumentorum. Idcircò corporis harmonia nihil aliud ſonat, quam congruentia, & concinna quædam partium corporis diſpoſitio ad aliquas peculiares actiones exercendas ordinata. In hac harmonica partium diſpoſitione plures ex Veteribus Philoſophis Animæ Naturam collocarunt, arbitrantes humanum Animum nihil aliud eſſe niſi ordinatam, ac harmonicam congeriem quarundam partium tùm ſolidarum, tùm fluidarum, ex quibus elegantiſſima corporis humani fabrica conſtruitur, in qua tamdiù vivat, & cogitet Animus, quamdiù harmonicus hic partium nexus eſt, ac durat. Huic ſententiæ refragatur quidem Epicurus, exiſtimans hominis Mentem haud ſitam eſſe in ſingularum partium organici corporis harmonica quadam diſpoſitione, ſed eſſe unam ex partibus corporis non minùs ac ſint aures, oculi nares &c. nihilominùs ſi diligenter illius doctrinam expendamus, inveniemus Epicurum in quadam harmonia humani Animi indolem poſuiſſe: putat enim Animum nihil aliud eſſe, niſi ordinatam, ac congruam minutiſſimorum corporum texturam, ſive auram, in quodam determinato corporis loco ſedem ſuam habentem, atque adeò ſinguli Philoſophi, qui corpoream Animam effecerunt, illam præter harmoniam nihil aliud eſſe putarunt.

Corporis harmoniam humanum eſſe Animum plures Philoſophi exiſtimarunt.

In hac autem Propoſitione Auguſtinus duo docet, primò corporis harmoniam habere pro ſubiecto corpus, cui inſeparabiliter ineſt: deinde obtinere pariter pro ſubiecto corpus, quidquid corporis harmoniæ inhæret. Utrumque tamen manifeſtiſſimum eſt. Siquidem cum corporis harmonia, ut diximus, nihil ſit aliud quam congrua quædam partium corporis diſpoſitio, ſequitur neceſſariò inſeparabilem corporis modum eſſe; Diſpoſitio enim partium corporis nihil aliud eſt, niſi quædam affectio, & corporum temperatio, quæ niſi corpora adeſſent, interiret, ac nihil eſſet, atque adeò, ut hæc ſit, & vivat, opus eſt, ut ſit, & exiſtat corpus, cui tanquam ſubiecto inſeparabiliter inſidet. Cum igitur corporis harmonia inſeparabilis ſit à corpore, neceſſe eſt, ut corpori inſeparabiliter inhæreat, quidquid in corporis harmonia neceſſariò vivit. Idcircò ſi humanus Animus e. g. ut delirat Epicurus, quædam athomorum harmonia, ſive congrua diſpoſitio eſſet, cum hæc, ut exiſteret corporis

Auguſtini aſſertio demonſtratur.

poris organis, in quibus incluſa conſervaretur, indigeret, ſequeretur etiam, & ipſam intelligendi virtutem, qua Animæ inſeparabiliter adhæret, corporeis organis inſidere. Quapropter concludendum eſt, corporis harmoniam, & quidquid in hac deliteſcit, habere pro ſubiecto corpus, cui inſeparabiliter ineſt.

SYNTHESIS.

RAtio aut ipſemet Animus eſt, aut in Animo inſeparabiliter vivit ex *Propoſ. Prima.*

Compoſitivæ methodo, Geometrarum more, Animi hand corporis harmoniam eſſe demonſtratur.

Atqui Ratio immortalis, & immutabilis eſt ex *Propoſ. Secunda.*

Semper igitur vivit, ac immortalis eſt Animus ex *Propoſ. Quinta.*

Atqui corporis harmonia, & quidquid in illa continetur, corpori inſeparabiliter ineſt, & corpus verè mutabile eſt ex *Propoſ. Sexta.*

Corporis igitur harmonia, & quidquid in illa elucet, verè mutabilis eſt.

Non eſt igitur Ratio corporis harmonia, aut aliquid huic inſeparabiliter inhærens, atque adeò corporis harmonia non eſt humanus Animus, quem utpotè immutabilis Rationis Subiectum, immortalem, ſemperque vivere neceſſum eſt. Semper igitur vivit, nunquam humanus interit Animus.

In hac Argumentatione, ut vides, præcipuus Auguſtini ſcopus eſt oſtendere humanum Animum non conſiſtere in quadam corporis harmonia, ut quidam priſcæ ætatis Sophiſtæ exiſtimarunt.

Vſus Auguſtinenſis Argumentationis, noſtrique apparatus ad impium Epicuri dogma oppugnandum.

EPicurus, quemadmodum ſuprà tertium Lucretij librum refellentes, expoſuimus, ut humanam Animam mortalem, & corpoream eſſe oſtenderet, ſequenti ratiocinio uſus eſt. Humanus Animus organico corpori conjungitur, ac ſanguini tenaciter adhæreſcit, quin etiam in corpore vivere, corporique obſtringi ſummopere amat, igitur mortalis eſt, ac ejuſdem indolis cum corpore. Ex conjunctione igitur, & inclinatione Animi erga corpus, Animi caducitatem infert.

Suiſmet armis ab Auguſtino debellatur Epicurus.

Audiat tamen Epicurus Auguſtinum ſimili modo ratiocinantem. Humanus Animus conjungitur inſeparabiliter rationi, quam in ſe tanquam ſincerum illius ſubjectum amplectitur, atque vehementiſſimo amore proſequitur; nihil enim magis humanum oblectat Animum, quam ratio, veritas ſcilicet, ac ſapientia, quam tantopere exoptat, ac inquietus inceſſanter inquirit; conjungitur igitur humanus Animus inſeparabiliter immortalibus, & immutabilibus rebus, illaſque mirum in modum amat, & amplecti ſtudet. Immortalis ergò eſt Animus humanus, ac ſemper vivit, ſi vita, & immortalitate ſemper perfruitur ratio, cui Animus, & amore, deſiderio, ſtudio & naturà inſeparabiliter obſtringitur. Hinc ſi Epicurus ex hoc quod Animus conjunctione, & benevolentià ſit conjunctus mortali, & caduco corpori, infert illum caducum, & mortale corpus eſſe, cur non poterit

Semper vivit animus ſi ad immortalem Rationem inceſſanter aſpirat.

inde

inde potiori iure, & saniori ratiocinio deducere Animæ æternitatem, & incorpoream conditionem Augustinus, ex eo quod manifestissimè intelligat, humanum Animum amore, & conjunctione rationi, immortalibus scilicet, & immutabilibus naturis inseparabiliter copulari. Possum quidem clarè intelligere, Animum omni corpore posthabito, nempè possum clarè percipere potestatem intelligendi absque eo quod ad corpus me convertam: imò ut intelligendi exercitium percipiam, necesse est, omne corpus a nostra consideratione removere, ut supra demonstravimus. Ex adverso autem nullo pacto intelligi potest humanus Animus, sive potestas intelligendi, quin illicò intelligatur ratio, immutabilis scilicet veritas, quæ in Animum, ut ità dicam, immergatur, aut cui Animus inseparabiliter associetur. Tolle rationem, illam ab Animo sejunge, illicò perit, ac interit Animus, etiamsi integrum corpus maneat, quod si corpoream demas substantiam, & Rationem relinquas, jam integram intelligendi potestatem remanere, incolumem nimirùm, & illæsum Animum vivere, ac regnare intelligemus. Cum ergo potentissima quædam ratio accedat, quæ apertè ostendit nostræ Hypothesis veritatem, quamvis ex alia parte secundum Epicuri theoriam explicetur ac solvatur, quidquid homini contingit, jam ex nostri apparatus assertionibus, evidenter sequitur vêram de Animæ Immortalitate doctrinam esse, falsam autem, & absurdam eam, quam in Epicuri gratiam docuit Lucretius.

Tertia Augustini Argumentatio ex ipsamet Animi virtute, & immutabilitate deprompta.

TEXTUS.

I.

QVædam constantia virtus est, & omnis constantia immutabilis est & omnis virtus potest aliquid agere, nec cum non agit aliquid virtus non est. Omnis porrò actio movetur, aut movet. Aut igitur non omne quod movet, aut certe non omne quod movetur, mutabile est, aut omne, quod alio movetur, nec movet ipsum aliquid, mortale est. Neque mortale quidquam immutabile. Quare de certo jam & sine ulla disjunctione concluditur, non omne quod movet, mutari.

II.

Nullus autem motus sine substantia, & omnis substantia, aut vivit, aut non vivit, atque omne, quod non vivit, exanime est, nec est ulla exanimis actio. Illud igitur, quod ita movet, ut non mutetur, non potest esse, nisi viva substantia.

III.

Hæc autem omnis per quoslibet gradus corpus movet, quod mutabile est. Corpus autem nonnisi secundum tempus movetur, ad hoc enim pertinet tardiùs, & celeriùs moveri; conficitur esse quiddam, quod tempore moveat, nec tamen mutetur. Omne autem quod tempore movet corpus, tametsi ad unum finem tendat, tamen nec simul potest omnia facere, nec potest non plura facere, neque enim valet, quamvis ope agatur, aut perfectè unum esse, quod in partes secari potest, aut ullum esse sine partibus corpus, aut sine morarum intervallo tempus, aut verò vel brevissima syllà-

syllaba enuncietur, cujus non tunc finem, audias, cum jam non audis initium. Porrò quod sic agitur, & expectatione opus est, ut peragi, & memoria, ut comprehendi queat quantum potest. Et expectatio futurarum rerum est, præteritarum verò memoria. At intentio ad agendum præsentis est temporis, per quod futurum in præteritum transit, nec cœpti motus corporis expectare finis potest sine ulla memoria. Quomodo enim expectatur, ut desinat, quod aut cœpisse excidit, aut omninò motum esse? Rursùs intentio peragendi, quæ præsens est, sine expectatione finis, qui futurus est, non potest esse, nec est quidquam quod aut nondum est, aut jam non est. Potest igitur in agendo quiddam esse, quod ad ea, quæ nondum sunt, pertineat. Possunt ergo etiam in movente, cum in eo, quod movetur non possint. At quæcunque in tempore simul esse non possunt, & tamen a futuro in præteritum transmittuntur, mutabilia sint, necesse est. Hinc jam colligimus posse esse quiddam, quod cum movet mutabilia, non mutatur. Cum enim non mutatur moventis intentio perducendi ad finem quem volet corpus, quod movet, illudque corpus de quo aliquid fit eodem motu per momenta mutetur, atque illa intentio perficiendi, quam immutatam manere manifestum est & ipsa membra artificis, & lignum, aut lapidem artifici subjectum moveat, quis dubitet consequens esse, quod dictum est? Non igitur si qua mutatio corpori movente Animo sit, quamvis in eam sit intentus, hinc eum necessariò mutari, & ob hoc etiam mori arbitrandum est. Potest enim in hac intentione simul & memoriam præteritorum, & expectationem futurorum habere, quæ omnia sine vita esse (& in illa mutatione) non possunt. Quamquàm etsi nullus interitus sine mutatione sit, & nulla mutatio sine motu, non tamen omnis mutatio interitum, omnisque motus mutationem operatur. Licet enim ipsum corpus nostrum, & motum plerumque qualibet actione, & mutatum certe, vel ætate dicere, tamen nondum interijsse, idest non esse sine vita. Liceat igitur & Animum non continuò putare privari vita, quamquam ei fortasse per motum mutatio nonnulla contingat.

IN hoc Augustini Argumentum incidentem, confestim me abripuit terror; tam enim concisum, obscurum, & involutum est, ut ipsomet Interprete Augustino indigere, videatur; idcircò illius legitimum sensum assequi posse desperabam. Siquidem Augustinus, ut ipsemet libro primo Retractationũ nos admonet, non ut alios doceret, sed ut se ipsum instrueret, tanquam breve Commonitorium hanc, & reliquas huius Libri argumentationes conscripsit, atque adeò nemo profectò miretur, si hoc Opus tanta difficultate, & obscuritate laborat. Postquam autem improbus labor, ac assidua meditatio accesserint, & invicem plura Augustini cogitata comparaverim, tandem spes revivixit, dum salutarem lucem, quæ in docta huius Ratiocinationis caligine intus effulget, intelligentiæ luminibus inspexi. Quamobrem ut huiusce Augustinensis Argumenti vim, & acumen enucleatiùs ac planiùs aperirem, illud in tres partes distribuere statui, quarum quælibet solidam, ac robustam complectitur rationem, qua & Animi Immortalitas ostenditur, & acriter Epicuri doctrina refellitur. Sit igitur

ANA-

ANALYSIS PRIMAE PARTIS

PROPOSITIO PRIMA.

Quædam Constantia Virtus est, & omnis Constantia immutabilis est.

NOmine Virtutis, quemadmodum ex ipsomet Augustini scopo, & ratiocinio colligitur, hìc venit Potestas intelligẽdi, quę insignior humanæ Mentis virtus est. Nomine verò constantiæ veniunt firmitas, ac stabilitas, seu in existendo, vel in agendo perseverantia. Quapropter sensus Propositionis est, intelligendi virtutem, quæ Animo insidet, esse speciem quamdam Constantiæ, nimirum inter firmas ac stabiles res enumerandam, ut haud res temporaria, fluxilis, & instabilis, sed constantissimè existens, ac firmiter vivens sit; atque adeò ad huius Propositionis veritatem firmandam, hìc probandum est, intelligendi Virtutem, firmam, ac stabilem naturam esse, rem scilicet immutabilem; nihil enim constans, ac firmum dici potest, quin sit à mutatione immune, idcircò subdit Augustinus, omnis constantia immutabilis est.

Intelligendi virtus species quædam constantiæ est.

Ut autem id ostendatur, opus est, ut accuratè expendamus, quid sit Virtus intelligendi, quæ potissimum humanæ mentis naturam constituit. Tunc mens nostra dicitur intelligere, cum citrà ràtiocinii laborem veluti unico obtutu clarè, & distinctè veritatem percipit, seù primas, & manifestissimas Artium, ac doctrinarum veritates intuetur. Quapropter virtus intelligendi nihil aliud est, quam vis, & impetus Animi ad verum inspiciendum, aut si majus, vis, quà Animus incessanter ad veritatem tendit, atque nisi à veritate, à nemine dirigi, & ferri patitur; sola enim veritas in virtute intelligendi habitat, ipsaque sola intelligentiæ imperat, ac intelligentiam ordinatissimè moderatur; Ex quo manifestè sequitur, intelligendi facultatem esse illam Animi virtutem, quæ sola Rationi, & veritati coujungitur. His expositis, intelligendi Virtutem immutabilem esse, sive firmissimam naturam esse ab interitu immunem, hoc pacto demonstramus. Virtus intelligendi rationi, & veritati conjungitur, in ipsa namque veritas, & ratio habitant, at veritas, & ratio sunt immutabiles; immutabilis, ac omninò firma igitur est intelligendi virtus, ut claudicare, aut corruere nullomodo possit, non minus, ac ipsamet ratio, ac veritas.

Quid sit intelligere in medium affertur.

Intelligendi virtutem immutabilem ac firmam esse ostenditur.

Deindè, cum intelligendi virtus ad solam veritatem tendat, & rationis dictamine solo gubernetur, necesse est, ut semper, & constanter eodem modo firmissimè agens, in solam, ac nudam veritatem citrà ullam mutationem tanquam in sui metam & scopum collimet. Hinc quæ nos intelligimus, semper, & eodem modo, eadem nempè certitudine, & necessitate intelligimus, ut secùs intelligi nequeant; quamobrem exempli gratia, primæ & manifestissimæ numerorum, aut figurarum affectiones, quæ semper eædem immutabiliter sunt, ad solam spectant intelligendi potestatem, quæ eodem firmissimo intuitu eas semper eodem modo, eademque evidentia inspicit, atque adeò citrà dubitationem affirmandum est, Virtutem intelligendi utpotè ad rationem, & veritatem com-

Intelligentia ad solam immutabilẽ veritatem, tanquam ad sui metam tendit.

comparatam, ſpeciem quamdam conſtantiæ, ſeu firmæ & immutabilis naturæ eſſe.

Hic tamen advertendum eſt, Auguſtinum haud abſolutè dixiſſe, virtutem intelligendi conſtantiam eſse, ſed tantùm cum limitatione eſſe ſpeciem quamdam conſtantiæ, his enim verbis indicare voluit, virtutem intelligendi, quæ in humano Animo emicat, non eſse perfectè, & omninò firmam, & immutabilem; ſed tantum imperfectè, in quantum non adeò inſigniter mutatur, ut prorsùs mutabilis dicenda ſit. Etenim cum ſuaptè natura utpote in Animo Imperfecto, & finito reſidens, terminata ſit, & ab infinita Increatæ Mentis perfectione ſummopere recedens, non ſingulas veritates comprehendit, neque plures ſimul eodem tempore veluti unico obtutu cernit, ſed ſucceſſione quadam alteram poſt alteram intuetur, atque veluti ſemper fluens ex una forma intelligendi ad aliam tranſit, ex quo mutatio quædam in ipſam inducitur, cum non ſemper eaſdem veritates intelligat, & ſemper ulterioris perfectionis capax ad novas veritates inſpiciendas inceſſanter aſpiret, & aſſurgere valeat, cui mutationi non ſubjacet quidem increatus Animus, qui tota ſimul, ac perfectiſſima rerum omnium cogitatio eſt, & ideo prorsùs immutabilis.

Virtus intelligendi quæ in humano emicat intellectu imperfecta & finita eſt.

PROPOSITIO SECUNDA.

Omnis virtus poteſt aliquid agere, nec cum non agit aliquid, virtus non eſt.

POſtquam autem Augùſtinus firmam, & immutabilem intelligendi virtutem eſſe oſtenderit, enititur deindè demonſtrare virtutem intelligendi, quæ noſtræ menti inſidet, poſſe aliquid agere, ad quod præſtandum, ſequenti utitur principio, Omnis virtus poteſt aliquid agere; ſiquidem nulla ſubſtantiæ vis intelligi poteſt, quin pariter ad aliquam actionem exercendam ordinata intelligatùr; ſecus enim haud robur, & virtus, ſed res iners, & omni robore deſtituta diceretur. Cum igitur intelligendi virtus ſit præſtantior vis, ac poteſtas humanæ mentis, qua corporibus omnibus antecellit, atque ad interminatam Supremi Conditoris intelligentiam magis accedit, quin etiam doctrinarum, & artium ſedes dicatur, evidenter infertur, verè poſſe aliquid agere.

Intelligendi facultas ad agendum ordinata.

Cum verò opponi poſſet, intelligendi virtutem, ſive mentem non ſemper actu in nobis agere, ut cum ſolis organicis facultatibus obſtricti, ſenſuum tantum, & imaginationis actiones exercemus, aut cum dormientes ab intelligendo ceſſamus; ideo huic difficultati occurrens Auguſtinus, ſecundam ſtatuit propoſitionem, nimirùm, nec cum non agit aliquid, virtus non eſt. Hujus aſſertionis ſenſus eſt. Subſtantiarum virtutes, ac facultates poſſe adhuc vivere, & exiſtere, etiam ſi actu nihil operentur, & quodammodo ſopitæ, & latentes in ſubjecto jaceant; atque adeò ex extinctione actionis nullo pacto ſequitur & ipſas virtutes extinctas eſse, ex quo tandem inferre videtur Auguſtinus, quod licèt ſæpiſſimè nullam actionem perficiat in homine Mens, nihilominùs adhuc ipſa vivit, & exiſtit. Soli enim infinitæ virtutis eſt, ut ſemper intrà ſe ipſam agat, cujus poſſe agere idem eſt, ac actu agere, ſecùs verò

Intelligendi vis Animo inſidet, etſi ille actu non intelligat.

ratiocinandum est definita, & imbecilli virtute rerum creatarum, quæ plura semper potest agere, quamvis actu non agat. Eodem modo quo juxta Epicuri principia in athomis ingenita quædam virtus se ipsas movendi motu gravitatis, & declinationis delitescit, tametsi hæc non semper agit, ut cum athomorum motus ob corpora invicem impellentia multifariam impeditur, ac deturbatur.

Numquam ab intelligendo cessat humanus Animus.

Attamen etsi in hoc loco videtur Augustinus concedere, intelligendi virtutem aliquando non agere, nihilominus si illius doctrinam, & philosophandi rudimenta attentè consulamus, intelligemus, virtutem intelligendi, sive mentem, secundum Augustinum, semper actu agere, quamvis non omnia, quæ potest, actu & simul operetur. Etenim cum immutabilis veritas, Dei nempè sapientia, ut ipse docet Augustinus semper humano præsideat Animo, qui in illam totus immergitur, necesse sum est, ut semper in actione & motu, ut ita dicam, sit nostra intelligendi potestas, in quam viva, & potens veritas semper agit, ideoque in Augustini opere de spiritu, & Anima, Animus semper vivere, ac semper in motu esse dicitur; juxtà tamen nostra principia, quæ solidè firmabimus in nostris investigationibus, talis indolis est hominis mens, ut semper & in quavis sui operatione se ipsam, ac Deum intelligere debeat, in quavis enim nostra cogitatione Dei, & Animæ notiones involuuntur. Concludamus igitur cum Augustino, intelligendi virtutem, aut semper agere, aut etiam dum non agit, existere, & in Animo regnare.

PROPOSITIO TERTIA.

Omnis porrò actio movetur, aut movet.

SEnsus hujus propositionis est. Quævis agendi virtus, seù ut cum philosophis loquamur, omne agens cum agit, aut movere, aut moveri, nimirum aut mutationem tantum in rem externam, in quam agit, inducere & tunc tantùm movet, aut etiam in se ipsum & tunc moveri dicitur. Siquidem vel agens ita operatur, ut ipsum neutiquam mutetur, nullamque novam impressionem in se recipiat, sed tantùm mutentur ea, in quæ suam exercet actionem, & tunc agens dicitur movere, non moveri, & hoc modo potissimùm Deus in res creatas agit, qui dum aliquid in illis operatur, nullam quidem mutationem subit, sed tantùm novæ perfectionis additione, & divinæ voluntatis impressione creatæ naturæ mutantur. Vel agens dum aliquid agit, novam quamdam affectionem, novumque modum in se excipiens, & ipsum etiam mutatur; quo pacto agens & moveri dicitur. Hic enim nomine motus venit ipsamet generalis mutatio, quovis modo contingat, quæ si virtuti agendi adveniat, hæc pariter movetur, si verò rebus tantùm externis ab agente sejunctis, tunc virtus movet, haud movetur.

Agens si operando mutatur, moveri, si immutatum verò manet, movere dicitur.

SYNTHESIS.

Animum hominis dupliciter immortalè esse demonstratur.

EX propositionibus quas in præcedenti Analysi firmauimus, duo validissima argumenta cum Augustino colligimus, quorum ope & huma-

humanum Animum ſemper vivere, & nihil illius ſempiternæ vitę in agendo mutationem officere, adverſus Epicuri dogmata planiſſimè oſtenditur.

En primum argumentum. Virtus intelligendi, quæ humano inſidet Animo, firma, ac ſtabilis quædam natura eſt, ſemper conſtantiſſimè eadem, ſi ad rationem, & veritatem, cui inſeparabiliter conjungitur, referatur. *Ex Prop.* 1.

Sed omnis natura, quæ firma, ſibique conſtans eſt, immutabilitate gaudet, ut ex eadem prima propoſitione patet.

Eſt igitur noſtra virtus intelligendi, ſpecies quædam immutabilis naturæ.

Atqui virtus intelligendi inſeparabiliter ineſt humano Animo, qui eſt illius ſubjectum, quo ſublato illa nec eſſe, nec vivere poteſt.

Si igitur interiret, ac mortalis eſſet humanus Animus, interiret etiam atque omninò mutaretur intelligendi virtus, quæ illi adhæret ex Prop. 3. Analyſis primæ argumentationis.

Concluditur ergo evidentiſſimè, ſi immutabilis aliquo modo eſt intelligendi virtus, ut hæc ſemper eſſe & regnare oporteat, & humanum Animum ſemper vivere, ac immortalem eſſe oportere. Hæc argumentatio in primam, & ſecundam jam expoſitam Auguſtini argumentationem recidit, totamque ſuam vim præcipuè hauſit ab immutabil natura rationis, & artium, quibus humana mens inſeparabiliter conjungitur, quod infrà novis, ac æquè ſolidis rationibus conſolidare ſtudet Auguſtinus.

Alterum argumentum. Intelligendi facultas, quæ in humana mente tanquàm in ſubjecto elucet, cum non agit, ſeu ab actione ceſſat, haud extinguitur, ſed adhuc eſt, & vivit in Auimo atque capax eſt agendi ex Prop. 1. & 2. præcedentis Analyſis.

Atqui cum intelligendi Virtus non agit, ſeu ab actione ad actionis defectum tranſit, deficiendo mutatur, nam dum ab actione removetur, exuitur quidem formà, & perfectione, quæ in actionis robore, & energia continetur. Intelligendi igitur virtus etiamſi aliquando actione deſtituta aliquo modo deficiat, ac mutetur, non ideò tamen interit, aut omninò mutatur, ſed adhuc manet, & conſtantiſſimè ſubſiſtit.

Conficitur ergo, ſemper vivere; & immortalem eſſe humanum Animum, licet in ipſo aliquatenus mutetur, ac deficiat intelligendi Virtus, atque adeò non quævis mutatio, quæ contingit in Animo, illum interimit, ac deſtruit, ut ſanè aliqualis mutationis defectus poſſit cum ipſa Animi immortalitate coniungi.

Deinde hoc idem apertè colligitur ex Tertia Propoſitione præcedentis Analyſis. Etenim ſi omnis actio neceſſariò aut movet, aut movetur, & intelligendi Virtus, quæ animo noſtro inhæret, ſuam naturalem operationem, aut ſemper, aut frequentiſſimè exercet, neceſſum igitur eſt, ut intelligendi Virtus cum agit, aut moveat, aut moveatur, modo ſuprà expoſito.

Atqui ſive hæc moveat, ſive moveatur, ſemper eſt, & immutabiliter in humano Animo vivit, ut demonſtratum eſt.

Elucet igitur in Univerſo aliquid quod immortale, & non omninò mutabile eſt, ſive moveat, ſive moveatur, atque adeò non omne quod

movetur, aut movet, mutabile, ac mortale est.

Demus autem, intelligendi Virtutem, quæ in humano Animo continetur, non movere, sed moveri, cum in suam congruam actionem erumpit. Jam evidenter infertur, humanum Animum non interire, seu non omninò mutari posse, quamvis intelligendo moveatur, seu in aliquam mutationem incidat.

Non tantùm semper vivere, verum & incorporeum esse Animum ostenditur.

Ex quibus tandem Augustinus evincit, primò non tantùm semper vivere Mentem hominis, verùm etiam & incorpoream esse, cum nullum existat corpus à corruptione immune. Quidquid enim corporeum, & extensum est, cum in partes solubile sit, & mortale esse necessum est. Deinde colligit multò magis Virtutem intelligendi à corruptione, & mutatione alienam esse, si non movetur, sed movet: quo pacto manifestissimè Deum se habere constat, qui singulas res creatas movens, ipse immotus, omninò immutabilis, ac sempiternus est. Hinc subtiliter ait Augustinus, Quare decerto iam, & sine ulla disiunctione concluditur, non omne quod movet, mutari.

ANALYSIS SECUNDAE PARTIS

PROPOSITIO PRIMA.

Nullus motus sine substantia.

SI huius Assertionis voces adamussim exponantur, illicò quam ipsa veritati consonet, evidenter nobis innotescet. Nomine motus hìc sola localis motio venit, quæ duplex est; altera quippè dicitur Forma motus, seu ut Scholæ loquuntur, motus formalis, qui nihil aliud est, nisi ipsiusmet corporis præsentia diversis partibus loci, seu successiva quædam corporis applicatio ambientibus superficiebus corporum, quæ illud immediatè tangunt, quem præsentiarum fluxum & successionem, alii Democriti Sectatores translationem corporis ex uno ad aliud spatium appellarunt. Alter verò motus dicitur efficiens, qui non est ipsamet corporis præsentiarum mutatio, aut ex loco ad locum translatio, sed potiùs vis, & robur, cuius virtute motus forma in corporibus procreatur; quæ nimirum Causa, & Ratio est, cur corpus præsentiam mutet, ac diversis locorum partibus applicetur; quæ duo diligenter secernenda sunt, ne motus formam cum illius causa, & principio confundamus. In quam rem minimè animadvertentes, stultè, ac leviter quidam cæcutientes philosophi de motus natura sermocinantur. Nomine verò substantiæ hìc venit res per se existens, sive simpliciter, & absolutè, ut Deus, sive repræsentativè, ut corpus, aut finitus Animus, quæ quidem substantia concipitur tanquàm fundamentum, & subjectum, cui singulæ rei proprietates inhærent, atque adeò tales præstantissimæ est indolis, ut ipsa, omni illius passione posthabita, incolumis manere intelligi possit; secùs verò passio, aut modus ipsi adhærens, qui dempto subjecto, confestim interire concipitur. His explanatis, iam manifestè liquet Augustinensis propositionis veritas. Ac primùm si consideretur forma motos, ut ex illius definitione constat, evidentissimum est, non posse existere motum, quin sit, & existat corporea substantia, cujus inse-

Localis motus indoles exponitur.

Quàm stultè quidam motus localis formam cum efficiente illius causa confundant?

Motus necessariò corporibus inest.

inſeparabilis modus & paſſio eſt. Nequit enim eſſe, aut intelligi mutatio præſentiarum, aut ſucceſſiva applicatio rei diverſis partibus loci, quin pariter ſit, & intelligatur corpus, quod præſentias mutet, ſucceſſivè applicetur, aut transferatur modo ſupra expoſito; Idcirco forma motus nihil aliud eſt, niſi ipſummet corpus ſucceſſivè ſeſe applicans partibus ſpatij, aut ſucceſſivè præſentiam mutans, ut ad vicina corpora comparatum. Concluditur igitur iuxta hunc primum ſenſum nullum exiſtere motum ſine ſubſtantia, qui nempè ſubſtantiæ tanquam ſubjecto non inhęreat.

Si verò venit motus efficiens, etiam manifeſtiſſimum erit, nunquam adeſſe motum, niſi adſit, & eluceat ſubſtantia. Siquidem motus efficiens, ut expoſuimus, eſt ipſa vis, ſeù actio, qua producitur in corpore forma motus, nulla autem vis, ac poteſtas corpora movendi exiſtere, & intelligere valet, quin una ſit, & intelligatur ſubſtantia, ſive res, quæ moveat, & ad quam actio & movendi virtus ſpectent; quapropter in univerſum fatendum eſt, nullum abſolvi, & exiſtere motum ſine ſubſtantia, quod erat demonſtrandum.

Motus efficiens a ſubſtantia profluit.

PROPOSITIO SECVNDA.

Omnis ſubſtantia aut vivit, aut non vivit.

AD hanc aſſertionem demonſtrandam opus eſt, ut primò quid ſit vivere, aperiamus, quod duplici modo Auguſtini veſtigia calcantes præſtabimus; Et primò, ſi verę ac legitimæ vitæ naturam expendamus, ſtatim intelligemus vitam nihil aliud eſſe præter ipſum Animum, ſeu præter facultatem intelligendi, ut propriè nihil aliud ſit vivere, quàm intelligere; Hinc tantùm verè vivunt, quæ intelligentià prædita ſunt. Vivit enim vera, & ſincera vità, tantum id, quod ita eſt, ut ciat, & intelligat ſe eſſe, ac vivere, hoc autem ſolis naturis intellectivis competit, quæ ſunt, & ſciunt ſe eſſe. Si vita hoc modo accipiatur, jam patet, diſcrimen inter ſubſtantiam vivam, & mortuam, ea namque ſubſtantia vivit, quæ intelligendi virtute pollet, illa verò mortua eſt, & vità caret, quæ intelligentià deſtituta eſt.

Quid ſit vita exponitur.

Solæ naturæ intellectivæ vere vivere dicuntur.

Deindè ut hìc indigitare videtur Auguſtinus, nomine vitæ poteſt intelligi ipſamet vis, ex qua localis motus forma proficiſcitur, ita ut vivere idem ſonet, ac movere. Hoc pacto vulgò vitam tribuere ſolemus illis ſubſtantiis, in quibus principium aliquod inſitum deliteſcit, ex quo movendi virtus oritur, in quibus nimirum motus energia, & robur intùs continentur, ut plantis, & brutis Animantibus contingere imaginamur. Idcircò iners, ac emortuum illud exiſtimamùs, in quo nulla movendi poteſtas abſconditur. Iuxtà hãc vitæ acceptionem planè patet, omnem ſubſtantiam, aut vità gaudere, aut non vivere, vità perfruitur ea, quæ movet, in qua ſcilicet vis, & energia motus elucet, vità verò caret quævis ſubſtantia, quæ haud movere, ſed tantum ſuaptè natura moveri poteſt, idcircò ex ſe vivere dicatur ſubſtantia, cui motus efficiens ineſt, mortua verò illa, quæ ſolius formæ motus capax eſt; concludamus igitur juxtà utramque vitæ ſignificationem, quod omnis ſubſtantia aut vivit, aut non vivit, quod erat ſanè demonſtrandum.

Quandoquidem vivere ea dicuntur, quæ movendi poteſtate pollent.

PRO-

PROPOSITIO TERTIA.

Omnis substantia, quæ non vivit, exanimis est, & nulla exanimis actio.

Hæc propositio duo amplectitur, primum est, substantiam, quæ non vivit, exanimem esse; Alterum est, nullam elucere actionem, quæ sit exanimis; ut autem utrumque facilè intelligatur, advertendum est illud secundum Augustini mentem exanime appellari, quod aut Anima non est, aut in quo Anima minimè vivit. Nomine autem Animæ hic intelligitur ipsamet vita, nempè aut res intelligens, aut principium movendi, in qua scilicet formæ motus causa, & origo regnat, atque adeò juxtà hanc Animæ acceptionem, animatum dicitur omne id, quod se ipso non vivit, sed vitam, nimirùm Animam in se continet, quæ in ipso agat, & operetur. Hinc Anima dicitur se ipsà vivens, animata verò Animæ accessu, & virtute tantùm vivere dicuntur, atque adeò evidens erit, quod ab Augustino statuitur, nullam substantiam vivere, quæ sit exanimis, quæ scilicet aut non sit ipsa Animæ vita, aut in ipsa virtus Animæ non efflorescat.

Quid hic actionis nomine veniat, aperitur.

Altera propositionis pars, nempe nulla actio exanimis est, ut planiùs intelligatur, explicandum est, quid in hoc loco intelligat Augustinus actionis nomine. Iam ex rebus suprà expositis, ac demonstratis liquet, hìc nomine actionis venire, aut ipsum actum intelligendi, qui est spiritalis vitæ exercitium, aut ipse motus efficiens, vis nempè & causa motus, quem, barbara voce, formalem plures appellarunt. Quapropter idem hic sonat nullam effulgere rationem, quæ sit exanimis, ac nullum posse dari intelligendi usum sine Anima, nimirum sine vita intellectiva, aut nullum existere motum efficientem, quin existat Anima, seu vita, ac principium, à quo ille profluat.

Nullã actionem exanimẽ esse demõstratur.

Quod autem nulla sit actio exanimis, si primum sensum amplectamur, id nullam sanè difficultatem patitur. Etenim evidens est, nullum posse dari intelligendi exercitium, quin sit, & intelligatur Anima intelligens. Potius videtur obscuritate aliqua laborare, & probatione indigere propositio juxtà secundum sensum, quod scilicet nullus motus efficiens sit exanimis, nam si hoc verum est, verum etiam erit, vim, & causam motus soli Animæ insidere. Cum autem propriè Anima sit ipsamet vita corporum, ut ait Augustinus, quæ prorsus incorporea, & spiritalis est, quin etiam immortalis, ut infrà cum Augustino demonstrabimus, sequeretur principium, & originem motus haud corporibus, extensis nempè, & corruptibilibus naturis, sed tantùm incorporeis, & sempiternis Animis congruere. Attamen non omnes Philosophi in hanc sententiam conveniunt, cum non omninò manifestum sit, singula corpora movendi virtute carere, ut forma motus non à corpore, sed ab incorporea, & intelligenti natura solùm emanare tanquam à causa valeat. Hinc adhuc sub litem, & contentionem cadit, an corpus sit tantùm ad patiendum aptum, omnis actionis expers, ut solùm ei moveri, non verò movere competat. Ut autem juxtà utrumque sensum & in universùm verum esse, nullam vigere actionem, quæ sit exanimis, quæ nem-

Movendi vis solis intellectivis & incorporeis substantiis congruit.

Adhuc sublite est an agendi potestas insideat corporibus, an verò solis immortalibus ac inextensis rebus?

nempè à principio incorporeo & intellectivo non oriatur, evidenter firmemus, manifestè ostendendum est, corpus suaptè natura nihil agere, seu esse omni actione destitutum; quod si verum demonstrabimus, illicò innotescet, solos immortales, & inextensus Animos verè agere, atquè adeo verè vivere, cæterisque rebus robur, & vitam elargiri, ad quod obtinendum.

Hoc pacto philosophamur. Agere substantiarum est. Actio scilicet nota, & caracter est substantiæ, quà substantia à modi, & accidentis natura distinguitur. Siquidem omnis actio ab agendi virtute, & potestate profluit; Virtus autem agendi nihil aliud est, nisi ipsius rei, quæ agit, vis, robur, ac potestas, ipsa nempè rei vita. Nam non ob aliam rationem res, ac substantiæ vivere, & esse dicuntur, nisi quia agendi virtute pollent, cujus ope se ipsas veluti tuentur, sustinent, suas facultates exercent, in se ipsis, ac in aliis rebus operantur, atque adeò agendi virtus insignior, ac robustior substantiarum perfectio est. Est enim ipsius substantiæ vis, quà nihil in re fortius, nihilque præstantius; quidquid autem primum validius, ac præclarius rei attributum est, profectò ipsamet res, ipsaque met substantia est. Quippè quod in substantia primum, & insignissimum est, ipsius substantiæ quidem tota natura est. Etenim si agendi virtus substantia non esset, se ipsà sanè non existeret, sed alteri tanquam subjecto, ut esset, inseparabiliter inhæreret. Porrò quidquid se ipso non existit, sed ratione alterius est, ac vivit, quavis sanè vi, & agendi potestate caret. Nam quod ex se non existit, sed alterius ope, neque se ipso, sed altera re auxiliante agit, siquidem si se ipso ageret, etiam se ipso existeret; æqualis enim roboris est se ipso agere, ac se ipso existere, imò præstantius videtur agere, quam existere, cum nequeat res existens intelligi, quin primò intelligatur vis, & actio, ratione cujus res est, & existit. Si igitur aliquid ex se habet ut agat, nil sanè prohibet, quin ex se habeat, ut existat; Neque intelligi potest vis aliqua agendi, quæ se ipsà non agat; secus non ipsamet virtus, ipsumque agendi robur esset; quodnam, quæso, robur, quæ potestas effulgere possunt in eo, quod beneficio alterius, haud se ipso agit, hoc enim haud roboris, & vis, sed imbecillitatis, & infirmitatis nota, & caracter est. Quapropter si agendi virtus se ipsà non existeret neque se ipsà ageret, atque adeò agendi potestas esset, & pariter non esset, in quo manifesta falsitas rerumque pugna continentur.

Solæ substantiæ verè agit. Actio substantiæ caracter ac nota est.

Manifestissimum igitur est, virtutem agendi substantiam esse; atqui nullum corpus verè, & propriè substantia est, nullum igitur corpus ad agendum potens est, seù ingenita agendi virtus nulla in corpore est, atque adeò nulla viget actio, quæ à corpore tanquam à suo principio, & origine proficiscatur. Nam id verè substantia est, quod se ipso, haud in altero existit, secùs haud substantia, sed substantiæ modus, & affectio esset, attamen id quod hoc modo existit, monades, seù ipsamet Unitas est, nisi enim aliquid unum perfectè sit, nullo modo se ipso existere potest. Atqui nullum corpus unum perfectè est, cum suaptè natura ab unitate recedens, nihil aliud nisi numerus sit, infinita scilicet quædam partium multitudo; nullum igitur corpus se ipso existit; quapropter corpus substantia non est; corpus enim existit ratione Unitatis, cujus virtute est, ac conservatur; Unitas verò se ipsà vivit, & existit, quæ numerum

Solæ unitas vere substantiæ est.

merum necessariò præcedit; omnis quippè numerus ab Vnitate profluit & ideò est, quia Vnitas est; quæ evidentissimo ratiocinio in nostris Investigationibus fusè ostendemus, cùm de natura numeri, & unitatis agemus.

Ab Vnitate haud à numero profluit actio.

Si ergo actio quævis à substantia profluit, & nullum corpus verè substantia est, sed tantùm unitas, necessùm est, ut omnis actio ab unitate profluat, atque omnis agendi virtus soli unitati insideat, imò & ipsa sit unitas; Non est igitur unitas corpus, insectilis, igitur, & inextensa est, atque adeò incorporea, secùs haud unitas, sed numerus, nempè corpus esset, omnis ergo actio ab incorporea, & insectili re emanat, nulla igitur actio exanimis est, seu nulla elucet actio, quæ ab Anima, ab incorporea scilicet, & indivisibili natura, quæ unitas haud numerus sit, ortum non ducat. Cum ergo movendi potestas vera, & insignissima quædam agendi sit Virtus, cuius ope corporeus Vniversus regitur, exornatur, ac perficitur, evidenter infertur, movendi potestatem soli Animo, haud corporibus convenire, ut corpus ad patiendum, Animus verò ad agendum sit natus. Porrò motus efficiens, ex quo motus forma in corpora derivatur, soli Animo inest. Idcirco concluditur, solam substantiam, quę vivit, & cui verè, ac propriè substantiæ natura congruit, movendi potestate gaudere.

SYNTHESIS.

Humanæ Animæ ostenditur immortalitas.

PRopositionibus præcedentis Analysis diligenter expensis, unusquisque nostrum ad Mentis immortalitatem sibi aperiendam, hoc pacto in suas actiones accuratè animadvertens ratiocinetur. Cum sedulo id quod in me peragitur, cogitatione revolvo, inter cæteras meas affectiones mei corporis motus mihi sese offert; Etenim meum corpus diversimodè moveri, ac ex uno ad alium transferri locum percipio, non tantùm enim in illius crassioribus organis, verùm etiam, & in subtiliori parte motus, & quædam veluti perpetua agitatio regnat Hanc autem motus formam ad corpus spectare, corporis modum, & affectionem esse satis intelligo, non enim transfertur, ac successivè præsentiam in spatiis mutat nisi corpus. Ex *Propos. Prima.*

Attamen non tantùm motus formam verùm etiam, & motum efficientem in me vigere citrà dubitationem intelligo. Adest enim in me principium, quod corporis organa, illiusque tenuiorem inclusam substantiam commovet, & agitat; Nam effulget in me Virtus quædam, cuius nutu, & voluntate corpus meum movetur. Siquidem si nunc mihi arrideat, ut a quiete recedens hoc brachium sursum, aut deorsum aut in orbem moveatur, & celerrimè agatur, illicò intueor brachium meę voluntati obtemperans moveri. Elucet igitur in me movendi potestas, motus scilicet efficiens, atqui nullus motus sine substantia; ex propos. prima, floret igitur in me substantia, ex quo motus efficiens, movendi nempè vis emanat. Effulget ergo in me substantia, quæ vivit, quæ nimirum haud exanimis, sed ipsamet vita est. Ex *Propos. Secunda.*

Atqui hæc viva substantia profectò corpus non est, quod se ipso neutiquam vivit, neque ad agendum aliquid potens est, atque adeò a vera substantiæ natura alienum ex *Propos. Tertia.*

Id

Id igitur quod in me vivit,& cui movendi robur insidet, Animus est, potestas nempè mea intelligendi sub cuius imperio regitur corpus ac movetur. Est igitur animus,qui in me vivit, insectilis', & incorporeus, Vnitatis perfectionem ac vim, haud numeri, seu corporis inertem imbecillitatem continens. Si autem indivisibilis inextensus se ipso existens,substantia scilicet est Animus,semper ergo vivit,nunquam interit Animus. Quidquid enim incorporeum est, in partes dissolvi non potest,quod verò a partium dissolutione immune est, ut ipsemet Epicurus docet,immortale est. Idcircò si in homine principium aliquod viget, quod movet, quod agit, ut movendo, nullam,ratione loci,mutationem subeat (nihil siquidem nisi extensum, & corporeum sit in locis moveri, & transferri potest) necessum est, ut in homine principium quoddam sempiternum, & incorruptibile vivat, quod ipsemet Animus quidèm est. Hinc evidens est Augustini conclusio, nempè, Illud igitur quod ita movet,ut non mutetur, non potest esse nisi viva substantia; cuius assertionis sensus est,Principium,quod in homine agit, & corpus movet, & ita movet,ut nullo pacto ad locum comparatum moveatur, cum inextensum,& à spatiorum circumscriptione immune sit, non potest esse, nisi ipsemet Animus,qui solus verè vivit,& substantia est,atque adeò incorporeus, & immortalis, quod erat demonstrandum.

ANALYSIS TERTIAE PARTIS

PROPOSITIO PRIMA.

Corpus cum movetur, & loco & tempore mutatur.

NVllo ratiocinii labore ad planam huius assertionis intelligentiam opus quidem esset,si quid sit corpus,quidvè loco,& tempore mutari intelligeremus.Corpus, ut diximus nihil aliud est nisi res sectilis, & inextensa, quæ scilicet, quemadmodum ipsemet admonet Augustinus, Lib. de Genesi ad literam, longitudine, latitudine, & altitudine loci spatium occupat,secundũ locum autem moveri,ut ex Propositione Prima præcedentis Analysis constat,idem sonat,ac corpus de loco ad locum transferri,aut successivè diversis partibus loci applicari. Jam apertum est,non posse corpus hoc modo transferri,& spatiis applicari,quin,dum movetur, locum, ac præsentiam vicinis corporibus semper mutet. Siquidem,ut præclarè hìc advertit Augustinus, corpus necessariò partibus instruitur,neque perfectè unum est,cum in partis secari possit,atque adeò necesse est,ut secundùm partes moveatur,ut scilicet successivè suas partes loci partibus applicet. Atqui nequit hoc contingere, quin corpus motum secundùm locum mutetur; Non enim quævis Pars totum locum,per quem movetur absorbet,& occupat,sed tantùm loci partem, ut totum corpus toti loco, Pars verò parti loci respondeat, quin etiam neque totum corpus universum spatium, per quod excurrit, totum implet,sed successivè,ut experientia cõstat,at quid hoc aliud est,nisi secundùm locum mutari? Mutatur enim ratione loci quidquid per locorum intervalla adeò transfertur, ut ab uno loco recedens, alium subingrediatur,huiusmodi enim dum corporis præsentia fluit, & nova quædam

Qua ratione locali accedente motu mutationem subire dicatur corpus.

ſemper procreatur, corpus inceſſanter mutari, opus eſt.

Corpus dum movetur non tantùm loco, verùm & tempore mutatur.

Non tantùm autem corpus, cum movetur, loco, verum etiam & tempore mutari oportet. Siquidem forma motus localis, quæ eſt ipſamet corporis translatio, & applicatio, modo expoſito, quantitas quædam fluens eſt, & ſucceſſiva, ut naturalis ſcientiæ, & matheſeos cultores loquuntur. Ità enim fluit, ut una præſentia alteri ſuccedat tali lege, ut quæ nunc adeſt, prætereat, ac quæ futura erat, præſens fiat, ac tandem in preteritum tranſmutetur. Elucent igitur in motus forma præteritum, præſens, & futurum, quæ ſibi invicem ſuccedunt. Atqui præteritum præſens, & futurum nihil aliud ſunt, niſi ipſiuſmet fluentis temporis differentiæ, quibus integra temporis natura conſumatur. Manifeſtum igitur eſt, corpus tempore moveri, ita enim ſpatia conficit, ac per locos excurrit, ut motus principium, medium ac finis diverſis temporis differentijs reſpondeant. Eodem modo (ut ipſiuſmet Auguſtini verbis utar) temporis differentijs breviſſima etiam ſyllaba cum enunciatur, reſpondet, nàm cum illius finem audis, jam non audis initium, fluit ergo ſyllaba, atque tempori commenſuratur. Atqui cum corpus tempore movetur, pariter oportet, ut mutetur tempore, mutari enim ratione temporis nihil aliud eſt, quam talibus formis, & modis indui, ut, dum alter motus tranſit, adveniat alter, atque adeo diverſæ temporis differentiæ, fluentibus, ac ſibi invicem ſuccedentibus modis, ac formis, reſpondeant, ad quod etiam ſpectat, ut docet hic Auguſtinus, tardiùs, & celeriùs moveri, celeritas enim ac tarditas motus non tantum ad locum, verum etiam ad tempus ordinatur: dicitur namque idem corpus tardiùs, aut velociùs moveri ratione maioris, aut minoris temporis, quod ad idem perluſtrandum ſpatium conſumitur. Idcircò evidentiſſimum eſt, Omne corpus cum movetur, & loco, & tempore mutari. q. e. d.

PROPOSITIO SECVNDA.

Animus corpus tempore movens, tametſi ad unum finem tendit, tamen nec ſimul poteſt omnia facere, nec poteſt non plura facere.

Quid in humano corpore, cum illud impetrante Animo movetur, eveniat, accuratiſſimè expenditur.

STatim hujus aſſertionis veritas innoteſcet, ſi ad examen exquiſitè revocemus, quid in noſtro corpore contingat, cum illud, impetrante Animo, movetur. Moveat igitur Animus corpus, jam certum eſt, illum ad aliquem finem tendere, nimirùm vult, ac intendit, ut corpus per aliquod determinatum ſpatium excurrens a loco A. ad locum B. tanquàm ad motus terminum, ac metam transferatur. Expendendum igitur eſt, quid contineatur in hac Animi intentione perducendi corpus ad finem ſibi propoſitum, & pariter quid perficiatur in corpore, dum ex uno ad alium locum movetur; Et primò clarè patet, in hac movendi intentione plura eodem tempore repræſentari, nàm in primis occurrit Animo corpus ex uno ſpatio ad aliud transferendum. Deinde locus A. in quo jam quieſcere, & collocari corpus fingitur, qui locus ſe habeat ut initium, & principium motus, poſteà illi exhibetur integrum ſpatium percurrendum, quod intercedit inter locum A. & locum B. Tandem Animo in conſpectum ſe profert locus B. veluti meta, & finis

& finis motus, jam incipiat moveri moventis Animi virtute corpus, ut jam à loco A. receſſiſſe intelligatur, tunc ut agentis intentio perficiatur, opus eſt, primò Animum recordari motus corporis, qui jam præterijt, & in ſimul loci A. a quo receſſit corpus. Nam dum Animus cæpti motus corporis finem expectat. neceſſe eſt, ut cæpti motus memoriam teneat. Quomodo enim expectatur, ut deſinat, quod aut cæpiſſe excidit, aut omninò motum eſſe? Rursùs intentio peragendi, & perficiendi motum, quæ ſane præſens eſt, nullo pacto poteſt eſſe ſine expectatione finis, qui futurus eſt, dum igitur Animus corpus movet, in illius intentione, atque ideis duo neceſſariò elucent, memoria ſcilicet rerum præteritarum & expectatio futurarum, in motu jam cæpto præteritum, in motus termino, quem expectat, futurum quidem inſpicit.

Animus dum corpus movet & preteritum & futurum intuetur.

Cum igitur Animus corpus movet, plura quidem facit, nam memoriam tenet rei præteritæ, futurum expectat, atque ad eamdem metam tendens, corpus inceſſanter movet, donec illud in terminum incidat; Attamen quamvis plura hìc peragere videatur Animus, nihilominus non poteſt omnia ſimul facere, nimirùm nequit facere, ut eodem tempore corpus movens, finem, ad quem tendit, aſſequatur; Nam neceſſe eſt, ut corpus ſucceſſivè moveat, ut primò incipiat motus, deindè hìc per medium propagetur, tandem in terminum deſinat; Quæ omnia diverſis temporis differentiis reſpondent, ut nulla ratione ſimul coniungi valeant. Idcircò manifeſtiſſimum eſt, quod Animus dum corpus movet, nequit non plura facere, quamvis non poſſit ſimul omnia facere.

PROPOSITIO TERTIA.

In intentione Animi perficiendi motum corporis, præteritum, præſens, & futurum quodammodo in unum conjunguntur, in corpore verò, quod movetur, ſucceſſivè tantum & fluendo continentur.

TAmetſi primo aſpectu hæc propoſitio veluti Paradoxica, & nimis obſcura videtur, nihilominùs ſi diligenter illam trutinemus, quàm vera, & perſpicua ſit, facili negocio intelligemus. Quippè, ut in præcedenti propoſitione oſtendimus, cum Animus movet corpus, intentio motum abſolvendi profectò ad tempus præſens ſpectat, ſemper enim Animo præſens eſt voluntas perficiendi motum, dum corpus movetur, quæ tamdiù durat, quamdiù peragitur, & propagatur motus, donec ad metam, nempè ad locum B. corpus pertingat. Attamen in hac intentione, in qua, ut vidimus, præſens tempus viget, pariter cum eo, & præteritum, & futurum tempus quodammodò ſimul regnant. Tempus præteritum elucet in memoria Animi, qui cæpti motus corporis reminiſcitur, vivit verò in eadem Animi intentione futurum tempus, dum Animus ad finem tendens, id quod non eſt, ſed erit, expectat. Quapropter optimè dici poteſt, in eadem intentione Animi motum perficiendi, & præſens, & præteritum, & futurum mira quadam conjunctione ſimul congregari, ut eodem tempore, & quod eſt, & quod fuit & quod venturum eſt veluti invicem adnexa cernat Animus.

Singulas temporis differentias unica cogitatione veluti unit, & complectitur Animus.

Porrò non ità contingit in corpore, quod dum Animi nutu, & potestate movetur, haud singulas temporis differentias simul complectitur, sic enim movetur, ut continenter fluens, singulæ illius præsentiæ, & applicationes diversis locorum partibus nunquam eidem tempori respondeant, sed dum præterit altera, altera succedit, ut nunquam præsens cum præterito, futurum cum præsenti conjunctum simul inveniatur. Idcircò concludendum est, vim efflorescere in Animo temporum differentias adnectendi, qua virtute corpus omnino caret; quod erat demonstrandum.

SYNTHESIS.

Humanum Animum incorporeum ac sempiternum esse demonstratur.

CUm humanum corpus, dirigente Animo, movetur, & loco, & tempore mutatur. *Ex Prop.* 1.

Atqui dum Animus corpus movet, nullam neque loci, neque temporis mutationem subit.

Mutato igitur corpore, necessum minimè est, ut mutetur Animus, ac eamdem mutationem patiatur, quam patitur corpus. *Ex Prop.* 2. & 3.

Non est igitur corporeus Animus, sed prorsùs à corporis natura alienus; nam si corpus esset, & tempore, & loco mutaretur, atque eidem mutationi subjaceret, qua afficitur corpus, cum movetur.

Hoc idem ratiocinium diverso modo exponatur. Intentio Animi motum perficiendi, dum corpus movetur, neque loco, neque tempore mutatur. Non loco, quia dum corpus motum præsentias, & applicationes diversis locì partibus mutat, intentio peragendi semper eadem immutata est, ac semper eodem pacto eidem Animo præsens est: neque mutatur tempore, quia haud diversis temporis partibus respondet, sed singulas temporis differentias veluti in unum collectas complectitur. Siquidem, ut suprà demonstravimus, in eadem animi intentione, ea, quæ ad præsens pertinent tempus, & præteritum, & futurum, elucent, ut quæ, nisi successivè, & fluxu quodam tantùm in corporibus reperiuntur, invicem associata in animo videantur. Immutabilis est igitur & loco, & tempore motum peragendi intentio; non est igitur hæc in corpore, sed necessariò in sola viva, & vera substantia emicat. Nam cum in hac intentione non tantùm quædam immutabilitatis species eluceat, verum etiam & sublimis, ac excellens quædam vis tum corpus movendi, tùm singulas temporis differentias intelligendi, ac quodammodo in unum colligendi contineatur, evidentissimè infertur ipsam incorporeo, & intelligenti Animo adeò inhærere, ut clarissimè nobis indicet, quantùm & dignitate, & virtute corpori præstet Animus; qui dum non easdem mutationes patitur, quibus laborat corpus, sanè immortalis dicendus est, ut non opus sit illum interire, cum interit corpus.

Hinc denique concludit Augustinus nullo pacto arbitrandum esse, mori, ac necessariò mutari Animum, dum corpus, quod illius virtute movetur, mutationem subit, quamvis in eam sit intentus Animus, dum movet: quod si etiam concedatur, ait, moventem Animum aliquo modo mutari, dum motum in corpore procreat, non ideò tamen affirmandum est, posse tandem vità carere Animum; nam tametsi nullus interitus sine mutatione fit, & nulla mutatio sine motu, non tamen omnis muta-

mutatio interitum, omnisque motus mutationem operatur. Etenim optimè contingere potest, rem aliquandò mutationem quamdam pati, quin tamen interat, ac omninò vita evanescente mutetur. Quod in ipsomet corpore nostro manifestissimè patet.

Siquidem illud perpetuò fluens etsi dum multifariam movetur, & afficitur incessanter mutari, vel certè ætate dici possit, tamen non ideò interiisse, ac sine vita esse, fatendum est, dummodò Animæ vita & robur in illo vigeant. Non ideò igitur putandum est, Animum interire, ac vita privari, quanquam ei fortasse per motum corporis mutatio nonnulla contingat.

Vsus Augustinensis Argumentationis, & nostri Apparatus ad Epicuri fallacias detegendas.

INter audaciora argumenta, quibus utitur Epicurus ad Animæ humanæ mortalitatem ostendendam, Principem locum obtinet illud Lucretii Ratiocinium, quo Animam corpus esse, probatur, ex eo quod mutato, ac deturbato corpore, turbatur, ac mutatur pariter Animus. Iam in hujusmodi improbam Epicuri argumentationem accuratè animadvertens Augustinus, hoc pacto telum hostis retorquet in hostem, idem medium prorsùs adhibens, quod in usum vertit Epicurus; sequenti quippè modo solidè ac subtiliter ratiocinatur. Si hominis Animus ejusdem naturæ cum corpore esset organico, cum hoc mutatur, eamdem mutationis speciem necessariò subiret illi adnexus Animus, quod est ipsum Epicuri motivum ad Animæ mortalitatem demonstrandam; Atqui mutato corpore, non semper, & necessariò mutatur Animus, imò sæpissimè immutatus manet; etenim eadem incolumis constantissimè intelligendi facultas in eo latet, atque dum corpus tempore movet, & corpus loco, & tempore mutatur, intentio animi peragendi motum ab omni loci, & temporis mutatione abhorret, ut nullo pacto neque loco, neque tempore mutetur Animus. Non est igitur corporeus Animus, atque adeò intereunte corpore, minime perit, sed se ipso existens, ac vivens, incorruptus, ac integer manet.

Deinde ideò juxta Epicurum soluto corpore solvitur, & perit Animus, quia ille putat, Animum corporis affectionem, ac minutissimorum corporum congeriem, seu tenuissimum halitum in crassioribus organis infusum esse. Si igitur corpus non esset Animus, profectò intereunte corpore, non interiret.

Atqui neutiquam corpus est Animus; nam, ut demonstratum est, cum vis agendi tantùm insectili, & incorporeæ substantiæ congruat, & hæc in animo tantùm vivat, sequitur, incorporeum esse Animum; Actio enim ab incorporeo principio proficiscitur, nullum porrò corpus agere potest. Si igitur principium agendi in homine est animus, hic sane inextensus est, atque adeò immortalis. Ex eodem igitur motu, ex quo Epicurus Animæ mortem haurire studet, æternitatem sapientiùs colligit Augustinus. Iam si hujusmodi ratiocinio accedant ea, quæ in nostro firmavimus apparatu, illicò manifestissimè patebit, quod quantùm à veritate Epicuri Hypothesis removetur, tantùm ad illam Orthodo-

xa

xa doctrina accedit, atque adeo ut fallax, & penitùs improbabilis Epicuri sententia refellenda est.

Quarta Augustini Argumentatio ex artibus in Animo delitescentibus deprompta.

TEXTUS.

SI enim manet aliquid immutabile in Animo, quod sine vita esse non possit, animo etiam vita Sempiterna maneat necesse est. Nam hoc prorsùs, ita se habet, ut si primum est, sit secundum. Est autem primum. Quis enim, ut alia omittam, aut rationem numerorum mutabilem esse audeat dicere, aut artem quamlibet non ista ratione constare; aut artem non esse in artifice, etiam cum eam non exercet, aut eius esse nisi in Animo, aut ubi vita non sit esse non posse, aut quod immutabile est aliquando esse non posse, aut aliud esse artem, aliud rationem? Quamvis enim ars una multarum quasi cœtus rationum esse dicatur, tamen ars etiam una ratio dici verissimè, atque intelligi potest. Sed sive hoc, sive illud sit, non minùs immutabilem artem esse conficitur. Artem autem non solum esse in Animo artificis, sed etiam nusquam esse nisi in Animo Artificis manifestum est, idque inseparabiliter. Nam si ars ab Animo separabitur, aut erit præter quam in Animo, aut nusquam erit, aut de Animo in Animum continuò transibit. At ut sedes arti nulla sine vita est, ita nec vita cum Ratione ulli nisi animæ. Nusquam porrò esse quod est vel quod immutabile est, non esse aliquandò non potest. Si verò ars de animo in Animum transit, in illo mansura deserent istum, nemo artem docet nisi amittendo, aut etiam nonnisi docentis oblivione fit aliquis peritus sine arte. Quæ si absurdissima, & falsissima sunt sicuti sunt, & immortalis est Animus humanus. At enim si ars aliquando est, aliquando non est in Animo, quod per oblivionem atque imperitiam satis notum est, nihil ad ejus immortalitatem affert argumenti huius connexio, nisi negetur antecedens hoc modo. Aut est aliquid in Animo, quod in præsenti cogitatione non est, aut non est in erudito animo ars Musica, cum de sola Geometrica cogitat. Hoc autem falsum est, illud igitur verum. Non autem quidquam se habere animus sentit, nisi quod in cogitationem venerit. Potest igitur aliquid esse in Animo, quod esse in se animus ipse non sentiat. Id autem quamdiu sit, nihil interest. Namque si diutius fuerit in alijs animus occupatus, quàm ut intentionem suam in antecogitata facilè possit reflectere, oblivio, vel imperitia nominatur. Sed cum vel nosipsi nobiscum ratiocinantes, vel a alio benè interrogati de quodam invenimus, non alibi quam in Animo nostro invenimus. Neque enim, id est invenire, quod facere, aut gignere, alioquin æterna gigneret animus inventione temporali, nam æterna sepè invenit. Quid enim tam æternum, quàm circuli ratio, vel si quid aliud in huiusce modi artibus, nec non fuisse aliquando, nec non fore comprehenditur? Manifestum etiam est immortalem esse Animum humanum, & omnes veras rationes in secretis eius esse, quamuis eas sive ignoratione, sive oblivione, aut non habere, aut amisisse videatur.

PRO-

ANALYSIS

PROPOSITIO PRIMA.

Sedes artium in Animo tantummodò collocatur.

NUlla quidem nova probatione hæc Assertio indiget, satis enim in Analysi primæ Argumentationis demonstratum est, artes sive disciplinas haud in corpore, sed tantùm in Animo inseparabiliter vivere, in quo solum sedem suam obtinuit Ars, quam aut Rationum cætum, aut ipsammet Rationem esse admonet Augustinus, quod pariter in loco citato fusè enucleavimus. Tantùm hìc advertendum est, Augustinum retractasse id quod statuit, nimirùm vitam cum Ratione non competere nisi soli Animæ, quæ propositio sanè falsa est, quia, ut ipse ait, artes etiam vivunt in Divina Mente, in qua perfectissima vita summæ perfectæ Rationi coniungitur. Consulant, qui legunt, ea quæ nos aperuimus, ac firmavimus de duplici genere artium, & disciplinarum, quarum aliæ Archetypæ, derivatæ aliæ nuncupantur, ut deindè planè intelligant, quodnam intercedat discrimen inter Rationalem vitam Dei, & limitatæ hominum intelligentiæ. Evidentissimum igitur ex rebus iam ostensis est, artes haud nusquam, sed alicubi esse, in viva nempè, & intelligenti substantia, cui tanquam subiecto necessariò adhærent, ut ars florere nequeat, nisi in illius rei natura, in qua Ratio, & præstantissima intelligendi vita effulgent, quapropter ubi corporis inertis mors, ac imbecillitas tantùm adsunt, nulla profectò viget ars, nullaque regnat disciplina.

PROPOSITIO SECVNDA.

Artes immutabiles sunt, semperque vivunt.

HAnc veritatem solidè demonstravimus in Analysi primæ Argumentationis, Propos. tertia, ubi evidenter ostensum est, singulas veritates ac rationes, quas complectuntur artes, ac disciplinæ, nullam posse pati mutationem, vitaque sempiterna gaudere, quo pacto se habent primæ, & manifestissimæ figurarum, ac numerorum affectiones, quæ ad Geometricam, & Arithmeticam facultatem spectant. Exemplum quod hìc affert Augustinus, est ratio, seù natura circuli, quæ prorsùs immutabilis est, & æterna; Si quidem circulum esse figuram planam definentem in Lineam curvam, quæ undique sibi concors sit, & æquè à centro distet, adeò verum, & necessarium est, ut clarè intelligamus, circulum in nulla temporis differentia posse aliter esse; atque adeò nullam mutationem subire potest circulus, cuius pariter passiones, ut æqualibus radiis constare, diametros bifariam se secantes habere, immutabiles etiam, & ab interitu prorsus immunes sunt.

PRO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [363] - 335
PUBLIC DOMAIN

PROPOSITIO TERTIA.

Si aliquid immutabile, & ſempiternum eſt, eſſe tamen, ac vitam ducere non poſſit, niſi inſeparabiliter in aliquo ſubiecto, & illius ſubiectum ſemper eſſe, ac vivere, neceſſum eſt.

SUfficienter expoſuimus, & oſtendimus hanc Propoſitionem in Analyſi primæ Argumentationis, quin etiam adeò ex ſe huiuſcemodi veritas innoteſcit, ut nullus ratiocinii labor ad certam illius intelligentiam requiratur; nam quidquid immutabilitate perfruitur, & ut vivat, ac ſit, ſubiecto, cui inhæreat, neceſſariò indiget, evidens eſt & ipſum ſubiectum ſemper vivere, ac nunquam interire poſſe, ſecùs interiret, & à vivendo ceſſaret id, quod mortali, ac mutabili ſubiecto inhæret, atque adeò idem immortale pariter, ac mortale foret. Talis igitur poteſtatis eſt, ac roboris quævis immutabilis, ac ſemper vivens affectio, ut nemo poſſit unquam ab ea ſubiectum, cui ineſt, ſubtrahere, ac ſeparare; opus eſt ergo, ut illud ſemper vivat, ſi vità ſempiterna gaudet proprietas, quæ ei inſeparabiliter ineſt.

PROPOSITIO QUARTA.

In quovis hominis Animo Artes inſeparabiliter vivunt.

VT planiùs hæc propoſitio intelligatur, ac demonſtretur, primo homines in duo genera diſtinguimus, quorum primum amplectitur ſolos artifices, eos nimirùm, qui artium, ac diſciplinarum peritià exornantur, ut qui geometriam, aut arithmeticam callent: alterum verò imperitos tantùm homines continet, qui ſcilicet aut oblivione, aut ignorantia, & literarij ſtudij defectu nullam artem, ac diſciplinam exercent, ſeu de nulla veritate, & ratione artium, ac doctrinarum cogitant. Iam primo demonſtrandum eſt cum Auguſtino, Animo periti hominis ſcilicet artificis inſeparabiliter inhærere artes, quas in uſum vertit artifex. Hoc tamen facile probatur; nam ſi aliqua eſſet ratio, quæ hanc aſſertionem infirmaret, potiſſima eſſet, quia ſæpe artifex de arte ſua minimè cogitat, aut quia ars ab artifice ſejungi poteſt. Neutrum tamen verum eſt, atque adeò manifeſtum erit, artes inſeparabiliter artificis Animo inſidere.

In Artificis Animo artes inſeparabiliter lucent.

Ac primùm ex hoc, quod artifex aliquando in artes, ac diſciplinas quas poſſidet, neutiquàm animadvertit, nullo pacto inferri poteſt, tunc artes, ac doctrinas in artificis Animo interijſſe, aut non regnare. Si quidem ex eo quod geometra, exempli gratia, nunc de nulla figura cogitans muſicę artem exerceat, non ideò ſequitur geometricam diſciplinam in eo non eſſe, quam verè in ſe poſſidet, etiam dum muſicæ tantum dat operam. Non eſt quidem neceſſe, ut ſub Animi cogitationem ſemper actu cadat quidquid in Animo vivit, ac continetur, plura enim Animo inſunt, quorum tamen aliquando ex inconſiderantia ignorantiam habere putat; eodem pacto falſum etiam & alterum eſt, poſſe nimirùm artem ab artificis Animo diſſociari. Sejungatur enim ars

Ars Artificis inhæret animo, quamvis de arte ille non cogitet actu.

ab

ab artifice, si fieri potest, jam tunc ars, aut in aliquo subjecto ab Animo artificis diverso, aut nusquam erit, aut de Animo in Animum commigrabit; nullum tamen horum citrà apertam falsitatem contingere potest. Non potest enim ars extrà Animum in diversa substantia reperiri; nam ut demonstratum est, in sola rationali, & intelligenti substantia vivunt inseparabiliter artes. Neque dici potest, nusquàm esse artem, nam pariter ostendimus alicubi in aliquo subjecto florere, & existere artes. Neque tandem sustineri potest, quod ars ex Animo commigret in Animum; etenim nulla est ratio cur ars ab artificis Animo separata artificem deserat, & in alium Animum insinuetur. Hoc enim pacto dum artifex edocet artes, illas amitteret, artibus denudaretur, ut artem in discentium Animos infunderet; quo sane nil absurdiùs, atque ab ipsamet rerum experientia magis alienum. Idcirco omni posthabita dubitatione fatendum est, nulla ratione posse artem ab artifice separari; sed illi semper, & inseparabiliter inhærere. Semper ergo in artificis Animo vivunt artes.

Artes in Animo hominis imperiti pariter delitescere demonstratur.

Superest porrò, ut ostendamus non tantum in artifice; verum etiam & in Animo imperiti hominis semper vivere, ac delitescere artes, sive aut oblivione, aut ignorantia stulti, & ineruditi homines artibus minimè pollere falsò putent. Vt autem quilibet nostrum seipso inconcussæ hujus veritatis lucem intueatur, opus est, ut ab extranearum rerum consideratione sejunctus, seipsum, ut ita dicam subingrediatur, seipsum attentissime consulat, ac in suas operationes enixè animadvertat. Hoc enim pacto plurium liberalium disciplinarum rudimenta, ac veluti quædam fœcundissima semina latentia inveniet. Hinc mecum olim ratiocinans, ac me ipsum interrogans, quasdam insignissimas veritates, quæ, aut ad primam philosophiam, aut ad naturalem theologiam, aut ad geometriam, & arithmeticæ disciplinam spectant, haud citrà Animi voluptatem, in Animi mei recessibus delitescere, & effulgere intellexi. Hoc enim pacto me interrogare exorsus sum. Sum ne ego aliquid, an nihil? At respondebam me sanè a nihilo secerni, & verè aliquid esse. Quo pacto enim me interrogare posse intelligebam, si aliquid non essem; idcirco dum me interrogantem videbam, de mei existentia, jam certus eram; cujus nullo pacto deinceps ullam dubitationem habui. Inerant ergo Animo ideæ, seù ingenitæ notiones certitudinis, dubitationis, existentiæ, quin etiam & cogitationis. Non enim ob aliam rationem me interrogans vivere, & existere percipiebam, nisi quia certus, & conscius eram, me tunc me interrogare, & quid essem inquirere; in qua sane conscientiâ, & perceptione integra cogitationis natura sita est.

Quilibet se ipsum accurate consulens, in seipso disciplinarum ac artium semina ac rudimenta inveniet.

Author seipsum interrogans, in suæ mentis recessibus latentes reperit artes.

Postquam autem cogitationis, & existentiæ ideas in me reperiissem, cæpi deindè me interrogare an hæc mea cogitatio ejusdem naturæ esset, cum rebus corporeis sectilibus, & extensis, in quas carnis oculis continenter incurrebam, & illicò absque ulla hæsitatione respondi, inextensam, partibus, & mole carentem cogitationem esse, nullam siquidem molem, partes nullas, nullumque corporum tumorem in hac mea interrogatione, mei disquisitione, aut si mavis, interiori ratiocinio cernebam; quin etiam dum in singulas meas cogitationes animum intendebam, à mea consideratione confestim singula corpora fugiebant, ut

illas concipere non valerem, nisi ab Animo quidquid sectile, & extensum est, sejungerem. Idcircò, summopere gaudens, præter corporum ideas in Animo insectilis, & inextensæ naturæ notionem quamdam oblitescere satis intellexi. Qua occasione dum ex altera in alteram cogitationem transibam, percepi etiam in meo Animo insitas quasdam dubii, amoris, judicii, ratiocinii, & similium notiones extare, in quibus posteà severo disciplinarum exercitamento accedente, adultiori facta ætate, præstantiora quædam humanæ sapientiæ semina, ac elementa effulgere inspexi. Quot autem deindè veritates in ideis cogitationis, & existentiæ vidissem, verbis profectò exprimere nequeo. Nam eodem tempore, quo me interrogabam, an cogitans esem, & existerem, statim inveni ideam, in qua Entis infiniti natura repræsentatur. Dum enim intelligebam me aliquid esse, jam verè & ipsum esse, & me non omninò esse percipiebam: quo pacto namque, tunc ajebam, posem me concipere aliquid esse, si ipsum esse non intelligerem? Attamen non sum ego ipsummet esse, cum pluribus defectibus, & imperfectionibus afficiar; siquidem non omnia possum, innumera ignoro, ut potius incessantet deficere, & nihil esse videar, quasi inter ens, & nihilum collocatus; quo pacto tamen me deficere, me terminatum, ac finitum esse concipere posem, nisi primò & ipsum generalissimum infinitum ac primum Esse intellexisem, cujus ego vestigium sum, & imitamentum? Quapropter dum hoc modo me alloquens, sedulò ratiocinabar, augustissimam supremi Numinis ideam in mearum imperfectionum caligine, & infirmitate, ingenti gaudio, splendescere prospectavi, ex qua universæ naturæ posteà rudimenta, & architectonicas quasdam veritates, quibus potissimùm humanarum literarum studium innititur, severo auxiliante ratiocinio, eduximus. En qua ratione dum me interrogabam ac mecum commorabar, præstantiores humanæ sapientiæ veritates, quæ in me vere latebant, feliciter detegebam.

Author; quo pacto rudem & imperitum hominem interrogans, illum artium rudimenta jam scire invenerit, planissimè aperit.

Haud absimili modo imperitum, & rusticũ adolescentem olim interrogans, manifestè agnovi liberalium artium rationes in ipsis met animi penetralibus vivere, & abscondi. Etenim ut periculum facerem, an quod verum esse in me reperiebam, etiam & in aliis hominibus etsi incultis, & ignaris verè contingeret, sequenti modo imperitum juvenem interrogare cæpi. Hæc quæ tu tangis, & extra te ipsum regnare vides, quid quæso sunt? Respondit: esse plantas, stellas, metalla, Animantia, & id genus alia. Ad hæc ego eum rogabam, ut mihi aperiret, an hujusmodi corpora, quæ sensibus percipiebat, invicem differrent? At ille, differunt quidem, rudi sermone ajebat, & colore, & motu, & pondere, & levitate, quin etiam ratione quamplurium formarum, quas nos sensibiles qualitates appellamus. Ego tamen subjungebam, an ipse, si à corporibus hujusmodi sensiles affectiones sejungerentur, adhuc tamen aliquid incolume in illis manere conciperet? Cui interrogationi satisfecit dicens, se optimè intelligere, superesse in corporibus id, quod nos, cultiori idiomate, molem, ac trinam dimensionem nuncupare solemus, atque adeò planè indicavit se concipere tanquam basim, & materiem, in quam singula conveniunt corpora ipsammet extensionem secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quibus corporis natura absolvitur. Illum tamen iterùm interrogabam, an hanc molem, & secti-

sectilem magnitudinem, in quam convenire corpora cernebat, externis sensibus, an verò potius interiori intelligentiæ oculo intelligebat? Ipse tamen cum optimè videret, sensilem extensionem diversam esse, diversisque externis formis, & apparentiis instructam in singulis mundanis corporibus, quæ mole, magnitudine, & sensilibus aliis affectionibus nunquam omninò mutuò conveniunt, ideò affirmabat, se nullo sensu generalem, & commùnem hanc corporum extensionem percipere, sed eam solo Animo revolvere, adeò tandem suam mihi exposuit sententiam, ut illicò tanquam exploratum habui, Iuvenem jam in Animi sui penitioribus latentem ideam intelligibilis extentionis feliciter detexisse, quam sanè ipsemet rudis homo agnovit haud ex sensibus haustam esse, sed illam in suæ intelligentiæ secretis invenisse.

Deinde à Iuvene quærebam, an ipse posset concipere corpus, in quo simul conjunctæ longitudo, latitudo, & profunditas haud inveniantur? Statim firmiter respondit, se nullum corpus cogitatione agitare posse, quin illud simul longum, latum, ac profundum conciperet. At ego subdebam, an ipse suæ intelligentiæ vi posset hujusmodi corporis dimensiones mutuò sejungere, ut unam, cæteris posthabitis, mente assequi valeret, quia tamen illiteratus homo non facilè hæc capiebat, usus sum hoc exemplo. En dicebam, spatium aereo corpore occupatum, quod inter alterum & alterum hujus cubiculi parietem intercedit, quo intermedio ab invicem distare parietes dicuntur; quo posito illum interrogare cæpi, quot pedibus parietum distantia constaret? Ad hæc, viginti pedibus, ait, quid verò, subjungebam, tu in hac viginti pedum distantia verè concipis, an hujus interceptiaeris, seù spatii ipsas tres dimensiones simul, an duas, an unam tantùm. Ipse autem respondebat, se nullo pacto in latitudinem, aut profunditatem intermedii spatii animadvertere, de qua nihil prorsùs cogitabat, cum parietum distantiam animo revolvebat, sed solam longitudinem, cui tantum viginti pedum mensura & extensio congruebat. Post denique tot interrogationes Iuveni ostendi, ipsum in Animo possidere ideam indivisibilis distantiæ, seù nudæ longitudinis non latæ, neque profundæ, à cæteris nimirùm corporum dimensionibus dissociatam, quæ Geometrica linea nuncupatur, cujus natura ipsa nuda, & simplex longitudo est, quam sanè nullo pacto à sensibus externisque corporibus hauserat, sed in solo Animo invenerat, cum nulla hujusmodi linea sub sensum, & imaginationem cadat.

Postquam autem rudis homo à me interrogatus in hanc veritatem incidisset, ab illo quærere exortus sum. An hæc simplex, & nuda longitudo, quæ distantia nuncupatur, sit brevissima omnium linearum, quæ ex una ad aliam extremitatem duci possunt? respondit, se non posse intelligere longitudinem, quæ fuerit illa minor, ac brevior, secùs non ipsamet vera, & determinata distantia esset. En quo pacto ego dicebam; Animo tuo inest notio lineæ rectæ, nempè omnium brevissimæ, quam sanè nunquam sensibus percepisti, sed nuda cernis intelligentiâ. Iterùm interrogabam, an ità possent in eodem communi termino conjungi, & collocari duæ lineæ rectæ, ut spatium undique claudant? Responsum dedit, se neutiquam posse, atque adeò repetitis interrogationibus, veluti ex se ipso invenit in suaintelligentiâ illa duo manifestissima Geo-

metrarum pronunciata, duæ lineæ rectæ nequeunt comprehendere ſpatium, aut habere commune ſegmentum. Poſteà dum illum eodem pacto admonerem de planarum figurarum ratione, in quas ſolus intellectus, minimè ſenſus incurrit, rursùs interrogabam, quot lineæ rectæ requiruntur, ut ſpatium quaquaverſum claudatur, ſeù ut figuræ rectis lineis terminatæ procreentur? At ille, requiri, ajebat, ſaltem tres lineas rectas, atque adeò me tantùm admonente, clarè intelligere videbatur ſimpliciorem figuram planam rectilineam eſse triangulum, cujus figuræ quemadmodum & circuli, ſolùm à me interrogatus, plures insignes affectiones citrà ratiocinium detexit, quarum ingenitas quaſdam notiones in ſe poſſidere intelligebat, ut duo quævis latera ejuſdem trianguli eſse majora reliquo, angulo majori opponi latus majus, radios ejuſdem circuli invicem æquari, diametrum circulum bifariam dividere, diametros ejuſdem circuli ſe invicem in eodem centro æqualiter ſecare, diametrum circuli longitudine excedere ſingulas rectas lineas circulo applicatas, & id genus alia, quę omnia ad Geometrię Axiomata, & Theoremata pertinent. Trianguli laterum occaſione, de unitate, ac numerorum affectionibus Juvenem interrogare cępi, quid nempe eſset unitas, quo pacto differret à numero, qua ratione invicem numeri diſcriminentur? an eadem unitate ſinguli menſurentur, & ſimilia? quibus interrogationibus optimè ille ſatisfaciens, planè oſtendebat, ſe non tantum Geometricam, verum etiam & Arithmeticam diſciplinam callere, ut ipſemet, maxima lętitia affectus, intelligeret in ſuę mentis fundo, ac penitioribus Animi liberales artes efflореſcere, ac dcctrinarum ſemina, & vividiſſima quędam lumina deliteſcere. Vivunt ergò in humano Animo inſeparabiliter artes, tametſi ob imperitiam, aut ex ignorantia, & oblivione aliquandò putemus, artes aut in nobis extingui, aut in Animo noſtro ſedem non habere, ſive enim ſapiat, ſive deſipiat, ſive ſapiens, ſive ſtultus ſit homo, ſemper tamen in ſui Animi receſſibus vivunt, & regnant artes, quæ interrogatione, admonitione, aut ratiocinio excitatæ, illicò ſe dant in conſpectum, ac manifeſtantur.

Humanus Animus haud procreat artes, ſed illas jam procreatas in ſe ipſo reperit.

Poſſet tamen aliquis dicere liberales artes, ac rationes haud in Animo humano latere, ſed potius progigni, & illicò efformari ab Animo cum hic intelligit, ut artes invenire idem ſit, ac ab Animo procreari. Nihil autem abſurdius, & à veritate alienius dici poſſet: Etenim, ut in hoc loco arguit Auguſtinus, quidquid æternum, & immortale eſt, nequit temporali inuentione progigni; quid verò magis æternum, magiſque à mutatione abhorrens, quam ratio circuli, ſicuti, & ſingula ea, quæ in Arithmetica, & Geometrica diſciplina continentur; adeò æterna, & immutabilia, ut nec non fuiſſe aliquando, nec non fore intelligi poſſunt. Cum ergò Animus interrogatus, aut ſecum ratiocinans tantùm detegit, ac invenit artes in ſemetipſo deliteſcentes, nullo pacto eas efformat, ac progignit, ſecùs, quod temporarium eſt, ſempiterna procrearet.

Avocet ergò homo ſe ipſum à ſenſuum imaginibus, externarumque rerum ſimulacris, ad ſe ipſum redeat, ſui animi penetralia ſubingrediatur, atque ſenſibus, & phantaſiâ ſilentibus ſolam rationis vocem audire ſtudeat, ut planiùs intelligat ampliſſimum quemdam univerſum, ac

uti

uti dicam. Intelligibilem mundum in Animi penitioribus perpetuò regnare, in quo principatum, ac thronum immutabilis Veritas obtinet, ratio ſplendidiſſimè imperat, atque à morte immunes, liberales artes inhabitant. Concludamus igitur cum Auguſtino, in quovis Animo hominis, ſive periti, ſive imperiti artes ſemper, ac neceſſariò vivere.

SYNTHESIS.

LIberales Artes immutabiles ſunt ac ſemper vivunt ex *Prima, & Secunda Propoſ.*

Atqui in quovis hominis Animo artes inſeparabiliter vivunt ex *Propoſ. Quarta.*

Immortalis igitur eſt humanus Animus, ac ſemper vivit *Ex Prop.* 3. Quod erat demonſtrandum.

Vſus Auguſtinenſis Argumentationis, & noſtri Apparatus ad Epicuri Errorem oppugnandum.

EPicurus ut oſtenderet humanum Animum mortalem eſſe, ac tandem interire cum corpore, ad agritudinem, oblivionem, & ignorantiæ morbos, quos, corporis cauſa, ſæpiſſimè contrahit Animus, potiſſimùm recurrit. Siquidem ex huiuſmodi Animi mutatione ob ſolam corporis perturbationem corruptibilem eſſe, humanam Mentem infert. Attamen, ut hanc rationem contraria ratione falſitatis convinceret, ſubtiliter in hoc loco ſubiungere videtur Auguſtinus, atqui in ignorantiam, aut oblivionem, aut ſtultitiam, aut quamvis alterius morbi, & vitii ſpeciem, ob corporis depravata organa, aut mutationem, humano animo incidente, hic nullo pacto omninò mutatur, ſed adhuc in eo incolumis integra mentis natura conſervatur; non eſt igitur eiuſdem indolis cum corpore Animus, neque ſoluto, ac omninò mutato corpore, in extremam interitus mutationem incurrit. Immortalis igitur eſt humanus Animus; Nam ſive corporis occaſione ægreſcat, ſtultus fiat, obliviſcatur, ignorantiæ infirmitate laboret, nihilominùs, dum neceſſariò vivunt, & exiſtunt artes, neceſſe eſt, ut ipſe, cui inſeparabiliter artes inhærent, ſemper vivat, ac exiſtat. Idcircò evidenter innoteſcit, humanum Animum haud ſuaptè naturà mutato corpore, aliquo modo deturbari, ac impediri, ut ſomniatur Epicurus, ſed potiùs ex liberrima Supremi Numinis voluntate, ſeu ex primævis, & generalibus Creantis naturæ legibus, ut in noſtro Apparatu, & Lucretii confutatione, ſatis ſuperque expoſuimus.

Humanæ Mentis oſtenditur immortalitas.

Quin-

Quinta Augustini Argumentatio depromptaex necessaria humanæ Mentis coniunctione cum immutabili Ratione.

TEXTUS.

NVnc quatenùs accipienda sit animi mutatio videamus. Si enim Subiectum est animus, arte in subiecto existente, neque subiectum immutari potest, quin id quod in Subiecto est, immutetur, qui possumus obtinere immutabilem esse artem, atque rationem, si mutabilis animus, in quo illa sunt, esse convincitur? Quæ autem maior, quam in contraria solet esse mutatio, & quis negat animum, ut mille tam cætera, stultum alias, aliàs verò esse Sapientem? Prius ergò quot modis accipiatur, quæ dicitur Animæ mutatio, videamus, quæ ut opinor, manifestiores duntaxat, clariorèsque nobis duo sunt genere, Specie verò plures inveniuntur. Namque aut secundum Corporis passiones, aut secundum suas Anima dicitur immutari. Secundum Corporis, ut per ætates, per morbos, per dolores, labores, offensiones, per voluptates. Secundum suas autem, ut cupiendo, lætando, metuendo, ægrescendo, studendo, discendo. Hæ omnes mutationes si non necessario argumento sunt mori Animam, nihil quidem metuendæ sunt per se ipsæ separatim, sed ne Rationi nostræ adversentur, quæ dictum est, mutato subiecto, omne quod in subiecto est necessariò mutari videndum est. Sed non aduersantur. Nam illud secundum hanc mutationem subiecti dicitur, per quam omninò mutare cogitur nomen. Nam si ex albo cera nigrum colorem ducat alicunde, non minus cera est et si ex quadrata rotundam formam sumat, & ex molli durescat, frigescatque ex calida, at ista in subiecto sunt, & Cera subiectum. Manet autem cera non magis, minusue Cera, cum illa mutentur. Potest igitur aliqua mutatio fieri eorum, quæ in subiecto sunt, cum ipsum tamen iuxta id quod hoc est, accitur, non mutetur. At si eorum, quæ in subiecto sunt, tanta commutatio fieret, ut illud quod sub esse dicebatur, dici iàm omninò non posset, veluti cum calore ignis cera in auras discedit, eamque mutationem patitur, ut rectè intelligatur mutatum esse subiectum, quod cera erat, & cera iam non est, nullo modo aliqua Rationc quidquam eorum, quæ in illo subiecto ideò erant, quia hoc erat, manere putaretur. Quamobrem si Anima subiectum est, ut suprà diximus, in quo Ratio inseparabiliter ea necessitate quoque qua in subiecto esse monstratur, nec nisi viva anima potest esse Anima, nec in ea Ratio potest esse sine vita, & immortalis Ratio, immortalis est Anima. Prorsùs enim nullo pacto non existente subiecto suo immutabilis ratio permaneret. Quod eveniret si tanta accideret animæ mutatio, ut esse non animam faceret, ideſt mori cogeret. Nulla autem illarum mutationum, quæ sive per corpus, sive per ipsam Animam fiunt quamvis utrum aliquæ per ipsam fiant, ideſt, quarum ipsa sit causa non parva sit quæstio, id agit ut Animam non Animam faciat. Iam igitur non solum per se, verum nec nostris Rationibus formidandæ sunt.

ANA-

ANALYSIS

PROPOSITIO PRIMA.

Tunc solum interit res, cum illius insignius, ac necessarium attributum mutatur, ac perit.

AD hanc suadendam assertionem haud probatione, sed accurata tantum vocum expositione opus est. In qua vis re, sive substantià duplex modorum, sive attributorum genus distinguimus. Primùm amplectitur attributa, quæ dicuntur còntingentia, quæ nimirum ita rem afficiunt, seu ita rei contingunt, ut etiamsi pereant, & à subiecto separentur, adhuc tamen incolumis res manere, & subsistere intelligatur. Idcircò ex illorum mutatione, ac interitu, nullo pacto necessariò sequitur rem, cui ea inhærent, omninò mutari, ac interire. Alterum verò genus continet tantùm modos necessarios, qui scilicet, aut ipsammet rei naturam constituunt, aut necessariò, & inseparabiliter rei tanquam subiecto adhærent, atque adeò tantùm in subiecto valent, ut si ipsa mutentur, ac pereant, & subiectum penitùs mutari, & interire oporteat; ex quibus manifestissimè colligimus, non quamvis mutationem interimere, ac destruere subiectum, sed tantùm eam, in qua haud attributa contingentia, sed necessaria mutantur. Hinc etiam si res singula contingentia attributa amittat, si tamen in ea necessarium attributum incolume maneat, neutiquam perit.

Rerum attributa in duo genera distribuimus.

Vt hanc veritatem manifestiorem redderet Augustinus, pulcherrimo, & ingenioso ceræ exemplo utitur. In cera quemadmodum & in alijs corporibus duplicem modorum speciem consideramus, internos nempè, & externos. Appellamus modum intenrum, configurationem, ac dispositionem minutissimarum particularum, quæ primas concretiones, seu moleculas, efformant, quibus necessario cerę natura constat, quarum cum plures simul conjunguntur, sensile ceræ corpus constituunt. Dicimus verò modos externos ceræ eos, qui ad externam ceræ figuram, aùt ad situm, & variam molecularum dispositionem, & situationem spectant. Inter externos modos ceræ potissimùm enumerantur color, odor, durities, fluiditas, calor, frigus, figura, & id genus alia. Iam recens cera orbiculari figura prædita accipiatur, sanè si colorem respicias, flava est, si illam tangas, duram senties, gratum odorem emittit, & si eam digitis comprimas, tenuem sonitum quemdam edit: igni tamen illa admoveatur, jam orbicularis figura perit, cera liquescens duritie exuitur, non est sonora, odorem amisit, ac diversis formis induta sensibus apparet: nihilominùs tametsi tanta contingat mutatio, adhùc ceram manere, & subsistere dicimus, seu corpus illud, quod, urgente igne, liquescit, & novis exornatur formis. Ceram adhùc nuncupamus. Attamen, si tandem sollicitante flamma, ceræ moleculæ solvantur, atque in auras discedant, tunc ceram evanuisse, ac interijsse dicimus. Tamdiù igitur manere, & existere cera intelligitur, quamdiù in cera manent modi interni, sive attributa necessaria, etiamsi penitùs illius apparentes, & contingentes qualitates, sive

Pulcherrimo cere exemplo utitur Augustinus.

Ceræ modos tã externos, quam internos expendimus.

sive modi pereant, ac mutentur. Quapropter evidentissimè concludit Augustinus non quamlibet mutationem subjecti interitum operari, sed tantùm illam, in qua ipsamet natura subjecti, sive illius modi interni, & necessaria attributa insignem mutationem patiuntur. Quod erat demonstrandum.

Hinc obiter ex Augustini exemplo colligimus nihil horum, quæ in cera sensibus exhibentur, ad sinceram, ac legitimam ceræ naturam spectare; seu nulla ceræ forma, aut modus qui sub sensus, & imaginationem cadit, est ipsamet natura cerę; nam ut in exemplo vidimus, cum, torquente igne, cera singulas veteres formas sensiles amittit, dummodo ceræ subjectum maneat, minimè perit, sed adhùc manet incolumis, sive enim fluat, sive durescat, sive ex rotunda in quadratam, triangularem, aut aliam diversam figuram convertatur, sive nunc rarescens, majus occupet spatium, sive condensata in minori loco contrahatur, nihilominùs cera subsistere dicitur, dum in ea manet id quod ceram nuncupamus; at si ceræ natura sub sensum caderet, cum apparenter, seù quoad sensiles formas tota mutatur cera, hæc profecto perijsse diceretur. Non sensibus ergo, sed tantùm intelligentiâ ceræ, quin etiam, & aliorum corporum vera, & germana natura percipitur, ut haud sensilis extensio, sed tantùm quæ intelligitur ad corporis essentiam, pertineat. Quapropter stultitiæ, & levitatis redarguantur ij, qui intellectu posthabito, sensu tantùm duce, & ipsammet sensilium, & corporearũ rerũ naturam investigare, ac detegere posse contendunt.

Exemplo ceræ luculenter ostenditur interiorem corporis indolem nudâ tantùm intelligentiâ percipi.

PROPOSITIO SECVNDA.

Humanus Animus sive ratione suæ finitæ naturæ, sive corporis occasione, mutationem quamdam subeat, tantùm secundum attributa contingentia, non verò necessaria mutatur.

DVplicem, ut hic admonet Augustinus, mutationis speciem humanus patitur Animus. Si quidem aliquando mutatur ratione suæ finitæ & imperfectę naturæ. Quidquid enim finitum, & imperfectum est, dum ex se ad nihilum tendit, deficere quidem potest, atque adeò mutari. Cum autem limitata natura humani Animi sit ipsemet Animus, sequitur tunc Animum ratione suæ naturæ mutationem subire, cum Animus, ut Animus est, organico corpore semoto, mutatur: cum tamen nihil aliud sit Animus, quam ipsamet facultas, & virtus cogitandi, infertur tunc ratione sui mutari Animum cum in ipso modi cogitandi immutantur; cum nimirùm ex nolente sit volens, ex tristitia ad hilaritatem, aut ex odio ad amorem transit, aut cum discit, reminiscitur, & veteres cogitandi formas exuens, novas acquirit, quæ singulæ mutationes Animo ratione suæ naturæ contingunt. Deindè mutari etiam solet Animus corporis occasione, cum nempè mutationem subit, ut ipsemet loquitur Augustinus, per ætates, per morbos, per dolores, labores, offensiones, per voluptates. Etenim ex generalibus naturæ legibus, & liberrima Authoris voluntate, ut pluries exposuimus, adeò humanus Animus organico corpori obstringitur, ut mutato corpore, & ille pariter aliquo modo mutetur.

Quando, & quot modis humanus mutetur Animus.

Atta-

Attamen utroque modo mutetur Animus, sive ratione suæ finitæ naturæ quoad modos cogitandi, sivè conjunctionis cum corpore; tantùm dicendum est, mutari secundum attributa contingentia, non verò necessaria; ut autem hoc faciliùs intelligatur, necessum est, ut aperiamus, quodnam sit attributum inseparabile, ac necessarium Animi humani. Animus humanus nihil aliud est, nisi ipsa potestas, & virtus intelligendi, qua posthabita, aut extincta, illicò periret, & extingueretur Animus, qui ab intelligendo Animus, sive mens nuncupatur. Nam tametsi in Animo corpori conjuncto sentiendi, & imaginandi facultates contineantur, potestas tamen, quæ illi inseparabiliter inest, sine qua scilicet nullo pacto est, & intelligitur Animus, ipsamet intelligendi virtus est. Nulla autem intelligendi virtus subsistere, ac concipi potest, quin pariter immutabilis ratio, cui illa conjungitur, intelligatur. Nam ut suprà demonstravimus, intelligendi facultas haud circà res corporeas, & mortales, sed circà naturas immutabiles, æternas nimirùm, & incorruptibiles artium, ac doctrinarum veritates versatur. Idcircò tanto nexu intelligendi virtus immutabili rationi copulatur, ut illius insignius, ac summè necessarium attributum sit, cum immutabili ratione conjungi. ex quo apertè innotescit, quòd dummodo Animus rationi conjunctus intelligatur, suum nempè præstantius, ac primum attributum possidens, quovis modo, sive ratione suæ finitæ naturæ, sive corporis occasione mutetur, tantùm secundum attributa contingentia, non verò necessaria mutari. Hinc sivè sentiat, sive imaginetur, sive quòvis modo cogitet, aut ob corporis conjunctionem mutetur, modo exposito, si adnexus Rationi maneat, tantũ quod illi contingit, haud quod necessariò, inhæret, mutationem patitur: nam etiamsi ægrescat Animus, aut doleat, aut lætetur, aut alias passiones tùm ratione corporis, tùm quoad suos modos cogitandi subeat, nihilominus hujusmodi mutatione accedente, haud extingui, sed adhuc manere, & subsistere dicitur Animus. Idcircò non mutatur illius attributum necessarium. Concludendum est igitur, Animum humanum adhuc incolumem manere, & vivere, cum ratione sui ipsius, aut corporis mutatur, dummodò in eo illæsus conservetur, ac subsistat attributum necessarium, situm in conjunctione Animi cum ratione, seu immutabili veritate; quemadmodum adhuc subsistere, & manere cera dicitur, etiamsi singulæ illius contingentes formæ mutentur, dummodò in ea duret, & maneat attributum necessariò ceræ inhærens, seu ceræ constituens naturam.

Quovis modo mutetur humanus Animus, nunquã illius attributa necessaria intereunt.

Necessarium humanæ mẽtis attributum ipsamet intelligendi potestas est.

Intelligendi virtus necessariò immutabili rationi conjungitur, adeoque immortalis.

Nulla Animo secundum attributa necessaria contingit mutatio.

Quod autem attributum necessarium Animi nunquam intereat, sed semper illæsum maneat, quovis modo Animus, aut ratione sui, aut corporis occasione mutetur, apertissimè constat ex jam demonstratis assertionibus, in quibus evidenter ostensum est, adeò Rationem, immutabiles scilicet artes, ac disciplinas humano Animo conjungi, & inseparabiliter inhærere, ut nulla sit vis, ac potestas, quæ valeat Animum à ratione sejungere. Idcircò citra dubitationem erit nullam contingere posse in Animo mutationem, quæ illius necessarium attributum corrumpat, ac destruat, q. e. d.

Nunquam interire necessarium Animæ nostræ attributum jam satis ostensum est.

SYNTHESIS.

Humanum Animũ immortalem esse evidenter ostenditur,

QUovis modo mutetur humanus Animus, nisi intereat, & insignem mutationem subeat illius inseparabile, & necessarium attributum, haud interit, sed incolumis manet, ac subsistit. *Ex Prop. 1.*

Atqui quævis mutatio, sive ratione suæ finitæ naturæ, sive corporis occasione contingat Animo, illius tantùm contingentia attributa, non verò necessaria pereunt, & mutantur. *Ex Prop. 2.*

Nunquam igitur interit, acperit Animus, ex hoc quod ille, aut ratione sui, autcorporis, secundum contingentia attributa tantùm mutetur.

Atqui nullo pacto, nulliusque mutationis vi destrui, & interire potest attributum necessarium Animi, illius scilicet coniunctio cum ratione, secùs extinguerentur, & interirent immutabiles Rationis, Artiumque naturæ, quod sanè contingere minime potest, ut iam demonstratum est in Analysi primæ, & quartæ argumentationis.

Semper igitur incolumis, quavis mutatione accedente, vivit, ac manet humanus Animus, adeoque immortalis est, ac sempiternus.

Vsus Augustinensis argumentationis, & nostri apparatus ad Epicuri dogmata confutanda.

PRæcipuum fundamentum, cui innititur Epicuri doctrina de Animæ mortalitate, est mutatio, quæ induci solet in humanum Animum ob conjunctionem cum corpore Organico. Atqui ex hac mutatione nulla ratione deduci potest, quod hominis Animus sit mortalis, ac tandem soluto corpore intereat; fallax igitur & *nullius roboris* est Epicuri ratiocinium. Minor propositio liquidò patet primò, quia secundùm nostram Hypothesim potest optimè dici, & sustineri, humanum Animum haud ex sua naturà, sed ex liberrima Dei voluntate aliquam mutationem subire mutato corpore, ut in nostro apparatu copiosè exposuimus. Deindè jam solidè probatum est, quavis accedente mutatione, nullo pacto interire posse attributum necessarium Animi, atque adeo illum semper vivere, ac regnare. En quo pacto fallaciæ, & falsitatis ab Augustino, & nostro Apparatu convincitur Epicurus?

Argu-

Argumentatio sexta deprompta ex eo, quod immutabilis Ratio nulla vi ab humano Animo sejungi valeat.

TEXTUS.

Ergo incumbendum omnibus ratiocinandi viribus video, ut ratio quid sit, & quoties definiri possit sciatur, ut secundum omnes modos, & de Animæ immortalitate constet. Ratio est aspectus Animi, quo per se ipsum, non per corpus verum intuetur; aut ipsa veri contemplatio non per corpus; aut ipsum verum quod contemplatur. Primum illud in Animo esse nemo ambigit, de secundo, & tertio quæri potest, sed & secundum sine Animo esse non potest. De tertio magna quæstio est, utrum verum illud quod sine instrumento corporis animus intuetur, sit per se ipsum, & non sit in Animo, aut possit esse sine animo. Quolibet modo autem se habeat non id potest contemplari animus per se ipsum, nisi aliqua conjunctione cum eo; nam omne quod contemplamur, sive cogitatione capimus, aut sensu, aut intellectu capimus. Sed ea quæ sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiuntur, & locis continentur, undè nec percipi quidem posse affirmantur. Ea verò quæ intelliguntur, non quasi alibi posita intelliguntur, quam ipse qui intelligit animus, simul enim etiam intelliguntur; non contineri loco. Quarè ista conjunctio intuentis animi, & ejus veri quod intuetur, aut ita est ut subjectum sit Animus, verum autem illud in subjecto, aut contra subjectum verum, & in subjecto animus, aut utrumque substantia. Horum autem trium si primum est, tam est immortalis animus, quam ratio secundum superiorem disputationem, quod inesse illa nisi vivo non potest. Eadem necessitas in secundo est. Nam si verum illud, quod ratio dicitur, nihil habet commutabile sicut apparet, nihil commutari potest, quod in eo tangnam in subjecto est. Remanet igitur omnis pugna de tertio. Nam si Animus substantia est, & substantia rationi conjungitur, non absurdè quis putaverit fieri posse, ut manente illa hic esse desinat. Sed manifestum est, quandiù animus à ratione non separatur, eique cohæret, necessario eum manere, atque vivere, separari autem quatandem vi potest? Num corporea, cujus & potentia, infirmior, & origo inferior, & ordo separatior? Nullo modo Animali ergo? Sed etiàm id quo modo? An aliter animus potentior quisquis est, contemplari rationem non potest, nisi alterum inde separaverit? At neque ratio cuiquam contemplanti defuerit, si omnes contemplentur, & cum nihil sit ipsa ratione potentius, quo nihil est incommutabilius, nullo pacto erit Animus nondum rationi conjunctus eo qui est conjunctus potentior. Restat ut aut ipsa ratio à se ipsum separet, aut ipse Animus ab ea voluntate separetur. Sed nihil est in illa natura invidentiæ quo minùs fruendam se animo præbeat. Deindè quo magis est eo quidquid sibi conjungitur facit, ut sit, cui rei contrarius est interitus. Voluntate autm animum separari à ratione non minùs absurdè quis diceret, si ulla ab invicem separatio posset esse rerum, quas non continet locus. Quod quidem dici adversus omnia superiora potest, quibus alias contradictiones opposuimus. Quid ergò jam ne concludendum est Animum esse immortalem? An etiam si separari non potest? At si illa rationis vis ipsa sua conjunctione afficit Animum, neque enim non afficere potest, ita profectò afficit, ut ei esse tribuat. Est enim maximè ipsa ratio, ubi summa etiam incommutabilitas intelligitur. Itaque quæcunque ex se afficit, cogit esse quodammodo. Non ergò extingui Animus potest, nisi à

ratione separatus. Separari autem non potest, ut supra ratiocinati sumus. Non potest igitur interire.

ANALYSIS

PROPOSITIO PRIMA.

Quid sit humana Ratio, accuratissimè exponitur.

Triplicis Rationis natura exponitur ab Augustino.

RAtionis lumen, quod in singulis hominum Animis effulget, triplici tantùm modo posse intelligi, & explanari, præclarissimus admonet Augustinus. Ac primùm hoc pacto definit rationem. Ratio est aspectus Animi, quo per se ipsum, non per corpus, Verum intuetur, cuius assertionis sensus est, rationem esse visum, & intuitum ipsiusmet Animi veritatem prospectantis; seù esse quodammodo interiorem intelligendi oculum, quo Animus veritatis lucem, per se ipsum, haud per corporis auxilium intuetur. Siquidem cum Animus incommutabilem Veritatem, quæ in Artibus, ac Disciplinis continetur, inspicit, illicò à corpore avertitur, nunquam enim intelligit, nisi cum sensiles corporum affectiones à sua consideratione removet, ut suprà, Augustino docente, demonstravimus, nam si Animus per corpus, haud per se ipsum incommutabile Verum cerneret, reverà non incommutabile, sed tantum quod mutatur, videret; per corpus namque non quæ incorporea, sed tantùm quæ extensa, & sectilia sunt perciperet. Nihil autem extensum & sectile incommutabile est. Impossibile igitur est, ut Animus non per se ipsum, sed per corpus, immortale, & incorporeum, Verum contempletur; Nullo pacto igitur tanquàm illegitima, aut falsa hæc Augustini definitio rejici valet. Altera Rationis Definitio, quam tradit Augustinus, sequens est. Ratio est ipsa veri contemplatio non per corpus: In hac definitione Ratio non est ipsemet aspectus, & oculus interior Animi, ut affirmatur in prima Definitione, sed est ipsamet actio, & Mentis operatio, nimirùm ipsamet incommutabilis Veritatis contemplatio, quæ à solo Animo, nullo opitulante corpore, emanat.

Tandem Augustinus tertiam nobis exhibet Rationis definitionem, ait enim, Rationis nomine intelligi posse ipsummet Verum, quod Animus intueatur. Iam si Ratio accipiatur primo modo, ait, Augustinus, sanè in dubium verti nequit, rationem esse coniunctam Animo; esset enim secundum hanc acceptionem ipsemet Animus, seu ipsiusmet Animi visus, & intuitus, quo incommutabile Verum contemplamur. Idem etiam sequitur, si nomine Rationis veniat secundùm, ipsa nempè Veri contemplatio, cum hæc Animo contemplanti necessariò inhæreat, non potest siquidem intelligi Veritatis intuitio, quin pariter intelligatur Animus illam intuens.

Tota tamen quæstio & pugna de Tertio est; Nam si ratio accipiatur pro ipsa incommutabili Veritate, quam per se ipsum Animus contemplatur, sanè ambigi & quæri potest, an huiusmodi Verum, quod contemplamur, sit in Animo, an semper Animo adhæreat, an tandem possit ab Animo separari? Quovis tamen modo se res habeat, & accipiatur Ratio; vera tamen evidenter erit assertio, quæ sequitur.

PRO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [376] - 348
PUBLIC DOMAIN

PROPOSITIO SECUNDA.

Humanus Animus incommutabili Veritati necessariò coniungitur.

HUmanus Animus est ipsamet intelligendi facultas; hoc autem nihil aliud est nisi Mentis impetus, tendentia, ac motus ad incorporeum, & incommutabile Verum, ut suprà satis exposuimus, Hinc nisi regnaret, & adesset Immortale, ac spiritale Verum, nulla profectò existeret Intelligentia, nullusque viveret Animus, qui ideò vivit, quia vivit veritas, ad quam ille incessanter, & ut ita dicam inevitabili quodam furore aspirat. Attamen quo pacto fieri posset, ut Animus intelligendo ad verum tenderet, Verum ipsum contemplaretur, nisi aliquo modo ipsimet Vero coniungeretur, nisi enim Animus intuens associaretur cum Vero, quod intuetur? nulla quidem intelligendi actio emergeret, in qua veluti quoddam castissimum Connubium Animi, ac veritatis celebratur.

Incommutabile verum Animæ vitæ sustinet ac tuetur.

Deindè, ut summo acumine ratiocinatur Augustinus, quidquid Animus intelligit, veluti intelligendo capit, atque apprehendit, ut haud extra seipsum, sed in seipso verum quod intelligit intueatur. Aliud est enim cognoscere res intelligendo, aut sentiendo, quæ sensibus agnoscuntur, haud insemetipso cernit, ac percipit Animus, sed ut extra seipsum existentia, atque in locis, spatijsque expansa videt; locis namque, ac spatio comprehenditur, quidquid sensibus repræsentatur; Idcirco tantùm Animus quasdam incorporeas similitudines, & imagines corporum tenet, ut nullo pacto corporibus ipsis, spatiorumque dimensionibus conjungatur, quæ sanè haud in semetipso, sed extra seipsum de foris regnare satis intelligit. Non idem verò contingit, cum intelligimus. Nam quæ intelliguntur, cum res, seu veritates sint immutabiles, & incorporeę, nullo quidem loco, ac spatio continentur, atque adeò nulla ratio est, cur ipsa distent ab Animo, qui illa in semetipsa, haud extra seipsam videt, non enim cum verum contemplatur Animus, tantùm illius imaginem, ac similitudinem capit, sed ipsummet verum apprehendit, & abripit, quod in seipso, non deforis contemplatur. Quapropter sive verum, quod intuetur sit ipsemet Animus, sive Animus sit in vero tanquam in subjecto, sive verum habeat pro subjecto Animum, verum tamen semper erit, Animum veritati conjunctum esse. Quædam tamen hic valde ardua difficultas insurgere potest, an verum quod intuetur, & Animus, qui intuetur, sint duæ res, & substantiæ diversæ, ut neutrum sit modus, aut subjectum alterius, sed utrumque per se maneat, & existat; nam si hoc contingeret, optime fieri posset, ut una substantia ab altera separaretur, atque adeò si hoc verum esset, dum rationis substantia ab Animo sejungitur, illicò Animus, extingueretur, ac periret. Vt autem hunc solveret nodum Augustinus, solidissimo ratiocinio ostendere nititur, quod etiamsi concedatur rationem esse ipsammet substantiam veritatis incommutabilis, quam intelligendo contemplamur, adhuc nullavi seiungi, & disiociari possit ab Animo. Sit igitur.

Animus in seipso haud extra seipsum incommutabilem intelligit veritatem.

Corpora ut extra seipsum existentia sentit, & imaginatur Animus.

Nentiquam ab Animo distas incommutabile verum, sed illi perpetuo copulatur

Ambigit Augustinus an ſ ratio & Animæ essent duæ res diversæ, posset tamen altera ab altera sejungi.

PRO-

PROPOSITIO TERTIA.

Nullius corporis vi ab Animo sejungi potest Ratio.

PRimùm exordium capit Augustinus à corpore, expendens, an corpus tanta potestate polleat, ut possit tandem ad Animi extinctionem, Animum nostrum à ratione separare? Postquam autem attentissima perceptione corporis naturam cogitatione agitaverit, statim intellexit, nullo pacto corpus sejungere rationem à mente, seu ab animo posse. Siquidem hic nomine rationis venit ipsum incommutabile verum, quod intelligendo intuemur. Nomine verò corporis venit ipsa torpida sensilium rerum moles, nempe res pro modo suo longitudine, latitudine, & altitudine prædita. Iam invicem hæc duo, rem nimirum extensam, & ipsum verum comparemus, ut clare detegi valeat, an tàm potens, tamque robustum sit corpus, ut invitam rationem dissociare possit ab Animo? Qua tamen comparatione peracta, plane innotescit, corpus & potentiâ infirmius, & inferius origine, & ordine separatius esse; nam si illius consideremus potentiam, hæc sane aut nulla est, cum haud corpori, sed Animo vere competat agere, aut valde imbecillis, ac tenuis est. Nam si corpus suapte natura mutabile est, atque in partes sectile, evidenter infertur longe imbecillius, ac infirmiùs esse Ratione, seu Vero, quod insectile, immutabile ac sempiternum est; quod enim mutari nequit, profectò potentius est eo, in quod mutatio cadit. Deinde si corporis origo animo revolvatur, inferius quidem Ratione corpus percipiemus; corpus enim res temporaria est, nulla existendi necessitate gaudens, secùs verò Veritas, quæ incommutabilis, ac necessariò vivens est, cujus origo, ut ita dicam, ipsamet æternitas principio carens est. Tandem si utriusque rei ordinem expendamus, quam corporis natura perfectione, & excellentiâ à ratione distet, plane intelligemus; verum utpote incorporeum, mutationis expers ac sempiternum omninò mortali, caduco, ac infimo corpori præstare, ipsumque antecedere dicendum est. Idcircò cum corpore insignius ac longe validius sit verum, nullo pacto poterit, cogente, ac impellente corpore, ab humano Animo separari.

Corpus Rationi inferius est.

Rursus ut supra satis ostendimus corpus, tanquam res tantùm ad patiendum nata, nequit suapte naturâ agere in Animo, cum omni actione sit destitutum; Potiori jure ergò nullam vim habere potest, si comparetur ad verum, quod ipsomet Animo, & potentius, & præstantius est, cujus conjunctione, & influxu Animus agit, & est. Nulla ergo potentia corpori inest, cujus ope verum ab animo sejungatur. q. e. d.

PROPOSITIO QUARTA.

Nullus creatus Animus Verum ab alio Animo sejungere potest.

EN pulcherrimum, & ingeniosum argumentum, quo huiusce propositionis veritatem ostendit Augustinus. Si Animus ab Animo Verum aliquando seiungeret, id sane præstaret, ut veritatem sibi adnecteret,

cteret, seu ut veritatem contemplaretur, attamen à nullo animo abest veritas, quam æquè singulæ creatæ mentes intuentur; omnibus enim communis est incommutabilis veritas, cujus nitidissimum, & immortale lumen idem & immutatum citrà sui multiplicationem ad singulas mentes illustrandas aptum quidem est. Non potest igitur unus Animus ab alio rationem sejungere, verum separare, ut illud sibi conjungat, atque contempletur.

Singulæ creatæ mentes eidem in commutabili veritati coniunguntur.

Deindè neque Animus à veritate & ratione sejunctus adeò potens est, ut verum ab altero Animo, cui illud conjungitur separare valeat; etenim Animus vero conjunctus fortior quidem est Animo, cui verum haud adnectitur, sicuti enim nihil incommutabilius vero; ita nihil vero potentius. Plus igitur potest Animus vero conjunctus, quam valeat ille, qui est à vero separatus. Idcircò fatendum est nulla alterius Animi vi posse à quovis Animo rationem, ac verum separari.

PROPOSITIO QUINTA.

Nunquam incommutabile Verum deserit Animum, sed illi perpetuò conjungitur.

NUlla enim adest rationabilis causa, cur incommutabile verum deserat Animum, ac à se ipso illum separet. Nullum siquidem invidentiæ genus inest vero, ut sibi aliquandò displiceat sese aperire Animo, eique conjungi. Est enim invidentia ægritudo Animi ex rebus secundis suscepta, in quem morbum sanè castissimum Verum incidere non potest, quod non ob aliam rationem coniungitur Animo, nisi ut Animum tueatur, ac progignat. A vero enim Animus suum recipit esse, qui ideo est, quia ei verum summa quadam beneficientia copulatur. Quapropter summoperè à ratione aberraret, qui existimaret tam iniquum, & invidum esse Verum, ut aliquando Animum, cui esse tribuit, à se dissociet, & extinguat. Concludendum est igitur, nunquam verum se ab Animo, cui iam coniunctum est, deserere, & à se disiungere.

Nullo invidentiæ morbo laborat immutabilis Ratio.

PROPOSITIO SEXTA.

Nequit ipsemet creatus Animus voluntate se ipsum à vero separare.

PRæcipua Ratio, quam hic adhibet Augustinus, ut hæc propositio demonstretur, deprompta est ab ipsamet natura spiritalium, & insectilium rerum, quæ nullis locis continentur; fatetur namq; non posse intelligi quo pacto seiungi valeant ea, quæ partibus, & mole destituta, nullo loco, nulloque spatio comprehenduntur, atque adeò semper & necessariò verum coniungi Animo, si utraque natura à dimensionibus spatiorum abhorrens, nullo loco continetur. Hanc tamen rationem retractationum lib. 1. cap. 15. nullam vim habere censet, sed expungendam esse, hoc enim pacto se ipsum redarguit.

Quod vero dixi: Animum propterea non posse ab æterna Ratione separari, quia non ei localiter jungitur, profectò non dixissem, si jam tunc essem literis sacris itaeruditus, ut recolerem quod scriptum est (apud Isajam 59) Peccata vestra separant inter

inter vos, & Deum. Vnde intelligi datur etiam earum rerum posse dici separationem, quæ non locis, sed incorporaliter junctæ fuerant.

Hinc cum Augustinus nullam novam rationem addiderit, sed tantum eam, qua usus est, reiiecerit; opus est, ut ad hanc propositionem firmandam novum argumentum excogitemus. Idcircò sequenti modo ratiocinamur. Creatus Animus ideò Animus est, & ut Animus operatur, quia incommutabili vero coniunctus est, quod ei vitam, & intelligendi virtutem elargitur, ut pluries suprà à nobis expositum ac probatum est. Nemo tamen sui destructionem, ac interitum amat. Siquidem cuique rei necessarius quidam impetus ineſt, quo perpetuò ad se tuendam, ac fulciendam fertur. Nequit igitur Animus voluntate à se reiicere verum, cuius virtute est, & agit; secus suum interitum, suamque destructionem amaret, ac vellet, quo nil absurdius. Fatendum est igitur, verum neque ipsius Animi voluntate ab Animo seiungi posse.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Quidquid immutabile, & sempiternum est, si alteram rem inferioris ordinis ita afficiat, ut ei vitam impartiens inseparabiliter jungatur, eam quodammodò cogit esse, ac pariter immortalem facit.

SInt duæ res A, & B. quarum altera A. immutabilis sit ac sempiterna, seipsà nullo alio auxiliante existens; altera verò B. inferioris sit ordinis, quæ ut vivat, ac sit, ab A. potentioris naturæ pendeat. Iam A. afficiat B. atque illi inseparabiliter coniungatur, in qua coniunctione sita sit vita rei B. evidentissimum erit A. quodammodo cogere B. ut sit, eique immortalem vitam elargiri. Nam si tota Ratio vitæ & existentiæ, quæ floret in B. ortum ducit ab illius coniunctione cum A. necesse est, semper vivere B. si cum ea semper coniuncta manet res A. Hæc propositio est per se nota, ut sola terminorum expositione, ut demonstretur, indigeat.

SYNTHESIS.

Mentem humanam immortalem esse demonstratur.

HUmanus Animus incommutabili vero, seu Rationi conjungitur, patet *ex Prop. 1. & 2.*

Atqui nulla vi, nulloque pacto ab humano Animo verum seu Ratio seiungi potest. Etenim si aliqua esset vis, hæc sanè esset, aut corpus, aut alter Animus, aut ipsummet Verum, seu Ratio, aut ipsemet Animus, qui vero, & rationi coniungitur, nullum tamen horum esse evidenter innotescit. *Ex Prop. 3. 4. 5. & 6.*

Semper igitur humanus Animus, ac necessariò incommutabili vero, seù Rationi coniungitur.

Atqui Ratio, seu Veritas Animo inseparabiliter coniuncta immortalis est, ac sempiterna ex Prop. Analysis 1. & 2. argumentationis.

Semper ergò vivit, ac immortalis est humanus Animus ex Prop. 7. Quod erat demonstrandum.

Visus

Vſus Auguſtinenſis Argumentationis, & noſtri Apparatus ad Epicuri errores refellendos.

HOc pacto, ut Animæ mortalitatem probaret, ſuprà arguebat pro Epicuro Lucretius. Humanus Animus ut vivat, & operetur, organico corpore indiget, à quo vires ſuas emendicat. Corporeus igitur eſt, atque adeò mortalis. Simili ratiocinandi modo utens Auguſtinus quàm abſurda, & falſa ſit Epicuri Argumentatio oſtendit, dum ſequenti modo ad illam evertendam arguere videtur. Humanus Animus, ut ſit, ac vivat neceſſariò pendet à Ratione incommutabili, & ſempiterna, quæ Animo ſui inſeparabili coniunctione tribuit eſſe Animum. Eſt igitur immortalis humanus Animus, ſi ſemper vivit, illique inhæret immutabilis Ratio. Hùc accedit. Animum, ut ſit Animus, immutabili Rationi coniungi, neceſſarium eſt; nullo enim pacto deſtrui, ac ſolvi poteſt huiuſmodi Animi, & Rationis nexus; quod verò neceſſariò, ut vivat, coniungatur corpori, id incertum, & in ancipiti eſt, ac tandem haud ratione, ſed fallaciſſimo docente ſenſu ab Epicuro ſuſtinetur, quin etiam ut ex noſtro Apparatu conſtat, inſigniter ſaltem probabile eſt, ac fieri poteſt, ut coniunctio Animi cum corpore tantùm oriatur ex arbitrio, & libera voluntate Dei, mutuum quoddam commercium inter utramque naturam firmantis, atque adeò certior eſt magiſque accedit ad Verum noſtra Hypotheſis, quàm Epicuri doctrina, quæ citrà dubitationem ex coniunctione, & dependentia Animi à corpore infert, mortale corpus eſſe Animum; In quem lethalem errorem incidit quidem Epicurus, quia humanum Animum ut corporis formam conſideravit, quia nimirum tantùm ad corpus, non autem ad incommutabile Verum, ac ſempiternam Rationem Animum comparavit. Eſt profectò Animus corpori coniunctus, ſed tantùm arbitraria, ac diſpenſabili quadam coniunctione; ex adverſo autem adeò Rationi adnectitur, atque incommutabili Veritati copulatur, ut citrà ſui interitum à Ratione ſeparari nequeat. Præterea Animus, ut ſuam naturalem Intelligendi operationem exerceat, nullum ſanè auxilium petit à corpore, quod potiùs ei impedimento eſt, & à quo ſeſe avertere debet, ut intelligat: Animus igitur, ut Animus eſt, nullo pacto pendet à corpore, ſed tantùm à Vero, ſeu à Ratione, cui neceſſario coniungitur. Cum autem Ratio ſit immutabilis, & æterna, immortalem, & ipſum ſibi coniunctum Animum efficit; in quod ſanè ſi animadvertiſſet Epicurus, mortali corpore poſthabito, in ipſamet immutabili coniunctione Rationis cum Animo immortalem eſſe Animum intellexiſſet.

Maior firmitas & certitudo alucet in noſtra doctrina, quàm in hypotheſi Epicuri.

Cauſa cur tam immanè erraverit Epicurus, aperitur.

Septima Argumentatio deprompta ex ipsamet corporis immortalitate.

TEXTUS.

AT enim aversio ipsa à ratione, per quam stultitia contingit Animo, sine defectu ejus fieri non potest, si enim magis est ad rationem conversus, eique inhærens, ideò quod inhæret incommutabili rei, quæ est veritas, quæ & maximè & primitiùs est, cum ab ea est adversus, idipsum esse minùs habet, quod est deficere. Omnis autem defectus tendit ad nihilum, & interitum nullum magis propriè oportet accipi, quam cum id quod aliquod erat, nihil sit. Quare tendere ad nihilum, est ad interitum tendere. Qui cur non cadat in Animum, vix est dicere, in quem defectus cadit. Dantur hic cætera. Sed negatur esse consequens interire id quod tendit ad nihilum, idest, ad nihilum pervenire. Quod in corpore quoque animadverti potest. Nam quoniam quodlibet corpus pars est mundi sensibilis, & ideò quantò maius est, locique plus occupat, tantò magis propinquat universo, quantoque id magis facit tantò majus est. Majus est enim totum, quam pars. Quare etiam minùs sit cum minuitur, necesse est; defectum ergo patitur, cum minuitur. Porrò autem minuitur, cum ex eo aliquid præcisione detrahitur. Ex quo conficitur, ut tali detractione tendat ad nihilum. At nulla præcisio perducit ad nihilum. Omnis enim pars, quæ remanet, corpus est, & quidquid hoc est, quantolibet spacio locum occupat. Neque id posset, nisi haberet partes, in quas identidem cæderetur. Potest igitur infinitè cædendo infinite minui, & ideò defectum pati, atque ad nihilum tendere, quamvis pervenire nunquam queat. Quod item de ipso spacio, & quolibet intervallo dici, atque intelligi potest. Nàm & de his etiam terminatis, dimidiam verbi gratia partem detrahendo, & ex eo quod restat, semper dimidium, minuitur intervallum, atque ad finem progreditur, ad quem tamen nullo pervenitur modo, quominùs hoc de Animo formidandum esi. Est enim profectò corpore melior, & vivacior, à quo huic vita tribuitur.

ANALYSIS

PROPOSITIO PRIMA.

Humanus Animus melior est, ac præstantior corpore.

EX rebus jam suprà demonstratis hæc Propositio manifestè colligitur. Etenim humanus Animus vitam, & actionis energiam corpori elargitur, qui in nobis verùm principiũ agendi est, nõverò corpus suaptè natura actione destitutũ, ut potissimum constat ex Propositionibus, quas in Expositione tertiæ Argumentationis firmavimus. Atqui meliùs, ac perfectiùs est id, quod ex se vivit, & agendi robore pollet, quàm sit id cui haud agere, & vivere sed tantùm pati competit, quod nimirùm ab alio vitam accipit, prorsùs ad agendum impotens. Melior igitur, ac vivacior, præclarè convincit Augustinus, est corpore Animus.

Animus ad agendum, ad patiendum autem corpus natum est.

Hæc tamen Propositio ex eisdem Augustini, principiis potest alio modo

modo demonstrari. Humanus Animus immutabili, ac sempiternæ Rationi necessariò coniungitur, quin etiam Verum subiectum est, cui incorporeæ, & immortales artes, ac disciplinæ inseparabiliter inhærent, ut suprà demonstratum est; Atqui Ratio seu incommutabilis Veritas longè potentior ac præstantior imperfectò, & mutabili corpore est; melior igitur ac perfectior corpore Animus est, qui potentissimæ, ac perfectissimæ Rationi coniungitur, cuius virtute, & coniunctione habet, ùt sit Animus. Insignis, ac summa quidem perfectio est, immutabili Rationi coniungi, qua dote nullo modo corpus gaudet, in quo non habitat Veritas, neque sedem suam incorruptibiles, ac pulcherrimæ artes collocarunt.

Eadem assertio alio modo demonstratur.

Deindè insectile, & inextensum, quod Vnitatis naturam redolet, meliùs, ac præstantiùs est re, quæ spatiis continetur, & in partes secari potest, cui multitudinis, & numeri ratio competit, fortior enim, ac perfectior numero Vnitas est, atque adeò insectile, sectili naturà melius. Cum igitùr Animus utpotè spiritalium, & immutabilium rerum subiectum, ac incorporeo Vero coniunctus, incorpoream, & inextensam naturam complectatur, melior quidem, ac præstantior erit corpore. Quod erat demonstrandum.

Insectile sectili longè præstantius est.

PROPOSITIO SECVNDA.

Corpus ut corpus est, adeò est immortale, ut nunquàm tandem intereat.

Hic nomine corporis apud Augustinum venit res trina dimensione gaudens, quæ nempè longitudine, latitudine, & profunditate spatiorum, locorumque intervalla occupat; Iam ostendendum est, corpus suaptè naturà quatenùs scilicet extensum, & sectili mole præditum est, nullius finitæ, & creatæ rei virtute adeò mutari, & minui posse, ut tandem intereat, quod sequenti modo præstamus.

Si corpus ut corpus est, tandem omninò deficere, ac interire possit, hoc sanè impetrandum esset, à perpetua ipsiusmet corporis divisione, in quantum possit adeò secari, & in minores partes infinitè solvi, ut tandem mole, & extensione exutum, in nihilùm abeat. Cum enim corporis natura sit ipsamet extensionis ratio, sanè nisi sui diminutione, partiumque detractione destrui non potest. Atqui nullum extensum adeò comminui, & dividi valet, ut in nihilum demùm resolvatur: detrahas enim quot partes volueris a corpore, illud pro tuo arbitratu comminuas, ac perpetuò seces, quidquid corporis remanet, haud nihil, sed corpus, & extensa res semper erit. Quælibet siquidem pars, in quam sectum solvitur corpus, necessariò extensa, ac corpus esse intelligitur, atque adeò nulla adduci potest, etsi minima, ac tenuissima corporis particula, quæ infinitis partibus non minus, ac universum corpus, instructa, in ulteriores partes perpetuò dividi nequeat; non potest igitur corpus adeò solvi, ac scindi ut tandem in nihilum abeat; Quapropter corpus suaptè natura ab interitu immune dicendum est, ut nulla finita Potestas adsit, quæ in nihilum extensionis, corporisque naturam redigere queat. In quam Sententiam Insigniores Scholarum Principes concordi ani-

Negatur extensa substantia adeo minui, ac dividi, ut tandem in nihilùm abeat.

mo conveniunt, arbitrantes, extensionis, & quantitatis naturam eadem perpetuitate pollere, qua Vniversi materies perfruitur, atque eodem pacto, ac materies contrario, quo destruatur, carere.

PROPOSITIO QUINTA.

Potest aliquid ita tendere ad nihilum, ac perpetuò deficere, ut nunquàm tamen omninò destrui, & interire valeat.

VEritas hujus assertionis, ut hic ingeniosè, ac subtiliter edocet Augustinus, planè manifestatur in ipsamet corporis natura, quæ tametsi perpetuò deficiat, & ad nihilum, ex quo emersit, incessanter tendat, nihilominùs semper ad nihilum, ad quod aspirat, accedens, in nihilum nunquam tamen incurrit. Quod sequenti ratiocinio planissimum reddit Augustinus.

Vniversa mundana extensio quævis sui parte perfectior est.

Quodlibet mundanum corpus est pars quædam sensibilis Mundi, seù Vniversi corporei. Perfectior tamen est sensibilis Mundus quavis sui parte, perfectione siquidem partem excedit totum, quo magis ergo augescens, & in molem excrescens corpus, ad suum totum accedit, maiorem scilicet sensibilis mundi partem absorbet, eò sanè perfectiùs est; contrariorum ergo lege, quantò magis minuitur, decrescit, atque ea totius magnitudine recedit corpus, tanto imperfectiùs est, ac imbecilliùs

Quidquid autem à perfectione recedit, verè deficit, atque adeò ad nihilum tendit, defectus enim nihil est aliud, quàm subtractio perfectionis, seù detractio, aut destructio, aut privatio, ut ita dicam, ejus, quod est, seù alicujus gradus essendi. Idcircò idem est deficere, ac ab eo, quod est, recedere, nimirùm ad nihilum tendere, tendit enim ad nihilum res, cum ab esse recedit; quod si penitùs ab eo, quod est, recesserit, interit tandem ac perit.

Corpus dum secatur à sui totius perfectione recedit.

Iam dum corpus perpetuò comminuitur, dum infinitè secatur, a sui totius perfectione incessanter recedens, perpetuo deficit, & ad nihilum tendit, nihilominùs quamvis corpus ad maximam nihili deformitatem, ac turpitudinem, dum scinditur, ac minuitur, perpetuò deficiendo propriùs accedat, attamen nunquam in nihilum incidet, ut tandem interijsse dicatur: siquidem, ut in præcedenti propositione demonstratum est, tandem si corpus infinitè comminuatur, & dividatur, nunquam tamen in nihilum redigetur, cum quævis etiam minutissima sui pars quæ supereſt, extensa, & corporea sit, cum adhuc ulteriùs in ea corporis caracter, & extensionis nota indelebili quadam impressione lateant; idcircò potest aliqua res adeò perpetuò deficere, & à perfectione recedere, ut ad nihilum tendat, & nihilo semper magis approximetur citrà sui interitum, ac destructionem, quæ scilicet nunquam à nihilo absorbeatur, ac in horribiles mortis fauces irruat.

SYNTHESIS.

Humanũ Animum immortalem esse demonstratur.

HVmanus Animus virtute, ac perfectione corpus antecellit *ex Prop.* 1 Atqui corpus suaptè natura immortale est, ut nunquam tandem interire valeat ex *ex Propos.* 2.

Multò

Multò magis ergo immortalis & sempiternus dicendus est Animus, qui si interitus capax esset, haud melior, sed infirmior, & infimior corporea naturà esset; quod enim destrui nequit, imperfectius quidem est eo, quod mortalitate laborat. Quod erat demonstrandum.

Vsus argumentationis Augustinensis, & nostri apparatus ad Epicuri doctrinam falsitatis convincendam.

VAlidius argumentum Epicuri pro Animæ mortalitate depromitur ex ipsa humani Animi mortalitate. Ait, enim, mortale esse quodcunque additione, aut subductione mutatur ac deficere potest. Atqui hæc Ratio nulla est, neque mortalem esse Animum, evincit. Siquidem ut jam demonstratum est, potest res aliqua perpetuò mutari, deficere, atque adeò incessanter ad nihilum tendere, absque eo quod tandem aliquando intereat; Aliud est enim tendere ad nihilum, aliud tandem interire posse, ut constat ex Prop. 2. Quapropter tametsi Animus multifariam ratione corporis mutetur, aut obstultitiã, & ignorantiam, dum à ratione, & incommutabili vero recedit, deficiat, & ad nihilũ tendat, non ideò tamen necessariò infertur mortalem esse Animũ, ac tandem interire, cum neque interitus ac mors oppugnare possint ipsummet corpus, licèt imperfectius, & impotentius sit Animo, ut satis ostensum est. Idcirco ex humani Animi mutabilitate, & quovis illius defectu nullo pacto inferri potest, mortalem esse, ac demum interire Animum. Qui non ideo deficit, & ad nihilum tendit, quia interitus capax est, ut falsò putat Epicurus, sed tantùm quia finita, & imperfecta natura est, cui etsi adversatur immutabilitas, nullo pacto tamen ei dissonat immortalitas. Cũ igitur eadem Animi mutabilitas possit oriri à duplici principio, nimirùm vel quia corpus in partes solubile est, vel ex eo quod finita, & imperfecta res est, quamvis suaptè natura immortalis; jam fallacis, & subdolæ argumentationis convincitur Epicurus, dùm indubitanter ex uno principio, nempè ex Animi corporeitate, humani Animi mutabilitatem colligit, quæ tamen solidissima ratione prælucente à nostro principio verè oritur, cum & ipsummet corpus licet in partes solubile, nunquam tandem interire posse demonstratum sit.

Octava Augustini argumentatio deprompta ex ipsamet corporis immortalitate, haud ratione molis, sed speciei, & pulchritudinis.

TEXTUS.

QVod si non id quod est in molo corporis, sed id, quod in specie facit corpus esse, quæ sententia invictiore ratione approbatur, tantò enim magis est corpus, quanto speciosius, atque pulchrius, tantoque minus est, quantò fœdius, ac deformius, quæ defectio non præcisione molis, de qua jam satis actum est, sed speciei putatione contingit; quærendum de hac re diligenter, ac discutiendum est, ne quis affirmet animum tali defectu interire, ut quoniam specie ali-

aliqua sua privatur, dum stultus est, credatur in tantum augeri posse hanc privationem, ut omnimodo specie spoliet Animum; Et ea labe ad nihilum redigat, cogatque interire. Quamobrem si potuerimus impetrare, ut ostendatur ne corpori quidem hoc posse accidere, ut etiam ea specie privetur, qua corpus est, jure fortasse obtinebimus, multo minus auferri posse animo, quo Animus est. Siquidem nemo se bene inspexit, qui non omni corpori qualemlibet animum præponendum esse fateatur. Sit igitur nostræ ratiocinationis exordium, quod nulla res se facit, aut gignit, alioquin erat, antequam esset. Quod si falsum est, illud est verum. Item quod factum, ortumve non est, & tamen est, sempiternum sit, necesse est. Quam naturam, & excellentiam quisquis ullo corpori tribuit, vehementer errat quidem. Sed quid pugnamus, multò enim magis eam dare animo cogimur. Ità si corpus ullum est sempiternum, nullus Animus non sempiternus est. Quoniam quilibet Animus cuilibet corpori præferendus est, & omnia sempiterna non sempiternis. At si quod verè dicitur, factum est corpus, aliquo faciente, factum est, nec eo inferiore. Neque enim esset potens ad dandum ei, quod faceret quidquid illud est, quod est, id quod faciebat. Sed ne pari quidem; oportet enim facientem melius aliquid habere ad faciendum, quam est id quod facit. Nam de gignente non absurdè dicitur, hoc esse, quod est illud, quod ab eo gignitur. Universum igitur corpus ab aliqua vi, & natura potentiore, atque meliore factum est non utique corporea. Nam si corpus a corpore factum est, non potuit universum fieri. Verissimum est enim quod in exordio ratiocinationis hujus posuimus nullam rem à se posse fieri. Hæc autem vis, & natura incorporea effectrix corporis universi præsente potentia tenet universum. Non enim fuit, atque discessit, effectumque deseruit. Ea quippe substantia quæ corpus non est, neque, ut ita dicam, localiter movetur, ut ab ea substantia, quæ locum obtinet separari queat, & illa effectoria vis vacare non potest, quia id quod ab ea factum est tueatur, & specie carere non sinat, qua est in quantumcunque est. Quod enim per se non est, si deseratur ab eo per quod est, profectò non erit, & non possumus dicere, id accepisse corpus, cum factum est, ut se ipso jam contentum esse posset etiamsi à conditore desereretur. Quamquam si ita est, magis id habet animus, quem corpori præstare manifestum est. Atque ità de proximo immortalis probatur, si potest esse per se ipsum. Quidquid enim tale est, incorruptibile sit, necesse est, ac per hoc interire non possit, quia nihil se deserit. Sed corporis mutabilitas in promptu est, quod ipsius universi corporis universus motus satis indicat. Unde diligenter inspicientibus quantùm talis natura inspici potest, ordinata mutabilitate id quod mutabile est, mutari reperitur; quod autem per se est, nec motum quidem habet ullum, omni copia sibi in se ipso existente, quia motus omnis ad aliud est, cujus indiget, quod movetur. Adest igitur species universo corpori meliore natura sufficiente, atque obtinente, quæ fecit. Quare illa mutabilitas non adimit corpori corpus esse, sed de specie in speciem transire facit motu ordinatissimo. Non enim quæpiam ejus pars ad nihilum redigi sinitur, cum totum capescat vis illa effectoria nec laborante, nec deside potentia, dans ut sit omne quod per illam est, in quantum est, quamobrem nemo tàm devius à ratione debet esse, cui aut non sit certum corpore animum esse meliorem, aut qui hoc concesso arbitretur corpori non accidere ut corpus non sit, animo accidere, ut Animus non sit. Quod si non accidit, neque animus esse nisi vivat, potest: nunquam profecto animus moritur.

ANA-

ANALYSIS.

PROPOSITIO PRIMA.

Corpus non se ipso, sed potentioris, & superioris naturæ virtute factum est.

COrpus, aut ingenitum est, aut factum; quidquid enim est, aut summè, & se ipso est, atque adeò ingenitum, & increatum; aut ab alio est, & factum dicitur. Non potest quidem corpus ingenitum, ac sempiternum esse, cum ex se minimè sit. Siquidem corpus res quædam trina dimensa est, omne autem extensum utpotè divisibile, & numeri naturam complectens, haud in omni genere infinitum, & perfectum est, sed pluribus, suæ naturæ necessitate, defectibus scatet. Non est igitur corpus à seipso; nam primò si se ipso esset necessariò esset; nihil autem necessariò est, nisi id quod summè, & perfectissimè est, at non simpliciter perfectum est corpus, non est igitur ex se ipso. Deindè si corpus ex se ipso esset, nulla est ratio, cur se ipso singulas perfectiones non contineret, illasque sibi adiungeret; nam si se ipso habet, ut sit, se ipso pariter posset habere, ut omne sit; nam si se ipso potens esset, ut sibi unam perfectionem daret, posset identidem, & alias perfectiones suæ substantiæ impartiri; Atqui hoc evidenter absurdum est, falsum igitur est, corpus se ipso esse, atque adeò ingenitum neutiquam est.

Necessario est tantùm id, quod infinitè est.

Corpus nequit sibi suam perfectionem ac existentiam elargiri.

Factum igitur corpus est, at cuius quæsò, virtute, & potestate factum? Non quidem propria vi procreatum est; nemo enim seipsum facit, ac gignit, secùs prior esset seipso, & existeret, antequam factus esset. Hinc intelligi nequit quo pacto res seipsam progignere possit, ut nempè pariter, & faciens, & facta sit, sui ipsius scilicet efformatrix. Si igitur corpus minimè se progignit, cujus ergo virtute factum est? Alteriùs forsan corporis potentia? Attamen si hoc tribuere sibi suum esse nequit, si ab alio est; si tandem ex se non habet, ut corpus sit, sed ab alio corpus esse recepit, multo minùs dare potest alteri rei corporis naturam, seù efficere ut altera res corpus sit. Deinde cum corporis substantia tam imbecillis sit, & impotens, ut omni agendi virtute destituta sit, ut supra à nobis ostensum est, profectò non poterit esse causa, ut alterum corpus sit, ac fiat.

Corpus nulla corporea virtute factum est.

Sola igitur incorporea, & infinita vis Creantis Naturæ supereſt, ut undè corporis origo, & causa accipienda sit, apertè intelligamus; tantùm enim id quod seipso, & perfectissimè est elargiri potest alteri, ut aliquid sit, sive Animus sive corpus; nam sicuti seipso habet, ut omne sit, ita & alteri dare potest, ut aliquo modo sit; qua si careret virtute, impotens, & imbecillis foret, atque adeò haud seipso, & perfectissimè esset; quidquid enim perfectissimè est, infinita potentiâ ac virtute pollere, necessum est, ut non tantùm suæ existentiæ, & perfectionis sola, & vera ratio sit, verum etiam, & aliarum rerum, quæ extra ipsum sunt, & existunt; hæc autem vis infinita corporis effectrix cum simpliciter perfecta sit, sanè unum ens perfectè est, seu ipsamet Vnitas, in qua perfectissimè singulæ adnectuntur perfectiones; unitas autem

Ab incorporea & infinita virtute corporis natura & existentia pendet.

autem verè incorporea, & insectilis est, corpus enim haud unitas, sed numerus est, virtus igitur, qua corpus factum est, incorporea quidem, & spiritalis est. Hinc planè colligitur, quod si corpus factum est, oportet ut in Vniverso eluceat natura potentior, ac superior, quæ corpus non sit, cujus tantùm virtute corpus est.

PROPOSITIO SECVNDA.

Vis corporis effectrix non tantùm in corporibus molem, & extensionem, verùm & speciem ac pulchritudinem perpetuò fovet, ac tuetur.

Quid hic veniat nomine corporis aperitur.

NOmine corporis, aut sub intelligentiam cadit ipsemet corporeus universus, aut corpus particulare, quod sit universi pars, & fragmentum. Cum autem corporeum universum dicimus, aut venit ipsamet natura corporea quaquaversum per infinita spatia, & intervalla expansa, & explicata, in qua nulla peculiarium corporum varietas, nullusque motus effulgeat, sed veluti confusum, & indigestum chaos concipiatur; aut venit ipsemet sensilis, & visibilis mundus, in quo nos cum ipso telluris globo pariter commoramur.

Quid sit corporei mundi pulchritudo exponitur.

Deinde duplex genus pulchritudinis seu speciei corporum distinguimus; primum amplectitur speciem, ac pulchritudinem, quæ sensilium rerum universitati, seù adspectabili mundo convenit, cujus natura sita est in ipsamet harmonica, & congrua dispositione, proportione, ac configuratione mundanorum corporum, ex quibus visibilis emergit universus, cujus tota pulchritudo in ordinatissimo suarum partium motu & concinna dispositione collocatur.

Alterum genus continet pulchritudinem ac speciem haud totius, sed partium, quæ nempè peculiaribus corporibus congruit; quodlibet enim peculiare corpus, sensilem mundum efformans, sua specie, & peculiari pulchritudine pollet; continet in se nimirùm suam peculiarem figuram, partiumque dispositionem, ac configurationem, quæ ad illius specificam, & determinatam naturam constituendam requiruntur; idcircò sua peculiaris pulchritudo ac species, & plantis, & syderibus, & elementis, & Animantibus inest. Nam tametsi corpori sufficiat moles, seù nuda extensionis ratio, ut corpus sit, attamen ut tale, ac determinatum corpus dicatur, præter molem quędam peculiaris, & congrua partium dispositio, species scilicet, & pulchritudo accedere debet, cujus virtute speciale nomen, specialemque naturam corpus obtinet.

Si corporeum Vniversum primo modo accipiamus, quatenus scilicet infinita quædam extensio est, seù corpus quaquaversus per infinita intervalla exporrectum, nullis peculiaribus corporibus distinctum, & exornatum, tunc tantùm mole, trina nempè dimensione, nulla tamen specie, & pulchritudine gaudere universum intelligimus: quamvis optimè dici possit, sensibilis mundi, ac peculiarium corporum pulchritudinem, ac speciem virtute in suo sinu complecti. Si quidem in limitatę extensionis gremio innumeræ corporum figuræ, ac singulæ peculiares omnium possibilium corporum dispositiones, & species quodammodo delitescunt, cum ex ipsius, ut ita dicam extensionis viscer-

bus

bus accedente motu, ſingula peculiaria ſenſibilis univerſi corpora extrahantur. Haud ab ſimili modo quo in marmore, aut metallo incompto, & impolito nullius ſcilicet ſcalpri ictibus in elegantem ſtatuam tranſmutato, cujuſvis ſtatuæ pulchritudinem, & elegantiam latere, haud irrationabiliter dicimus.

Iam Vniverſum hoc modo acceptum, cum ſecundum ſe totum peculiari figura, & determinata ſpecie careat, tantùm rationem molis amplectitur, cum autem moles corporea, ut ſuprà oſtendimus cum Auguſtino, nulla finita poteſtate in nihilum redigi valeat, neceſſariò infertur, Chaoticum, & confuſum Vniverſum, qui eſt peculiarium corporũ materies, incorruptibilem & ab interitu immunem eſſe, in quo veluti ſingulorum corporum ſpecies, & pulchritudo, quam virtute poſſidet, inſigniter deliteſcit.

Tota igitur difficultas viſibilem mundum, ac ipſamet peculiaria corpora reſpicit; quæritur enim an ſenſibilis Univerſus, & ſingulæ ſuæ partes poſſint ſpecie, & pulchritudine privari, ut quamvis ratione molis, & extenſionis perpetuò ſint, Ratione verò ſpeciei & pulchritudinis deſtrui, & interire poſſint, quo pacto interjiſſe planta dicitur, cum hæc in ſuas partes ſoluta, ſuam ſpeciem, ac peculiarem pulchritudinem amiſit.

Nulla finita vi viſibilis Mundus a ſua forma & pulchritudine ſeiungi poteſt.

Iam hìc primùm demonſtrandum eſt cum Auguſtino, ſenſibilem Univerſum adeo tenaciter ſuam ſpeciem, elegantiam, ac pulchritudinem detinere, ut nullius creati, & finiti Agentis poteſtate viſibilis mundus à ſua forma, & pulchritudine ſeiungi valeat, quod ut evidenter oſtendat, ſequenti modo philoſophatur Auguſtinus.

Viſibilis mundus haud ſe ipſo, ſed alterius rei potentioris virtute factus eſt (conſtat ex Propoſitione præcedenti). Hæc autem Virtus incorporea & infinita eſt. Nunquam ergo defatigatur, nec iners aliquando pigreſcit, ſed ab ocio, & deſidia abhorrens, ſemper vivens, ſemper agens, ſuis operibus, quibus vitam tribuit, potenti, ac vegeta potentia præſidet, ac aſſiſtit. Quin etiam ſpaciorum dimenſionibus carens, haud locali, ſed interiori ac puriori quadam præſentiâ integre ſenſilium rerum Univerſitati inceſſanter occurrit, ac ſubitò præſtò eſt, ut non tantùm exiſtentiam, verùm etiam pulchritudinem, & elegantiam ſenſibilis mundi foveat, ac conſervet.

Senſibilis enim Mundus ſicuti eſſe, & exiſtentiam ſibi non elargitur, ita neque ſe ipſo elegans, ac pulcher eſt. Attamen eadem effectricis cauſæ poteſtate, ob quam corporea moles eſt, etiam in tali determinata ſpecie, & pulchritudine eſt. Si ergo quia vis illius fabricatrix infinitè potens eſt, corporei Mundi moles ita eſt, ut hæc numquam intereat; oportet, ut, eadem moderantè, ac præſente Virtute, Univerſi ſpecies ac pulchritudo perpetuò vivat, ac maneat. Neque infinitus rerum Artifex, poſtquam præſtantiſſimum Mundi ſenſibilis opus efformaverit illud deſeruit, ac reliquit, ut ſe ipsà deinde corporea natura ſubſiſteret, ac gubernaretur. Etenim cum hæc ſe ipsà nihil ſit, & ad nihilum tendat, ſequitur, non ſatis eſſe ſibi corpus, ut quovis temporis momento ſit, ſed effectrice, & illimitata ſuperioris naturæ virtute indiget, quæ ſemper illi auxilio ſit, ac manum præſtet, ne pereat, & ab exiſtentia recedat; ſemper ergo per totum corporeum Univerſum vis quædam effectrix, & incor-

porea præsentia excurrit, & quodammodo explicatur, ut singulas illius partes incessantet tueatur, ac simul associatas sustineat. Cum ergo hæc virtus ad corporei mundi substantiam fovendam, & conservandam sit semper mundo præsens, ac semper agat, necesse est, ut non tantùm moles, verùm etiam, & adspectabilis Mundi pulchritudo incolumis semper maneat, ac subsistat.

Ex motu mundanorum corporum varietas profluit.

Præterea tota sensibilis universi pulchritudo ex quodam ordinatissimo corporum motu potissimùm proficiscitur. Siquidem ex motu mundanorum corporum varietas, ac diversa dispositio originem trahit, nisi enim motu solicitante, in plura fragmenta, & partes multifariam corporea moles distribueretur, nulla profectò varietas in rerum sensilium universitate regnaret. Hinc motus insignissimum naturæ instrumentum appellatur. Est enim vis robur, & energia, qua affectrix natura singula corporum species, ac ipsam visibilem pulchritudinem solertissimè architectatur. Hujus tamen motus robur haud à corpore, sed ab ipsa interminata corporis effectrice Virtute emanat. Hæc autem perpetuò adest, ac corpori præsens est, atque adeò motum quem in mundum visibilem semel impressit, infatigabili sua virtute semper tuetur, ne intereat, quo intereunte illicò & visibilem mundum, corporum nempe varietatem, ac speciem perire necessum est. Si ergò quibusdam legibus obstrictus, nunquam interit in mundo visibili motus, sed semper viget, & incessanter agit, opus est, ut semper in illo rerum varietas, & concinna quædam partium dispositio perpetuò floreant: vivit ergò semper mundi pulchritudo, quæ ut diximus nihil aliud est, quam varietas, & congrua mundanorum corporum dispositio.

An peculiaria corpora pulchritudine ac specie aliquando privẽtur.

Quamvis tamen perpetua, & immortalis sit totius sensibilis mundi species, & pulchritudo, nihilominus peculiaria corpora innumera, quæ mundi partes sunt, propria specie, & pulchritudine privari possunt, atque adeò ob pulchritudinis defectum aliquando interire dicuntur; nam eadem motus virtute, qua totius mundi species, & elegantia subsistunt, necesse est, ut perpetuò propria specie, & pulchritudine peculiaria corpora denudentur, quæ dum diversimodè moventur, multifariam mutari opus est; Quidquid enim movetur, mutabile est; nam localis motus ad aliud est, nimirùm institutus est, ut corpora metam, ac terminum ad quem tendunt, pertingant, seù ut attingant formam, & perfectionem, qua carent; idcirco interminata vis effectrix corporis, cum nullius novæ perfectionis sit capax, utpotè perfectissima, dum corpora movet, nulla ratione movetur, ut prorsùs à se localem motum reiiciat. Si igitur mundana corpora mutationi subjacent, dum diversimodè obsidente motu agitantur, specie, ac pulchritudine exui possunt. Quapropter intereunt saltem corpora cum à pulchritudine ad deformitatem accedunt.

Mundana corpora ex una specie ac forma ad aliam, cum interire dicuntur, trãseunt.

Hanc difficultatem solvit Augustinus, admonens, mundana corpora nunquam penitùs fœda evadere, ut prorsùs speciem, ac pulchritudinem amittant, sed tantùm ordinatissimo motu ex una specie in aliam immigrare. Etenim eadem motus vis, quæ totius universi elegantiam, & speciem tuetur, & peculiarium corporum pulchritudinem pariter sustinet. Hinc dum aliquod peculiare corpus accedente motu solvitur, ac primam suam speciem, seu modificationem amittit, alteram illico

lico induit ſpeciem, & pulchritudinem, ut ſemper nobis ſub aliqua determinata forma, & ſpecie exhibeatur; nam cum ratione molis quodvis corpus, ut diximus, ſit immortale, dum illius partes invicem diſſociatæ veteri pulchritudine ſpoliantur, aut diverſimodè invicem conjuncte, ac diſpoſitæ, aut quovis alio modo aliorum corporum partibus admixtæ, nova confeſtim exornantur ſpecie, & elegantia, ut ex una forma, ſeù modificatione: ut ita dicam: ſtatim ad aliam tranſeant, hinc nullum eſt inſtans temporis, in quo pulchritudine omnino deſtitutum fœdum, ac deforme dicendum ſit corpus. Quod quidem ex conſtantiſſimis motus legibus inevitabiliter oritur, ut dum una ſpecies, ſeu pulchritudo in corpore perit, altera ſtatim conſurgat. Porro etſi mundana corpora ſint mutabilia, tamen in illis immutabilis naturæ imitatio viget, ut tametſi non eamdem ſemper pulchritudinem, ratione motus corpora ſervent, nihilominus ſemper in illis ſua ſpecies, ac determinata pulchritudo effloreſcit. Concludendum eſt igitur, quod ſi mundana corpora infinità Dei virtute quodammodo coguntur eſſe ratione molis, neceſſe eſt etiam, ut perpetuò vivant, ratione ſpeciei, & pulchritudinis, quæ illis inſeparabiliter ineſt.

PROPOSITIO TERTIA.

Non tantum corporibus verùm etiam & humano Animo ſua ineſt ſpecies, ac pulchritudo.

COrporis pulchritudo, ut ſupra innuimus, nihil aliud eſt, niſi quædam congrua diſpoſitio, & harmonica quædam partium coordinatio ad aliquem effectum juxtà naturæ inſtitutionem præſtandum. Haud abſimilis elegantia, & ſpecies in humano animo elucet, cujus tota pulchritudo in quadam ſuarum cogitationum apta diſpoſitione, & in quodam harmonico nexu conſiſtit. Adeò enim ſinguli humanæ mentis modi, & diverſæ cogitandi ſpecies invicem adnectuntur, aptè ac congruè diſponuntur, ut nihil ſanè Animo pulchrius, & elegantius. Præſidet primò, tanquam Dux, & magiſter, immutabile lumen rationis humano Animo, qui ei inſeparabiliter conjungitur, Rationi intelligendi facultas ancillatur, quæ nihil aliud eſt, niſi furor, & impetus ad immutabile Verum, cui deindè tanquam inferioris ordinis judicium, ratiocinium, dubium, & quamplures aliæ cogitandi formæ famulantur. Dum autem in hominis Animo intellectum veluti ſuſtinet, & ad ſe allicit immutabilis Veritas, ex alia parte illius voluntatem, & amorem ad ſe univerſale, & infinitum bonum trahit, & impellit, nihil enim aliud eſt voluntas, quam ad Bonum interminatum, & generale inevitabilis impetus, & ingenitus quidam furor, ſub cujus imperio quodammodo cæteræ Animæ affectiones, ac concitati motus militant. Inſigniores tamen Animi impetus ad verum, & ad bonum tanto nexu mutuò copulantur, ut dum alter intelligit, alter amet, quos eodem vinculo devincit, tuetur, & ad ſe rapit incommutabilis æternæ Mentis Natura. En præſtantiſſima humani Animi pulchritudo quæ potiſſimùm ſita eſt in ipſiuſmet Animi conjunctione cum incommutabili vero, & infinito bono, atque in quadam inferiorum ac ſuperiorum

De Animi humani pulchritudine & elegantia.

cogitationum & Animi affectionem congrua, & harmonica connexione, & dispositione.

SYNTHESIS.

Semper vivere, nunquam interire humanum Animum ostenditur.

HUmanus Animus melior est, ac præstantior corpore ex Prop. 1. Analysis septimæ argumentationis.

Atqui corpus immortale est non tantùm ratione molis, verum etiam pulchritudinis, & speciei ex Prop. 1. & 2. præcedentis Analysis.

Potiori ergo jure immortalis omninò erit humanus Animus, ut nunquam sua specie, ac pulchritudine denudari valeat. Quapropter etsi aliquando per errorem aut stultitiam Animus noster recedere, ac sese avertere à propria elegantia, & pulchritudine, à ratione nimirum, cui obstringitur, videatur, nunquam tamen tam fœdus, ac tam deformis evadit, ut sua ingenita pulchritudine penitus exuatur. Siquidem si corpori inferioris ordinis concessum est, ut semper sub aliqua formâ & specie deliteſcat, nulla est ratio, cur hoc sit humano Animo denegandum, cum summopere hic singulis corporibus naturæ excellentiâ præstet.

Altera accedat demonstratio, ut evidenter intelligamus, neque ob pulchritudinis, ac speciei defectum ac privationem interire posse humanum Animum. Pulchritudo, & elegantia Animi humani potissimùm sita est in ipsius conjunctione cum incommutabili vero, & infinito bono. Atqui hæc conjunctio nullo pacto destrui potest, cum semper, ac perpetuò vivant in humanæ mentis intellectu verum, in amore, seu voluntate bonum; vivit semper verum, quia semper regnat in intellectu ratio, ut suprà demonstratum est, vivit etiam in voluntate bonum infinitum, ut solide in nostris investigationibus ostendemus. Cum igitur bonum, & verum, ad quæ inevitabiliter aspirat Animus, & quibus inseparabiliter copulatur, immutabili, ac sempiterna naturâ perfruantur, manifestè deducitur semper vivere, & immortalem esse humanum Animum.

Vsus Augustinensis Argumentationis, nostrique apparatus ad Epicuri doctrinam evertendam.

AUgustini Argumentum à specie, & pulchritudine corporis depromptum magni quidem roboris est, ut Epicuri doctrinam de Animæ caducitate prorsùs infirmet, ac falsitatis convincat. Quippè juxtà Epicuri principia regnant quædam corpora in Universo, quæ non tantùm ratione molis, & solidæ extensionis verùm etiam, & ratione propriæ formæ, speciei, & peculiaris pulchritudinis immortalia sunt, ut nunquàm interire queant, huiusmodi, ut docet Epicurus, se habent prima, & individua corpora, minutissimæ scilicet Athomi, quarum non tantum moles, & soliditas incorruptibilis est, & indissolubilis, sed etiam earum figura, ac peculiaris partium dispositio immortalis est, & ab interitu immunis. Athomi enim secundùm Epicureæ doctrinæ principia peculiari quadam pulchritudine, figura nempè & partium dispositione gau-

gaudent, quibus nullius Agentis virtute privari possunt. Iam humanus Animus præstantior, ac melior est huiusmodi individuis corporibus, ac tenuissimis Athomis, melior enim ac præstantior est Ratio, quàm cæca, insensilis, & exanimis Athomus, ut manifestè ex Propositionibus à nobis supra demonstratis colligitur. Si melior autem, ac præstantior est Ratio, melior sanè, & ipse humanus Animus erit athomis, qui inseparabiliter præstantissimæ, ac potentiori Rationi coniungitur. Si ergo infirmior Athomus immortalis est, ac sempiterna, quantò magis incorruptibilis erit Animus, omnibus corporibus longè excellentior, atque immutabili Rationi perpetuò copulatus? Ex hoc igitur quod corporis occasione stultus aliquando videatur Animus, & à ratione aversus, non ita tamen sua specie, & pulchritudine exuitur omninò Animus, ut prorsus fœdus, ac deformis intereat; nam si suam speciem, & elegantiam constantissimè viliores Athomi tuentur, quantòmagis immortalis Animi species & pulchritudo erit; secus haud melior Athomis, sed inferioris notæ, & vilior esset Animus.

Nona Augustini argumentatio deprompta ex ipsiusmet humanæ Mentis vitâ, & incorporea naturâ.

TEXTUS.

Quod si quisquam non eum interitum dicat formidandum Animo, quo efficitur, ut nihil sit, quod aliquod fuit, sed eum quo dicimus, ea mortua, quæ vita carent, attendat quod nulla res seipsà careret. Est autem Animus vitâ quædam, unde omne quod Animatum est, vivit. Omne autem inanime, quod animare potest, mortuum, idest vita privatum intelligitur. Non ergo potest Animus mori. Nam si carere poterit vitâ, non Animus, sed Animatum aliquid est. Quod si absurdum est, multo minùs hoc genus interitus timendum est Animo, quod vitæ certè non est timendum. Nam prorsus si tum moritur Animus cum eum deserit vita illa, ipsa vitâ, quæ hunc deserit multò melior intelligitur Animus, ut iam non sit Animus quidquid a vita deseritur, sed ea ipsa vita, quæ deserit. Quidquid enim vitâ destitutum mortuum dicitur, id ab Anima destitutum intelligitur, hæc autem vita quæ deserit ea quæ moriuntur, quia ipsa est Animus, & seipsam non deserit, non moritur Animus. Nisi forte vitam temperationem aliquam corporis, ut nonnulli opinati sunt, debemus credere. Quibus profectò nunquam hoc visum esset, si ea quæ verè sunt, & incommutabilia permanent, eodem Animo a corporis consuetudine alienato, atque purgato videre valuissent. Quis enim bene se inspiciens, non expertus est, tantò se aliquid intellexisse sincerius, quantò removere, atque subducere intentionem Mentis a corporis sensibus potuit? Quod si temperatio corporis esset Animus, non utique id posset accidere. Non enim ea res, quæ naturam propriam non haberet, neque substantia esset, sed in subjecto corpore tanquam color, & forma inseparabiliter inesset, ullo modo se ab eodem corpore ad intelligibilia percipienda conaretur avertere & in quantum id posset, in tantum illa posset intueri eaque visione melior, & præstantior fieri. Nullo quippè modo forma vel color, vel ipsa etiam corporis temperatio, quæ certa commixtio

mixtio est earum quatuor naturarum quibus idem corpus subsistit, avertere se ab eo potest, in quo subjecto est inseparabiliter. Ad hæc ea quæ intelligit Animus cum se avertit a corpore, non sunt profecto corporea, & tamen sunt maximè quæ sunt, nàm eodem modo semper sese habent. Nam nihil absurdius dici potest, quam ea esse, quæ oculis videmus, ea non esse quæ intelligentiâ cernimus, cum dubitare dementis sit intelligentiam incomparabiliter oculis anteferri. Hæc autem quæ intelliguntur eodem modo esse habentia cum ea intuetur Animus, satis ostendit se illis esse conjunctum miro quodam, eodemque incorporali modo, scilicet non localiter. Namque aut in illo sunt, aut ipse in illis. Et utrumlibet horum aut ut in subjecto, alterum in altero est, aut utrum quæ substantia est, sed si illud primum, non est in subjecto corpore Animus, ut color, & forma, quia vel ipse substantia est, vel alteri substantiæ, quæ corpus non est, in subjecto inest. Si autem hoc secundum verum est, non est in subjecto corpore tanquam color Animus quia substantia est. Temperatio autem corporis in subjecto corpore est tanquam color. Non est ergo temperatio corporis Animus, sed vita est Animus. Et si nullas res se deserit, & id moritur quod vita deserit. Non igitur Animus mori potest.

ANALYSIS.

PROPOSITIO PRIMA.

In Homine Animi vita Ratio, Corporis verò vita ipsemet Animus est.

HVmanus Animus quodammodo collocatus inter Rationem, & corpora intelligitur. Ratio supra Animum est, infrà verò Animum corpus; nam sicuti Ratio, immutabilis scilicet Veritas, maximè præstat Animo, ita corpori summopere antecellit Animus, corpus Animo, hic verò Rationi subditur; idcircò Animus, quia rationi coniunctus, vivit, corpus verò, ideò vivit, quia Animo copulatur. Rationem verò Animi vitam esse, quis sanæ Mentis inficietur? siquidem non ob aliam rationem vivit Animus, nisi quia intelligit; nam verè, & propriè vivere ipsum intelligere est, ut alibi satis exposuimus. Attamen non intelligit Animus nisi quia ad Rationem tendit, incommutabili nempè veritati associatur, quæ Animo tribuit, ut sit Animus, qui sanè nullo pacto esset, ac intelligeret, nisi cum illo immutabile Verum, seu ratio coniungeretur. Est igitur ratio Animi vita; quidquid enim alteri tribuit, ut vivat, agat, & subsistat, verè illius vita est. Si ergo ideò Animus est, & vivit, quia rationi inseparabiliter adnexus est, ratio citrà dubitationum humanæ Mentis vita dicenda est.

Sicuti igitur Ratio superioris ordinis, & potentioris naturæ humani animi Vita est, quæ si recederet, exanimis, ut ita dicam, & emortuus maneret Animus, ita & Animus infimioris corporis vita est. Corpus enim non ob aliam causam vivere dicitur, nisi quia animatum est, quia scilicet Animam habet, nam mortuum dicitur omne id, quod exanime est, anima nempè destitutum. Si igitur corpus dicitur vivere, tantùm quia in eo Anima vivit, necesse est, ut ipsamet corporis vita Animus sit, se ipso haud altero mediante vivens, si ad sensilcs, & corporeas res comparetur. Vita ergo est Animus, secus haud Animus, sed Animatus potius dice-

diceretur, si non se ipso viveret, sed mediante altero inferioris ordinis; nam si Animus ad rationem referatur, quæ altioris est ordinis, poterit quodammodo per Analogiam, & proportionem ad corpora dici Animatus, mediante nimirum ratione, cui coniungitur vivens.

Deinde id dicitur Vita corporis in homine, quod est illius agendi principium. Nihil enim quod non agit, vivit, ac nulla actio exanimis est. Atqui corpus tantùm patitur, solus Animus in homine in actionem erumpit, & operatur, ut suprà fusè cum Augustino demonstravimus. Vita igitur corporis in homine ipsemet Animus agens est, quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Aliqua res mori propriè dicitur, cum exanimis manens a Vita deseritur, aut impropriè, quia corpus mortale est, & in partes solvitur, aut quia corporis affectio quædam, & temperatio est, quæ soluto corpore in nihilum abit.

IVxta vulgarem modum loquendi propria non ea mori dicuntur, quæ abeunt in nihilum, ut idem sit in mortem incidere quàm in nihilum incurrere, sed tantùm, quæ adhuc existentia, vità tamen, seù Animà privantur: hoc pacto hominis cadaver mortuum corpus appellatur, non quin adhuc non maneat, & in nihilum redactum sit, cum Animo recedente, verè existat, sed quia illud vita, nimirùm Animus deservit, ob quam rem exanime dicitur, idcircò idem apud nos sonat emortuum, quam exanime. Impropriè verò duplici alio modo mortuæ solent dici res, & primò cum corpora motu vehementi agitata, quæ veluti ob motus actionem vivere videntur, in partes solvuntur, ac dissipantur, quomodo mori & extingui flamma dicitur, & ignis. Deinde mori dici solet species, aut pulchritudo, aut temperatio, aut alia quævis corporis affectio, cum corpus, cui ea tanquam modus inseparabiliter inhæret, in partes solutum interit.

PROPOSITIO TERTIA.

Humanus Animus ut intelligat, & incorporea cernat, necessum est, ut à corpore se se avertat, ac removeat. Quæ autem citrà corporis auxilium intelliguntur, maximè sunt, sensilium rerum naturà certiora quidèm, & evidentiora.

EX rebus demonstratis facilè huius Assertionis veritas nobis aperitur. Illa potissimùm sub intelligentiam, quæ sempiterna, & immutabilia sunt: siquidem Intelligentiæ munus est, primas, & manifestissimas veritates cernere, quæ in rationis thesauro, in artium scilicet, & disciplinarum gremio delitescunt, atque ut ostensum est, mutationi minimè subiacent incorporeæ quoque, & inextensæ. Iam ut has immortales, & insectiles veritates intelligat Animus, necesse est, ut à corporis consuetudine alienatus sit, atque purgatus. Quis enim benè se inspiciens, non expertus est tantò se aliquid intellexisse sincerius, quantò

quantò removere, atque ſubducere intentionem mentis à corporis ſenſibus potuit? Nequit namque immutabile verum cerni ab Animo, niſi Animus ſingulas corporum imagines, ac ſimilitudines prorsùs à ſua cogitatione ſejungat, quod pluribus rationibus, & exemplis pluries à nobis in præcedentibus propoſitionibus oſtenſum eſt. Superest ergò, ut demonſtremus, ea, quæ nudo Animo intelliguntur, & nullo modo ſub ſenſum, & imaginationem cadere valent, non tantùm non eſſe figmenta, verùm & maximè eſſe, quæ nimirum quamvis mutationem à ſe rejicientia, ſemper ac firmiſſimè manent, quorum certitudo, & evidentia major eſt, quã ſit ea; quæ in rebus corporeis, & ſenſilibus continetur. Quippè quæ nudo animo intelliguntur, ut ſunt primæ, & manifeſtæ artium, ac doctrinarum veritates adeò firmiter ſunt, & menti clarè, ac diſtinctè ſeſe offerunt, ut aliter ſeſe habere, & intelligi nequeant, ut inſaniam ſaperet, illas in dubium revocare. Quis enim unquam, niſi dementià laboret, in dubium vertet, tria & duo non eſſe quinque, totum ſuam partem non excedere, perfectiſſimam naturam neceſſariò non exiſtere, ejuſdem circuli radios invicem non æquari, & ſimilia? Adeò enim hæc nobis conſtant, ut ſub nullam dubitationem cadant. Quin etiam certiora, & evidentiora ſunt eiſdem rebus, quas carnis oculis inſpicimus. Etenim optimè fieri poteſt, quod quidquid ſenſibus exhibetur, verè extra animi notiones non exiſtat, ſed ſimplex ſenſuum ludibrium & illuſio ſit. Siquidem neceſſe neutiquam eſt, ut verè extra noſtras ideas regnent, ac vivant ea, quæ ſenſibus, aut phantaſia percipimus, ut clariſſime nobis innumera ſuadent exempla, & ſatis eſt ad hoc intelligendum. ut in delirium, aut inſaniam, aut ſomnium diligenter animadvertamus. Idcircò potius dubitandum eſſet de exiſtentia rerum, quæ carnis oculis, aliiſque ſenſibus ſubjacent, quam de iis, quæ tantum nudæ intelligentiæ repræſentantur, quæ non tantùm ſunt, verùm & immutabiliter ac maxime ſunt.

Res ſpivitales & intelligibiles, Auguſtino docente, evidẽtiores ſunt ac certiores ſenſibiue & corporeis naturis.

PROPOSITIO TERTIA.

Humanus Animus non eſt ipſum corpus organicum, aut illius ſubtilior pars, aut illius temperatio, ſed incorporeus eſt & inextenſus.

SI ea, quæ ſuprà demonſtravimus accuratè conſulamus, expoſita propoſitio manifeſtiſſimè innoteſcit. Siquidem ſi artium, ac diſciplinarum, incorporeæ nempe, & immutabilis rationis legitimum ſubjectum eſt Animus, neutiquam ipſum organicum corpus Animus eſt, ſecùs corporeis, ac mutabilibus rebus verum, ſeù ratio inhæreret, quod immutabili, & incorporeæ Rationis naturæ mirum in modum adverſatur. Si ergò inſeparabiliter inextenſo vero conjungitur Animus, nullo pacto aut craſſum, & organicum, aut ſubtilius corpus eſt Animus. Neque corporis affectio dici poteſt, aut quatuor primorum corporum ſeu elementorum, aut athomorum temperatio, & conjunctio, ut plures perperàm opinati ſunt; Etenim hoc pacto mortalis, & caduca corporis affectio, ſeu modificatio immutabilis, & ſempiternæ Rationis ſubjectum eſſet, quod ſanè citrà manifeſtiſſimam falſitatem, rerumque pugnam intelligi, aùt ſuſtineri non poteſt.

Præ-

Prætereà si Animus corporis temperatio esset, haberet quidem pro subjecto corpus, atque adeò ut existeret, ac maneret, necessariò indigeret corpore; nam quia figura exempli causa modus, & affectio corporis est, corporis nempè terminus, & extremitas, ideò ut figura existat, & concipiatur, & ipsum corpus, cui inhæret, esse, & intelligere oportet. Hinc intereunte corpore, scilicet subjecto, opus est, ut illico ipsa figura intereat, quæ tamdiù durat, quamdiù manet corpus, cujus quædam affectio est. Sicuti ergò figura, ut duret, & existat, necesse est, ut omninò ad corpus, nempè ad suum subjectum convertatur, cui eò intimius conjungitur modus, quo vehementiùs existere, & regnare exoptat; haud absimili modo si Animus corporis affectio, & temperatio esset, nullo pacto ut se ipsum tueretur, ac conservaret, intelligere posset, aut deberet; nimirùm nunquam sese avertere, & removere possit à corpore cum cogitat; nam hoc idem esset, ac Animum sese à sua vita sejungere, scilicet à subjecto, quo indiget, ut vivat; quin etiam dum à corpore intelligendo recederet, à propria naturâ, & perfectione se removeret, atque adeò ad sui interitum & destructionem voluntario motu tenderet. Si igitur ut Animus animi naturam in se conservet, atque rationis vitâ animetur, necesse est ut intelligendo à corporum consideratione sè abducat, ac removeat, evidenter infertur, non esse corporis temperationem Animum, sed rem potiùs inextensam, & insectilem, quæ profectò si corporis modus esset, aut ipsa corporis substantia, nullo pacto incorporeas, & inextensas naturas cerneret, aut incessanter ad id, quod immutabile, & à corporis dimensionibus alienum est, tenderet.

SYNTHESIS.

Mentem humanam sempiternam esse demonstratur.

HUmanus Animus ipsamet corporis vita est, insectilis, & inextensa, cujus vita ipsamet immutabilis ratio est ex Prop. 1. & 2.

Nunquam igitur emoritur humanus Animus; nam ut constat ex Prop. 2. non potest propriè mori cum nunquam Animum deserat vita; quippè si ipsa vita corporis est Animus, profectò non potest ab eo vita recedere, secùs haud Animus, sed animatus foret. Nemo autem se ipsum deserit, cum ergò vita sui conservationem amans, se ipsam deserere non valeat, necesse est, ut semper vita sit, & existat, atque adeò propriè nullo pacto aliquandò moritur Animus, cui neque improprie mors accidere potest. Nam cum incorporeus, & inextensus sit, neque in partes solvitur, neque corporis affectio, ac temperatio est. Nunquam ergò moritur, immortalis est Animus.

Deinde duplici alio modo, nostra præcedenti Analysi opitulante, eadem propositio ostendi potest.

Ac primùm. Nulla res propriè mori dicitur, nisi quæ à vita, seu ab Anima deseritur ex Prop. 1.

Quidquid igitur talis naturæ est, ut inseparabiliter vitæ, & Animæ conjungatur, semper vivit, ac nunquam mori potest.

Atqui humani Animi vita, & quodammodo Anima ipsum immutabile verum est, nempè ratio, à qua nullo pacto Animus sejungi potest ex Prop. 1. & ex rebus jam supra demonstratis.

Talis igitur conditionis, & naturæ est humanus Animus, aut nun-

quam vitam, seu Animam, qua fovetur, & vivificatur, amittere valeat. Quapropter fatendum est nunquam mori, sed semper vivere humanum animum.

Prætereà humanus Animus, ut sit Animus, & intelligat, opus est, ut sese à corpore avertat ex Prop. 3.

Non est igitur corpus, aut corporis temperatio humanus Animus ex Prop. 4.

Insectilis ergo est, & incorporeus; quidquid enim insectile est, cum in nullas partes solvi possit, etiam ipso docente Epicuro, immortale est, ut nunquam mori valeat.

Augustinensis argumentationis nostrique apparatus usus ad Epicuri sophismata confutanda.

VT ostenderet Epicurus, corporeum atque adeò mortalem esse humanum Animum, inter alias argumentationes sequentem excogitavit. Ut noster Animus agat, seù cogitet, oportet, quod semper ad corpus convertatur, nempè quod circa corporum imagines, & phantasiæ simulacra versetur, ut nisi corporum similitudines, sensuum ministerio, acciperet, in nullam sanè cogitationem erumperet. Si igitur ut operetur, ac percipiat, corporeis organis indiget Animus, corporeum, atque adeò corruptibilem humanum animum esse oportet.

Ut autem hujus sophismatis fraus, ac dolus, Augustini ratiocinio auxiliante, facilius detegatur, sequenti modo arguimus. Ut humanus Animus sit Animus, nimirùm intelligat, atque cum ratione, seù incommutabili vero commercium habeat, opus est, ipsum Animum à corpore, & à quavis illius imagine suam considerationem prorsùs subducere, & removere, modo quo suprà solidè demonstravimus. Non est igitur corporeus, & sectilis Animus; si ut vivat, necesse est, sese à corpore avertere. Ad quod sanè minimè animadvertit Epicurus, qui humanum Animum tantùm ad corpus comparans, turpissimè à rationis vita separavit. Epicuri tamen fallacia, & hallucinatio sita est in hoc, quod sensum & phantasiam ab intelligentia minimè disiunxit; quin etiam Animum cum Anima confundens, non distinxit in humana mente id, quod tendit ad corpus, ab eo, quod ad solum incorporeum, & immutabile verum refertur. Convertitur quidem humana mens ad corpus, quatenus corporis vita, & anima est, prout nimirum sentit, ac imaginatur, quæ operationes sunt ad corpus tuendum, ac moderandum ordinatæ; attamen nullo pacto ad corpus convertitur, & aspirat, sed omninò ab eo removetur, quatenùs intelligit, & rationis vitâ animatur.

Argu-

Argumentatio decima deprompta ex eo quod humanus Animus contrario careat, quo destrui possit:

TEXTUS.



Vrsus igitur si quid metuendum est, id est metuendum ne deficiendo Animus intereat, idest dum ipsa existendi specie privatur. De qua re quanquam satis esse dictum arbitrer, & quam hoc fieri non possit certa ratione monstratum sit, tamen etiam hoc attendendum est, non esse aliam causam hujus formidinis, nisi quia fatendum est in defectu quodam esse Animum stultum, & in essentia certiore, atque planiore sapientem. Sed si quod nemini dubium est, tunc est Animus sapientissimus, cum veritatem, quæ semper eodem modo est, intuetur, eique immobilis inhæret divino amore conjunctus & illa omnium, quæ quoquo modo sunt, summè, maximèque est aut ab illa est Animus, in quantum est, aut per seipsum est. Sed si per seipsum est, quoniam ipse sibi causa existendi est, & nunquam se deserit, nunquam interit, ut supra etiam disputavimus. Si verò ex illa, diligenter opus est quærere, quæ res ei possit esse contraria, quæ Animo auferat Animum esse quod illa præbet. Quid est igitur? An forte falsitas, quia illa veritas? Sed non manifestum est, atque in promptu situm, quantum nocere Animo falsitas possit? Non enim amplius potest, quàm fallere. At nisi qui vivit, fallitur nemo. Non igitur falsitas interimere Animum potest. Quod si hæc non potest, quæ contraria veritati est, auferre Animo Animum esse, quod ei veritas dedit, ita enim est invictissima veritas, quid aliud invenitur, quod auferat Animo id quod est Animus? Nihil profectò. Nam nihil est contrario valentius ad id auferendum, quod sit ab ejus contrario.

At si veritati contrarium ita quæramus, ut non in quantum veritas est, sed in quantum est veritas, siquidem veritatem eam dicimus, qua vera sunt omnia, in quantumcumque sunt, in tantum autem sunt, in quantum vera sunt, tamen nullo modo id defugerim quod mihi evidentius suffragatur. Nam si nulla essentia in quantum essentia est aliquid habet contrarium, multo minùs habet contrarium prima illa essentia, quæ dicitur veritas in quantum essentia est. Primum autem verum est. Omnis enim essentia non ob aliud essentia est, nisi quia est. Esse autem non habet contrarium, nisi non esse, unde nihil est essentiæ contrarium, nullo modo igitur res ulla esse potest contraria illi substantiæ, quæ maximè, ac primitus est. Ex qua si habet Animus idipsum quod est, non enim aliunde hoc habere potest, qui ex se non habet, nisi ab illa re, quæ illo ipso est Animo præstantior, nulla res est, qua id amittat, quia nulla res ei rei est contraria, qua id habet, & propterea esse non desinit. Sapientiam verò quia conversionem habet ad id ex quo est, aversionem illam potest amittere. Conversioni namque aversio contraria est. Illud verò quod ex eo habet, cui nulla res est contraria, non est unde possit amittere. Non igitur potest interire.

ANALYSIS

PROPOSITIO PRIMA.

Falsum, aut Error nulla ratione humanum Animum interimere potest.

SEquenti modo ingeniosissimè quidem hanc Propositionem, demonstrat Augustinus, si falsitas vim destruendi Animum haberet, potissimum hoc esset, quia Animum fallit, ac decipit, fallendo enim, ac in fraudem impellendo, animum falsitas lædit, & oppugnat. Atqui ex hoc quod decipitur, ac fallitur Animus, necessum etiam est ut vivat, & existat; etenim nisi viveret, profectò minimè falleretur Animus, vivit siquidem qui fallitur, nec si non esset, deciperetur: non interimit, non destruit igitur Animum error, sive falsitas, quæ potius Animi vitam tuetur, ac roborat, cum Animum fallit. Nam si illum interimeret, eum utique non falleret. Nullus igitur interitus animo timendus est, ex eo quod, falsitate obsidente, aliquando a veritate aliquo modo deceptus sese a veritat Animus.

Animus ipso quodammodo auxiliante errore, in Veritatem immergitur.

Augustini rationem hoc pacto nobis roborare liceat. Si falsitas destrueret Animum, id contingeret, quia per errorem Animus a veritate sejungeretur, atque adeò illius vitâ recedente interiret. Atqui etsi ex una parte falsitas Animum a veritate removeat, ex alia verò parte causa, aut occasio est, ut Animus deinde in eamdem veritatem immergatur, atque veluti intimiùs veritati, ipsomet, ut ita dicam, auxiliante errore conjungatur. Etenim ut Animus in falsum incidat, seù ut erret, ac decipiatur, necesse est, ut imagine, ac similitudine veri circumventus, putet se inspicere verum, nempè existimet esse, id quod non est, aut aliquo determinato modo esse id, quod revera aliter est. Cum autem Animus deceptus se verum excogitasse, aut intelligere putat, verè scit se putare, seù verè intelligit se putantem, nimirùm se existimantem citrà errorem verum invenisse; se autem jam verum invenisse existimare, aut putare, verum quidem constantissimè est; verum namque est, Animum arbitrari se in verum incidisse, dum errore captus fallitur. Cum igitur Animus in falsum incidens, se verum invenisse existimantem intelligit, verum ipsum intelligit, atque adeò ex hoc etiam quod decipitur, veritati conjungitur, seu ipsum verum, à quo per falsitatem removetur, secundum tamen diversam illius faciem intuetur, ac intelligit. Concludamus ergo non posse humanum Animum falsitatis nequitia, & vi à veritate sejungi, ut tandem deficiat, ac intereat.

PRO-

PROPOSITIO SECVNDA.

Quævis Natura sive simpliciter infinita, sive limitata, quatenus est, seu Essentia dicitur, prorsus contrario caret.

AC primò cum Augustino demonstrandum est, naturam simpliciter infinitam, Ens nimirum perfectissimum, quod ipsum esse, absque ulla limitatione est, nullum contrarium habere, quo destrui, & oppugnari possit. Siquidem Ens perfectissimum maximè, & primitus est, omnem enim perfectionis gradum plenissimè complectitur. Si igitur extrà ipsum aliquod contrarium, quod ei adversaretur, regnaret, hoc sanè haud aliquid, sed ipsum nihilum esset. Quidquid enim est, ut in Ente perfectissimo perfectiùs eluceat, necesse est; Si igitur ipsum nihil Summæ Essentiæ contrarium est, sanè nihil reverà extrà infinitam naturam est, quod illi adversetur, & opponatur. *Perfectissimæ Naturæ nihil quidem adversatur.*

Hùc accedit. Quidquid diversum ab infinito, & perfectissimo Ente est, si est, non ab aliam rationem existit, & est, nisi quia illius participatio quædam, vestigium, aut imitamentum est, quod revera non est, nisi quia id quod verè est, repræsentat, seu ad id, quod summè est, tendit. Nulla autem res opponi, & adversari potest ei naturæ, cuius participatio est, & Imago, ad quam, ut sit, tanquam ad suum exemplar aspirat; Idcircò nihil perfectissimæ naturæ contrarium est. *Res finitæ infinitæ Naturæ vestigiùm sunt, & imitamentum.*

Deinde si Ens simpliciter infinitum contrarium haberet, quo destrui, aut perturbari valeat, nullo pacto summè, & perfectissimè esset; nam eo perfectior esset illa natura, quæ a cujusvis contrarij ictibus, & iniuria immunis esset, atque adeò quod ens perfectissimùm supponimus, imperfectam pariter foret, finitum simul, & infinitum, quo certè nil absurdius, & a veritate alienius; idcircò indubitanter fatendum est, summam essentiam, seù id, quod perfectissimè est, nullum contrarium habere.

Superest ut pariter Augustino docente ostendamus, nullam limitatam Naturam, seu infinitam Essentiam, quatenus est, contrarium habere. Siquidem cum quævis res limitata ad idem infinitum Esse tendat, eiusdem summæ Essentiæ participatio sit, & delineamentum, sequitur, singulas res concordiam, atque amicitiam quamdam, ad idem infinitum Ens tendentes, invicem habere, ut nulla res insequi, & ut ita dicam odio habere, & oppugnare in alia re illud valeat, quod quævis res appetit, & ardentissimè amat, idcircò nulla res quatenus est potest habere contrarium. *Ens Infinitum si contrarium haberet, & finitum pariter esset.*

PROPOSITIO TERTIA.

Immutabilis Veritas, quæ humano Animo coniungitur, neque ut veritas est, neque ut Essentia, prout nimirum est, contrarium habere potest.

EX iam demonstratis hæc Assertio planissimè liquet; nam veritas quæ animo coniungitur, ut veritas est, si contrarium haberet, ipsa falsitas

Falsum est, ni nihil falsitas esset; attamen falsum reverà nihil est; quidquid enim est, Verum est, ut Verum & esse idem prorsùs significent; Neque talis roboris falsum est, ut Veritatem ab Animo omnino seiungere possit. Etenim demonstratum est, falsitatem non interimere Animum, sed potiùs illum quodammodo eidem veritati, à qua recesserat, restituere. Si igitur falsitas nihil est, contrariò profectò caret Veritas; si autem fingatur aliquid esse, iam tàm impotens, & imbecillis est, ut pro nihilo illius contrarietas, & oppositio habenda sit cum Animum à vero dissociare nequeat.

Veritas quovis modo accipiatur, contrario caret. Si verò veritas non ut veritas, sed ut Essentia consideretur, iam summè est, veritas enim ipsum Ens simpliciter est, cuius ratione vera sunt, quæ sunt, hinc nequit intelligi summa Veritas, quin illicò summa Essentia concipiatur. Atqui iam probavimus, non tantùm perfectissimum Ens, verum etiam & limitatum, quatenùs est, penitùs contrario carere; Nihil igitur veritati ut Essentia est adversatur, atque adeo nihil invitam veritatem, seu rationem ab Animo dissociare valet.

Eodem pacto ratiocinandum est de ipsomet Animo, qui sive ut Animus est, seu prout Essentia quædam est, sive ut intelligens, sive veritati coniunctus est, nullum contrarium habere potest, cuius vi omninò deficiens ab immutabili vero seiungatur.

SYNTHESIS.

Humanæ Mentis immortalitas ostenditur. HVmanus Animus ut prorsùs deficeret, seu ut Animi naturam exueret, opus esset, ut à veritate, seu ratione seiungeretur. Vt constat ex rebus iam ut supra demonstratis.

Atqui nullum contrarium adest, ac viget, quod Animum à veritate seiungere possit ex Propos. prima, & secunda præcedentis Analysis.

Semper igitur vivit, nunquam deficere potest humanus Animus Q. e. d.

Vsus Augustinensis Argumentationis ad Epicuri fallaciam detegendam.

ARgumentatio Epicuri pro Animæ mortalitate ex contrariorum pugna deprompta sequens est. Cum adversante ferro, aut alio percutiente corpore, organicum hominis corpus scinditur, dilaceratur, aut quovis modo læditur, solvitur pariter, offenditur & à corpore tandem seiungitur Animus; sectilis igitur est Animus ac simul interit cum corpore. Quam autem fallax sit, & inane hoc Ratiocinium, præcedens Augustini Argumentatio evidentissimè ostendit. Quidquid enim corpori contrarium est, seu ad corpus organicum destruendum, & solvendum tendit, nullo pacto Animum destruit, & interimit; Sed tantùm illum quodammodo à corpore seiungit, seu occasio est, ut solutis, ac perturbatis organis non ampliùs Animus vivat, & operetur in corpore, quod tantùm vita privat, neutiquàm verò Animum, qui ipsamet corporis vita est. Ex eo autem quod Animus ob corporum pugnam à corporeis organis dissocietur, non ideò necesse est, ut deficiat, ac pereat Animus,

mus, qui non ideò Animus est, aut vivit, quia in corpore est, sed quia immutabili Veritati; seu Rationi coniungitur, quæ Animo dedit, ut sit Animus. Cum ergo nullum regnet contrarium, quod Animum à Ratione separare possit, quamvis Animus à corpore seiungatur, necessum tamen est semper vivere, & existere Animum. Idcircò si Epicurus Animi vitam nempè Rationem, haud corpus cogitatione revoluisset, nullum sanè contrarium invenisset, cuius ope vitam ab Animo aliquando separari posse putaret.

Argumentatio Vndecima deprompta ex eo quod humanus Animus nullo pacto in Corpus transmutari valeat.

TEXTUS.

Hic forte oriatur nonnulla quæstio, utrum sicut non interit Animus, ita nec in deteriorem commutetur essentiam. Videri enim cui piam potest neque iniuria id effectum esse ratiocinatione hac, ut Animus ad nihilum non possit pervenire, converti autem in corpus forsitan possit. Si enim quod erat antè Animus, corpus fuerit effectum, non utique omnino non erit. Sed hoc fieri non potest, nisi aut ipse id velit, aut ab alio cogatur. Nec continuò tamen Animus, sive ipse id appetierit, sive coactus fuerit, poterit corpus esse; illud enim sequitur ut si sit, velit, aut cogatur. Nunquam autem volet. Nam omnis ejus appetitus ad corpus, aut ut id possideat, est, aut ut vivificet, aut ut quodammodo fabricetur, aut quolibet pacto ei consulat. Nihil autem horum fieri potest, si non sit corpore melior. At si erit corpus, melior corpore profectò non erit. Non igitur corpus esse volet. Neque ullum rei hujus certius argumentum est, quàm cum seipsum hic interrogat Animus. Ita enim facilè competit appetitum se non habere, nisi agendi aliquid, aut faciendi, aut sentiendi, aut vel tantummodo vivendi in quantum sua illi potestas est. Si autem cogitur corpus esse, a quo tandem cogitur? A quolibet certe a potentiore. Non ergo ab ipso corpore cogi potest; nullo enim modo ullo Animo ullum corpus potentius. Potentior autem Animus non cogit in aliquid, nisi quod suæ potestati subditum est. Nec ullo modo Animus potestati alterius Animi, nisi suis cupiditatibus subditur. cogit ergo ille Animus non amplius quam quantum ejus, quem cogit, cupiditates sinunt. Dictum est autem cogi non posse Animum, ut corpus sit. Illud etiam manifestum est ad nullam suæ cupiditatis expletionem pervenire, dum amittit omnem cupiditatem, & amittit, dum corpus sit. Non igitur potest ab eo cogi, ut fiat, qui cogendi jus nisi per subditi cupiditates non habet. Deinde quisquis Animus alterum Animum habet in potestate, magis eum necesse est, velit in potestate habere, quam corpus & ei vel bonitate consulere, vel malicia imperitare. Non ergo volet, ut corpus sit. Postremo iste Animus cogens aut animal est, aut caret corpore. Sed si caret corpore in hoc mundo non est. Et si ita est, summè bonus est nec potest velle alteri tam turpem commutationem. Si autem Animus est, aut animal est, etiam ille quem cogit, aut non est. Sed si non est ad nihil cogi ab alio potest. Non enim habet potentiorem, qui in summo est. Si autem in corpore est, ab eo rursus, qui in corpore est, per corpus cogitur, ad quodcunque cogitur. Quis autem dubitet nullo modo per corpus fieri tantam commutationem Animo? Fieret enim, si

esset

esset illo corpus potentius, quamvis quidquid illud est, ad quod per corpus cogitur, prorsùs non per corpus, sed per cupiditates suas cogitur, de quibus satis dictum est.

Quod autem rationali Anima melius est, omnibus consentientibus, Deus est. Qui profectò consulit Animæ & ideò non ab eo cogi Anima potest, ut convertatur in corpus.

ANALYSIS.

PROPOSITIO PRIMA.

Humanus Animus nunquam appetit, ut sit corpus, quin etiam suaptè naturâ à corpore ut corpus est summoperè abhorret.

SI quid sit humanus Animus, quidvè corpus, diligenter expendamus, quam hæc assertio veritati consentiat, apertè intelligemus. Animus, ut ex rebus jam enucleatis constat, melior, ac longè præstantior est corpore. Mirum enim in modum res intelligens, ac immutabili rationi conjuncta, semper vivens, semper agens, brutam, inertem, ac desidiosam extensionem, corporis nempè molem antecellit; Nequit igitur Animus velle & appetere, ut fiat corpus, ut scilicet in viliorem, ac deteriorem naturam convertatur. Deinde ratio, cur aliquid vult, amat, & appetit Animus, est, ut boni possessione beatior, ac felicior evadat; nihil siquidem appetit Animus, nisi bonum, id nempe cujus assequutione suos appetitus explere, ac se ipsum beare putat. Appetit ergò ut, suum bonum amplectens, felicitate, quam mirificè exoptat, perfruatur. Fingamus jam Animum in corpus conversum esse, ut id quod vehementer appetiit Animus, jam sit plenissimè assequutus, jam nimirùm in naturam corporis transmutatus. Illicò profectò Animus, Animi naturam exuens, intelligendi potestatem amittet, ac penitùs in ociosum, ac torpidum corpus transformatus, omni actione, omnique cogitatione privabitur. Quidquid autem cogitandi, ac intelligendi virtute caret, nulliusquidem felicitatis est capax, & cum omni appetitu, & desiderio destituatur, neque bonum possidere, neque expletum aliquem appetitum habere, dici potest; nullo ergo pacto si Animus in corpus converteretur, suos appetitus expleret, atque beatitatem, ad quam tendit, obtineret, cum jam in corpus conversus, intelligendi potestatem, singula desideria, voluptatem, & ad bonum tendentiam amitteret, ut haud expleta, sed jam extincta illius optata dicerentur. Nequit ergò humanus Animus velle & exoptare, ut sit corpus, cum eo ipso quod in corpus convertitur, emortua, & extincta illius voluptas, ac felicitas intelligatur, neque possideret bonum, quod appetit, sed illo careret omninò.

Extùs & corporis rebus summoperè præstat Animus.

Solidè ac subtiliter ostenditur non posse Animum appetere, ut sit & fiat corpus.

Hoc autem planiùs nobis innotescet, si attentè cogitatione revoluamus, quò revera tendat, seu ad quam metam collimet amor, & appetitus nostri Animi ergà corpus, sane neutiquam ad corpus, sed potius ad invisibilia, & incorporea illum prorsùs aspirare intelligemus. Siquidem quovis modo Animus corpus appetat, & amore prosequatur, revera nihil aliud appetit, nisi vel ut corpus possideat, aut regat, & moderetur, aut per illum cogitet, aut illi quovis modo consulat.

Imò

Imò quod vehementiùs appetit eſt, ut corpus ei veluti cæco modo obtemperet, famuletur, ac docile inſerviat. Nullus quippe Animus appetit, aut amat in corpore, cui coniungitur, molem, pondus, ac ipſam pigreſcentem extenſionem, in quibus potiſſimum corporis natura ſita eſt, ſed potiùs, ut corporis molem vivificet, pro lubitu moveat, atque illa tanquam famula ad quaſdam ſuas operationes exercendas utatur nempe ut ſentiat, imaginetur, atque ad ipſius corporis cuſtodiam, ac tutelam invigilet. Haud igitur corpus, ſed vel ſe ipſum, vel corporis regimen, & gubernationem appetit, & diligit Animus, qui dum hæc vult, & exoptat, melior quidem eſt corpore, qua imperandi, poſſidendi, atque regendi perfectione confeſtim denudaretur, ſi in deteriorem corporis naturam trauſmutaretur.

Vnde Animi appetitus ergà corpus oriatur, diligenter expenditur.

Ut autem integra noſtra propoſitio ſuaderi valeat, fingamus ſecùndò, humanum Animum adeò organico corpori coniungi, ut ex rerum externarum impreſſione & contactu, nullo pacto corpus organicum afficiatur, atque organorum occaſione, neque voluptatis, neque doloris perceptio in Animo excitetur. Quin etiam corporis præſentia, inſigniter ſingulas Animi operationes perturbari, & impediri, ut nullum imperium in corporis organa exercere valeat Animus. Hac re poſita. Nullus quidem Animi appetitus tenderet ad corpus, à quò prorsùs tanquam impedimento abhorreret, nam cum illius occaſione, neque voluptatem, neque dolorem perciperet, abſque dubio illius cuſtodiam, ac tutamen negligeret Animus, corpus tanquam quid extraneum, ac contemnendum reſpiciens. Hinc niſi ſolertiſſimus naturæ Author dolorem aut voluptatem, tanquam ſenſilium & externarum rerum convenientiæ, aut incongruentiæ cum organico corpore notam, & caracterem, corporis occaſione, inſtituiſſet, profectò nihil de incolumitate, & corporis conſervatione curaret Animus; quin etiam tanquam carcerem, & vinculum organicum corpus deteſtaretur. Quæ enim proportio? qui nexus inter rem intelligentem, & trinè dimenſam? inter vegetum, ac robuſtum Animum, & ignavum corpus ſuaptè natura vita, & energia deſtitutum? quod haud auxilio, ſed potiùs impedimento eſt animo, qui cum ex ſe ad altiorem, & digniorem naturam, ad immutabilem ſcilicet, ac ſempiternam veritatem inceſſanter aſpiret, neceſſe eſt, ut infirmiorem, ac caducam corporis conditionem contemnat ac tanquam illius ſinquinamentum aſpernetur.

Cur [illegible] ac voluptatem occaſione corporis in Animo naturæ Author excitet, aperitur.

Ardua porrò difficultas hìc excitari videtur. Si animus ſuaptè natura à corpore, quatenus illud extenſum, ac moles iners eſt, maximoperè abhorret, qua ratione ſeparationem à corpore tantùm exhorreſcit Animus, qui in corpore vitam degere, experientia teſte, vehementiſſimè appetit, ut nihil corporis morte, ac interitu horribilius ſit Animo. Hæc dubitatio facilè ſolvitur, ſi dicamus; Animum haud extimeſcere corporis ſeparationem, quia verè illius amor, & appetitus ad corpus tendat, ſed quia illud regere, poſſidere, aut vivificare, aut alio modo afficere appetit; quin etiam expaveſcit dolorem, qui ob mutuum commercium inter mentem, & corpus naturæ imperio firmatum, animum torquet, & excruciat, dum corpus perturbatur, ac ſolvitur. Nam ſi ex corporis diſiunctione nullus dolor in Animum induceretur, aut ex organorum uſu, & motione voluptatem nullam perciperet Animus, pro-

Cur Animus à corpore ſeparatione tãtopere exhorreſcat, accuratiſſimè expenditur.

fectò à corporis ſeparatione neutiquam abhorreret Animus, aut corporis poſſeſſione gauderet, quapropter non à corpore ſeparari, ſed privari voluptate, dolore torqueri, hoc eſt, quod extimeſcit Animus. Fallax igitur eſt iam expoſita argumentatio ſeu difficultas ad noſtram aſſertionem infirmandam.

Quedam præjudicata vulgi opinio detegitur.

Prætereà appetitus Animi ergà corpus, atque mortis timor potiſſimum ortum ducit à præjudicata quadam opinione, quam ab ineunte ætate, ſeù à corporis infantia humanus contraxit Animus, qui veluti totus ad corpus cuſtodiendum, in ſenſibus occupatus, tanta cum familiaritate, tantoque commercio ſe corporeis rebus obſtrinxit, ut ſolas corporum imagines ac ſimilitudines cogitatione revolvens, ſuæ quodammodo naturæ oblitus, facilè ſibi ſuaſit, ſe de nulla re cogitare poſſe, niſi ſenſibus adhibitis, ex corporibus imagines capiat, atque corpori coniunctus, illius organis ad voluptatem percipiendam utatur. Hinc oritur, quod dum falsò putat, ſe nihil poſſe cogitare, nihilque percipere ſine corpore, ex nimia corporum familiaritate corporis ſeparationem extimeſcat, atque cum corpore coniungi appetat, quaſi metuens, ne ſoluto corpore, ſua cogitandi poteſtas extinguatur. Idcircò nullo pacto corpus, ſed voluptatem diligit, non corporis ſeparationem, ſed ſui interitum, ac deſtructionem deceptus Animus exhorreſcit. Cum verò nihil aliud appetat, niſi ſuam felicitatem, atque intelligentis vitæ conſervationem, evidenter infertur, Animum in corpore, non corpus, ſed incorporeum ipſum amare. Appetit enim voluptatem, & cogitationem excitatam mediante corpore, quæ cum ipſius inextenſi, & inſectilis Animi modi ſint, & affectiones, incorpoream quidem naturam redolent. Non enim cogitatio, aut voluptas ſub ſenſum, & imaginationem cadunt, ſed eas nuda percipit intelligentià, omni enim extenſione carent, nulliſque locis continentur. Quapropter inviſibilia tantùm, & incorporea in rebus viſibilibus, & corporeis appetit, ac quærit Animus, qui dum & ipſam corporum ſpeciem, ac pulchritudinem diligit, corporumque elegantià allicitur, haud corpore, ſed incorporeo delectatur. Pulchritudo namque corporis non ſenſu, ſed tantùm nudo Animo intelligitur. Siquidem non quod uidemus, ac ſentimus, ſed quod ſolùm intelligimus in corpore diligit Animus, ut cum de pulchritudine, & Univerſi harmonia agemus, fuſius explicabimus.

Animus in corpore haud corpus, ſed incorporeum amat.

Nequit Animus in corporum molem aſſurgere.

PROPOSITIO SECVNDA.

Nulla res cogere poteſt humanum Animum, ut in corpus convertatur.

ACcuratè Animi naturà expensà, illico hæc propoſitio demonſtratur. Quippè ſi Animus ſuaptè naturà res tota intelligens eſt, ut nihil aliud ſit præter Animum, atque adeò inſectilis, & inextenſa, evidenter infertur, nulla virtute Animum in corpus tranſmutari poſſe; Nequit enim citrà notionum luctam, & pugnam intelligi, qua ratione inſectilis, & inextenſa res poſſit in ſpatiis diſtendi, & in corporum molem, ac magnitudinem aſſurgere, ut facultas intelligendi tumeat, atque ſpatii dimenſionibus cogitatio comprehendatur. Invicem namque pugnant ſectile, & inſectile, trinè dimenſum, & quantitate carens,

rens, idcircò nulla ratione invicem converti possunt. Idem enim esset Animum in corpus converti, ac corporescere veritatem; in longum, latum, ac profundum explicari cogitationes; artes, ac disciplinas, quæ animo inseparabiliter inhærent, in corporum molem excrescere, quæ omninò à veritate alienissima sunt.

Augustinus verò alio modo utitur, & subtiliter quidem, ut ostendat, nulla vi humanum animum cogi posse, ut Animi naturà destitutus, in ociosam corporis magnitudinem convertatur; hoc enim pacto ratiocinatur. Si humanus Animus cogi posset, ut fiat corpus, qui hujusmodi illum cogeret, aut corpus esset, aut similiter Animus. Non potest esse corpus; nam ut aliquis cogat Animum, ut in deteriorem naturam degeneret, necesse est potentiorem, ac meliorem esse Animo. Atqui ex rebus jam demonstratis, corpus omninò præcellit Animus qui fortior est, ac dignioris naturæ; non potest igitur corpus longè infirmius, & imbecillius pulchritudinem, ac speciem suam demere Animo, ut hic tandem in vilissimum corpus abeat. *Peracuta Augustini ratiocinatio.*

Neque hæc vis cogens potest esse Animus; etenim vel hic Animus, qui cogens fingitur, est perfectissimus, nempè Deus, aut finitus, & creatus. Infinitus Animus scilicet Deus cum summè bonus sit, non potest sanè velle hanc turpem commutationem in Animo, seu ut Animus à perfectiori natura recedens in rem infimioris ordinis convertatur, cum enim dederit animo, ut sit Animus, ut scilicet intelligeret, & extensis rebus præstans, vita & robur corporis esset, non posset citrà suæ sapientiæ, & bonitatis iniuriam insignissimum Animum cogere, ut iners, ac infimum corpus evadat.

Deindè neque finitus Animus alium Animum illi similem cogere potest, ut in corpus transmutetur, atque adeo eidem demere, ut sit Animus. Siquidem vel Animus cogens potentior esset Animo, qui cogitur, aut æquè validus & robustus, si potentior, nulla sanè elucet ratio, cur hic velit, ut inferior Animus corpus fiat, cum potius velle debeat, ut maneat Animus, haud in corpus degeneret, cum excellentiùs suum imperium exercere possit circa Animum, quam erga corpus; nam potest inferiori Animo, aut bonitate consulere, aut malitiâ falsitatem, & errorem impartiri. Fortiùs enim, ac delectabiliùs ludens, aut docens, potentior Animus in Animo inferiori, qui maneat Animus, quàm si hic in corpus mutetur, agere posset. Non potest igitur humanus Animus à finito quidem, sed robustiori Animo cogi, ut corpus fiat; si autem Animus cogens æquè validus, ac perfectus fingatur, ut est Animus, qui cogitur, sanè cum momenta æquentur, seù vires sint æquales, nulla est ratio, cur alter cedat alteri, cum uterque æquali polleat potestate, neque ulla est ratio, cur alter tàm deteriorem alterius in corpus commutationem velit. Idcircò nulla vi cogi potest humanus Animus, ut in corpus convertatur. In nostris investigationibus copiosiùs hoc idem argumentum prosequemur, dum solidè ostendemus, absurdam, & commentitiam esse reciprocam Animi, & corporis conversionem, quam plures à veritate deflectentes tueri neutiquam erubescunt. *Impossibilis est Animorũ ac corporum mutua transmutatio.*

Humanũ Animum ab interitu immunem esse demonstratur.

SI Humanus Animus deficere, & interire posset, hoc contingeret, vel quia in nihilum abiret, vel quia ab incommutabili Vero, & ratione seiungeretur, vel quia illum Vita desereret, vel quia tandem specie, & propria pulchritudine spoliatus, in corpus converteretur.

Atqui iam demonstratum est, humanum Animum neque existentia privari, neque à ratione seiungi, neque à vita recedere, ac mori posse, quin etiam ex prima, & secunda Propositione præcedentis Analysis evidenter innotescit, nulla ratione in corpus converti posse Animum, ut saltem ex hoc intereat, quod in deteriorem naturam abeat. Semper igitur vivit, immortalis est, ac nullo modo deficere potest humanus Animus, ut nullum mortis, & interitus genus contingere possit Animo.

Non posse autem Animum deficere, & interire per conversionem, & commutationem in corpus sanè ex præcedentibus Propositionibus manifestè colligitur; primò quia Animi Natura utpotè insectilis, & inextensa nullam proportionem, & affinitatem habet cum corpore, quod est alterius generis, & prorsùs cum Animo in transmutabile. Deinde quia ut annuit Augustinus, si animùs converteretur in corpus, id certè contingeret, aut quia animus vult esse corpus, aut quia ab alio cogitur, ut invitus in corpus transformetur.

Atqui neque Animus vult, & appetit esse corpus, à quo summoperè abhorret ex Propos. prima, neque ab alio cogi potest, ut sit corpus ex Propos. secunda; Nullo modo igitur contingere potest huiusmodi transmutatio Animi in corpus.

Augustinensis Argumentationis Vsus, quo Epicureæ doctrina falsitas planiùs manifestatur.

EX iam demonstratis Assertionibus duplici modo Epicuri dogma de Animæ mortalitate oppugnari potest. E primò humani Animi caducitatem potissimum ex natura corporis educit Epicurus, qui putans, Animum corpus esse, animo mortalitatem tribuit. Atqui, ut solidè ostendit Augustinus, non tantùm humanus Animus non est corpus, sed etiam nulla in rerum Universitate regnat Virtus, qua animus in corpus aliquando converti valeat; immortalis igitur ac pariter incorporeus est Animus; ut omninò à Veritate deviet Epicurus.

Præterea inter Rationes ab Epicuro traditas pro Animæ mortalitate, illius Sectatores validiorem esse putant eam, quæ depromitur ab amore, & appetitu Animi erga corpus. Atqui in Propositione prima præcedentis Analysis satis huius Argumentationis fallaciam, & imbecillitatem deteximus. Vt nullius igitur momenti, & apertà falsitate deturpatam, Epicuri doctrinam à Sapientiæ Lyceis eliminemus prorsùs, ac rejiciamus.

Vlti-

Vltima Augustini Argumentatio deprompta ex eo quod humanus Animus neque in Somniis intelligendi potestate destitui, aut in corpus converti potest.

TEXTUS.

Si igitur nec propria voluntate nec alio cogente id Animus patitur, unde id pati potest, an quia invitos nos plerumque opprimit somnus, metuendum est, ne quo tali defectu Animus convertatur in corpus? Quasi vero quoniam somno membra nostra marcescunt, idcircò Animus sit ulla ex parte debilior. Sensibilia tantùm non sentit, quia quidquid illud est quod somnum facit, è corpore est, atque in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit, & claudit quodammodo, ita sane ut tali commutationi corporis cedat Anima cum voluptate. Quia secundum naturam est talis commutatio, quæ reficit corpus a laboribus, non tamen hæc adimit Animo, vel sentiendi vim, vel intelligendi. Nam & imagines sensibilium præsto habet, tanta expressione similitudinis, ut eo ipso tempore discerni nequeant ab iis rebus quarum imagines sunt, & si quid intelligit æquè dormienti, ac vigilanti verum est. Nam verbi gratia si per somnium disputare sibi visus fuerit, verasque rationes secutus disputando didicerit aliquid, etiam expergefactus eodem incommutabiles manent; quamvis falsa reperiantur cætera, veluti locus, ubi disputatio, & persona, cum qua disputatio fuisse visa erat, & verba ipsa, quod ad sonum attinet, quibus disputari videbatur, & alia hujuscemodi, quæ etiam cum ipsis sensibus sentiuntur, agunturque a vigilantibus, prætereant tamen nec ulla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur tali commutatione corporis qualis somnus est, usum ejusmodi corporis Animæ non vim propriam posse minui. Postremo si quamvis locum occupanti corpori, Anima tamen non localiter jungitur summis illis æternisque rationibus quæ incommutabiliter manent, nec utique loco continentur, prior afficitur Anima, quam corpus, nec prior tantùm, sed etiam magis. Tanto enim prior, quanto propinquior, & eadem causa tanto etiam magis, quanto est corpore melior. Nec ista propinquitas loco, sed naturæ ordine dicta sit. Hoc autem ordine intelligitur a summa essentia speciem, corpori per Animam tribui, qua est in quantumcunque est. Per Animam ergo corpus subsistit, & eo ipso est, quo animatur, sive universaliter ut mundus, sive particulariter, ut unumquodque Animal intra mundum quapropter consequens erat, ut Anima per Animam corpus fieret, nec omnino aliter posset. Quod quia non sit, manente quippè Anima in eo quo Anima est, corpus per illam subsistit, dantem speciem non adimentem, commutari in corpus Anima non potest. Si enim non tradit speciem, quam sumit a summo bono, non per illam sit corpus, & si non per illam sit, aut non sit omninò, aut tam propinque speciem sumit, quam Anima, sed & sit corpus, & si tam propinque sumeret speciem, id esset quod Anima, nam hoc interest. Eoque Anima melior quo sumit propinquius. Iam propinque autem corpus sumeret, si non per Animam sumeret. Etenim nullo interposito tam propinque utique sumeret. Nec invenitur aliquid quod inter summam vitam, quæ sapientia, & veritas est incommutabilis, & id quod ultimum vivificatur, idest

corpus

corpus, nisi vivificans Anima. Quod si tradit speciem Anima corpori, ut sit corpus in quantum est; non utique speciem tradendo adimit. Adimit autem in corpus Animam transmutando. Non igitur Anima sive per seipsam corpus sit, quia nonnisi Anima manente corpus per eam sit, sive per aliam, quia nonnisi traditione speciei sit corpus per Animam, & ademptione speciei Anima in corpus converteretur, si converteretur. Hoc & de irrationali Anima vel vita, quod nec in eam rationalis Anima convertitur, dici potest. Et ipsa enim nisi inferiore ordine rationali subijceretur, æquè sumeret speciem, & talis esset. Tradunt ergo speciem a summa pulcbritudine acceptam potentiora infirmioribus naturali ordine. Et utique cum tradunt, non adimunt. Eoque sunt, quæ infirmiora sunt in quantum sunt, quod species eis quasi a potentioribus traditur. Quæ quidem potentiora sunt etiam meliora. Quod his naturis datum est, quæ non mole majore plus possunt, minoribus molibus, sed sine tumore ullo localis magnitudinis eadem specie potentiora sunt, quæ meliora. In quo genere est Anima corpore melior, & potentior. Quapropter cum per illam, ut dictum est, corpus subsistat, ipsa in corpus nullo modo verti potest. Corpus enim nullum sit nisi accipiendo per Animam speciem. At Anima ut corpus fieret non accipiendo speciem, sed amittendo fieri posset. Et propterea fieri non potest, nisi forte loco Anima continetur, & localiter corpori iungitur. Nam si ita est, potest eam fortasse major moles, quanquàm speciosiorem in suam deteriorem vertere speciem, ut aer major ignem minorem. Sed non est ita. Moles quippè omnis quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus. Quare aliqua pars ejus alibi est, & alibi alia. Anima vero non modo universæ moli corporis sui, sed etiam unicuique particulæ illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore. Cum enim quid dolet in pede, avertitur oculus, loquitur lingua, admovetur manus. Quod non fieret, nisi id quod Animæ in eis partibus est, & in pede sentiret, nec sentire quod ibi factum est absens posset. Non enim nuncio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nunciat, quia passio, quæ sit non per continuationem molis currit, ut cæteras Animæ partes, quæ alibi sunt, latere non sinat, sed illud tota sentit Anima quod in particula fit pedis, & ibi tantùm sentit, ubi Fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. Nec tamen hoc modo adest tota ut candor, vel alia hujusmodi qualitas in unaquaque parte corporis est. Nam quod in alia parte corpus patitur cum coloris immutatione, potest ad candorem qui est in alia parte non pertinere. Quapropter secundum partes molis a se distantes, & ipse a se distare convincitur. Non autem ita esse in Anima per sensum, de quo dictum est, probatur.

ANALYSIS

PROPOSITIO PRIMA.

In Homine dormiente nullo pacto intelligendi Virtute destituitur Animus, sed adhuc cogitat, & vivit.

Somnus sensuum feria nuncupatur.

SOmno abreptus, sive dormiens dicitur homo, cum sensus vacant, & ociantur. Idcircò optimè sensuum feria somnus nuncupatur. Cessant autem ab opere sensus, cum ob nimiam spirituum Animalium, sive subtilioris sanguinis dissipationem, adeò nervi laxantur, & hebescunt organa, ut nullo pacto per nervorum filamenta ad cerebrum usque rerum externarum motiones propagentur, ut sensus perceptio excitetur in

in Animo; Nisi enim nervi proportione quadam tendantur, ut ipsis auxiliantibus externa corpora suas impressiones usque ad nervorum originem in cerebrum evibrare, & imittere valeant, nunquam sentiet Animus, adeoque laxatis nervis, somnum, sive sensuum vacationem contingere necesse est. Sensatio enim, ut alibi dicemus, nihil aliud est, nisi perceptio quædam in Anima excitata, occasione motus, qui à rebus externis nervorum extremitatibus communicatus, ad cerebrum usque excurrit, ac propagatur.

Iam ex hoc quod in somno humanus Animus à sentiendo cesset; tantum sequitur Animum sentiendi facultatem nullo modo in somnis exercere, non autem sentiendi virtute privari, quæ illicò in actionem erumpit, dum ad pristinam tensionem in vigilia nervorum filamenta sese restituunt. Dum autem pigrescit & feriatur sensus, ob vehementiorem spirituum Animalium in cerebri substantia copiam, & tumultum, plurimùm vigere solet in Animo phantasia, si vè imaginandi potestas, quæ quodammodo innumeris corporum idolis, & imaginibus obsessa, & oppugnata, tam vividè corporum similitudines animo exhibet, ut illas haud facilè ab ipsismet corporibus secernere valeat.

Iam cum somnians Animus veluti imaginandi Virtute possidetur, ac sensilium rerum simulacris occupatur, sæpissimè intelligendi facultas magis expergefacta, sese quodammodò tumultuanti phantasiæ sese immiscere gaudet, ut non tantùm in somno imaginemur, verùm etiam intelligamus, quod ingeniosè Augustinus, Animi in somno disputantis exemplo explicat, & confirmat. Quæ cum externa die attentè expendissem, noctè succedente, somno captus, & ipsemetego, quod in Augustini Opere legeram, summa cum animi voluptate expertus sum. Imaginabar enim somnians, me cum doctissimo quodam Amico in celeberrimo Divæ Iustinæ Cœnobio commorari, cui ut illius interrogationibus satisfacerem, huius tertiæ Partis, quæ in hoc Opere continetur, scopum, argumentum, ac methodum explanare, & ostendere exorsus sum, rationem reddens, cur refellerim Epicurum, & utraque Methodo Analytica, & Syntetica, Geometrarum more, usus fuerim ad Augustini doctrinam de Anima immortalitate aperiendam unà, & roborandam. Idcircò de sempiterna Artium, ac disciplinarum veritate, quin etiam & de Rationis immutabilitate, & necessaria cum Animo coniunctione validè, & acriter disputare cæpi, ut tandem à somno excitatus, in hæc verba erumperem, Iam somnians intelligebam. Ex quo maximam voluptatem capere mihi visum est, dum & ipsummet somnium inconcusso Argumentò mihi fuerit ad Animi æternitatem detegendam, quam evigilans me feliciter cum Augustino evelasse percipiebam.

Somnium Authoris quò in somno nõ tantùm imaginari, verùm & intelligere humanum Animum ostenditur.

Neque opponas phantasiæ figmenta, & larvas esse ea, quæ in somniis cernimus, & imaginamur, ut non verum, sed falsum tantùm nobis repræsentetur. Nam quamvis ea, quæ ad imaginationem spectant, falsa, & larvata sint, ut in Somnio à me expositio, Persona, cui mea cogitata aperiebam, Cœnobium, in quo disputabam, & alias loci, aut Personarum circumstantias, quarum tantùm imagines, & similitudines quasdam habebã, nihilominùs immutabiles & æternæ veritates, seu Rationes quæ ad Animæ immortalitatem meique operis ordinem, & methodum ostendendum tunc mihi offerebantur, haud falsæ, & fugaces, sed verè &

citrà

citrà fictionem in Animo effulgebant, cum æquè & eadem certitudine tam in Somnio, quam in Vigilia in animo maneant, & intelligantur. Licet ergo res, quæ sensibus, & imaginatione percipiuntur extra animum sint, immutabili tamen quadam præsentia intelligenti animo Verum semper affulget, in semetipso enim haud de foris sempiternas, & immortales artium, ac doctrinarum Rationes intuetur Animus. Idcircò fatendum est, quod tametsi somnus in corpus, & organa agens sentiendi exercitium impediat, attamen intelligendi actionem, & Virtutem nullo modò extinguit in Animo atque adeò hic etiam in homine dormiente manet, ac subsistit.

In somnio immutabilis veritas Animo præsens est.

Non tantũ autem in Somno potestas intelligendi incolumis in animo conservatur, verùm etiam tanto robore, & vivacitate perpetuò vivens, agitatur, & afficitur Animus, ut sive evigilemus, sive dormiamus numquam ociosus à cogitatione vacat, sed semper actu cogitat, ut si à cogitando cessaret, in nihilum abiret, ac evanesceret, quod quam veritati consentaneum sit, fusè in meis investigationibus ostendam.

PROPOSITIO SECVNDA.

Propinquior magisque affinis est primis, & æternis rationibus humanus Animus, quàm corpus.

POstquam Augustinus ostenderit in humano Animo, accedente somno, adhuc manere potestatem intelligendi, ad jam expositam propositionem descendit, statuens magis appropinquari, & ut ita dicam immediatiùs conjungi primis, & æternis rationibus incommutabili scilicet vero, hominis Animum, quam corpus, quæ assertio ex duplici capite innotescit, primò quia cum primum, & incommutabile verum, in quo cunctarum rerum rationes, & ideæ continentur, sit ipsemet Animus perfectissimus, cujus tota natura est, ut omnia perfectissimè intelligat, necessariò infertur, majorem affinitatem, & cognationem habere cum eo humanum animum, quam corpus; nam Animus hominis finita quædam intelligendi virtus est, atque adeò rationi inseparabiliter conjuncta, secùs vero corpus, quod utpotè iners, & emortua quædam extensio suaptè natura vita carens, magis distat à perfectissimo Animo, seù incommutabili verò, quam Animus, qui illi propinquior est, ac similior.

Dupliciter Augustini assertio demonstratur.

Deinde humanus Animus, & incommutabile verum nullis locis continentur, secùs verò corpus, cujus moles spatium occupat. Cum ergò eodem pacto à spatiorum dimensionibus sempiterna ratio, & Animus abhorreant, sequitur priùs ac excellentiùs incommutabili vero coniungi Animum, quam corpus, atque adeò magis primis, & æternis rationibus affici Animum, quam corpus; majorem enim proportionem habet incommutabile verum, cum intelligente Animo, quam habeat cum mole, ac trina corporis dimensione. Huc accedit propinquius esse incommutabili Vero id quod agendi robore pollet, quam quod ad patiendum tantùm aptum est. Si igitur in homine verè solus agit Animus, corpus tantùm patitur, sequitur magis approximari & assimilari incommuta-

mutabili vero (cujus tota essentia est ipsum & perfectissimè agere), Animum, quam corpus quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO TERTIA.

Elegantissimus rerum, & universi ordo sequens est, sub perfectissimi, & incommutabilis Animi imperio finitus & imperfectus jacet Animus, cui singula subduntur corpora, quæ ab illo speciem, robur, ac pulchritudinem accipiunt.

Hæc propositio interrupto, nimisque obscuro sermone indigitatur potius, quam demonstratur in textu supra expositio ab Augustino, qui in retractationum libro secundo cap. 9. temerè deindè à se pronunciatum fuisse, corporis speciem, & pulchritudinem corporibus, mediante creato Animo, tribui, nos admonet. Nos tamen expositam assertionem juxtà Augustini mentem pro viribus aperiemus, ac tandem illam à temeritatis nota vindicare tentabimus.

Ingeniosum ac peracutè Augustini ratiocinium.

Augustinus Platonicæ Philosophiæ addictus, ut rerum ordinem, & elegantiam explicaret, hoc pacto ratiocinari videtur.

Primò in hac rerum universitate incommutabilis, & prima Essentia singulas in se perfectiones amplectens, regnat, perfectissimus nempè, ac sempiternus Animus, in cujus suprema intelligentia omnium rerum primæ, & immortales rationes elucent. Hic autem infinitus Animus pariter cum tempore utrumque mundum efformavit. Intelligibilem scilicet & corporeum efformavit universum. Mundus intelligibilis singulas finitas, & creatas mentes continet, quibus tanquam essentiarum origo, intelligentiarum lumen, omniumque rerum scopus, ac meta, perfectissimus præsidet, ac consulit Animus, qui in eamdem suam incommutabilem veritatem & ingenitam sapientiam, tanquam in universalem mentem, in unum quodammodò singulas finitas mentes unit, ac colligit.

Infinitus & ingenitus Animus singulos creatos Animos in unum quodammodo in semetipso colligit, & unit.

Alter verò mundus, qui corporeus nuncupatur, mundi sensibilis fabricam, ac quidquid extensione, & mole præditum est, amplectitur. Hic autem corporeus mundus magis distat à prima, & immutabili essentia, quam mundus intelligibilis, nempè creatæ mentes, quæ se ipsis, haud mediante altero, pro modo suo incommutabili vero coniunguntur, ad quod immediatiùs, & proximiùs accedunt, quam corpora, ut in præcedenti propositione ostensum est. Idcircò perfectissimus Animus primò & immediatè intelligibili mundo, nullis locis comprehenso, copulatur, quē nullo mediante regit, moderatur, ac pro suo lubitu multifariam afficit. Deindè intelligibili mundo utitur, ut illius medio corporeum universum tueatur, ac gubernet. Est namque mundus intelligibilis, & spiritalis collocatus inter primam, & incommutabilem essentiam, seù perfectissimum Animum, & mundum corporeum, in quibus tribus naturis supremum, medium, & infimum, quibus integra rerum universitas absolvitur, continentur. Supremum in Animo perfectissimo efflorescit, infimum in mundo corporeo, medium verò, quo supremo infimum adnectitur, in mundo intelligibili, seu in creatis intelligentiis elucet. Jam in mundo intelligibili non singulæ mentes æqualis sunt

Perfectissimus Animus ad corporeū universum moderandum, mūdo utitur intelligibili.

roboris, & virtutis, sed una alia potentior, ac perfectior est.

Hinc in eodem Intelligibili Mundo quædam mentium subordinatio est. Quippè collocantur inferiores sub potestate Superiorum, quæ soli perfectissimo Animo subiacent. Quia verò Mundus corporeus immediatè Mundo intelligibili iungitur, ideò, perfectissimo Animo imperante, inter creatos Animos potentior, ac perfectior selectus est, qui corporeo Mundo veluti magno, & organico corpori coniunctus, & insinuatus, corporei Mundi speciem, pulchritudinem, & harmoniam custodiret, tueretur, ac conservaret, qui nimirum undique in Mundo corporeo agens, ac præsens, mundum vivificaret, vitam, ac motum illi impartiretur, atque singulas Mundi partes in unum collectas detineret. Dum autem hic potentior Animus, tanquàm Orbis Anima, & spiritus quidam Universalis, ingentissimæ mundanorum corporum moli operationis præsentià admiscetur, magnum sensibilis Mundi Animal emergat, atque in lucem prodeat; quod elegantissimè Platonicus Maro sequentibus Carminibus expressit.

In Universo intelligibili quædam verùm subordinatio est.

Spiritus intus alit, totum diffusa per Orbem.
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Porrò præter Universalem Orbis Animam, qua integer corporeus Mundus perpetuò fovetur, & vivificatur, inferiores aliæ Mentes ordinatæ fuerunt, ut moderarentur, ac custodirent quasdam organicas materiæ portiones, quibus dum creata Mens modo sibi congruo immiscetur, & associatur, insigniora Animantia, nempè homines in conspectum veniunt, & efformantur, quorum Animus incommutabili Vero, primis nimirum, & æternis Rationibus immediatè coniungitur, ut nihil inter ipsum, & perfectissimum Animum intercedat; ratione verò corporis, in quod tanquam totius mundi fragmentum Universalis spiritus agit, Mundi Animæ quodammodò subiaceat, quemadmodum singulæ inferiores & irrationales Animæ illi famulentur, ut imbecilliora, & inferiora superioribus, & potentioribus, ut Universi ordo exposcit, gubernentur. Secundùm hanc suppositionem Augustinus imaginatur, primam, & incommutabilem Essentiam, quæ se ipsà pulcherrima, ac summè ordinata est, primò speciem, & pulchritudinem finito Animo elargiri, ut hic non ob aliam rationem sit Animus, nisi quia formam, ac speciem suam à potentiori Natura accepit.

Humanũ Animum neque in somno corpori effici posse, ostendit Augustinus.

Deinde verò putat ex finiti Animi Virtute, ac præsentià speciem, ac pulchritudinem in singula mundana corpora derivari, quæ non ob aliam Rationem subsistant, & pulchra dicantur, nisi quia illis vim, formam, & elegantiam creatus Animus impartitur. Iuxta quem modum ratiocinandi intelligibilis Mundi vita perfectissimus Animus est, vita verò Mundi corporei est ipsemet creatus Animus, cuius virtute, propriâ specie, & pulchritudine gaudent corpora.

His jactis fundamentis, Augustinus ostendere enititur nulla Ratione Animum humanum posse in deteriorem corporis naturam, etiam somni torpore, & sensuum ocio accedentibus, converti. Nam si Animus speciem, & elegantiam à summa, & in commutabili Essentia recipit, sanè melior, & perfectior est corpore, quod ideò subsistit, quia ei speciem, & corpoream formam elargitur Animus. Nullo ergo pacto potest Animus converti in corpus, primò quia amit-

teret

teret ſuam ſpeciem,& pulchritudinem, quam recepit à ſumma & prima Eſſentia,& qua nulla creata Virtute ſive corporis, ſive Animi, ut ſuprà probatum eſt, privari poteſt. Deinde ſi Animus ſpeciem,& pulchritudinem corpori tribuit, dum Animus ſuam exuens ſpeciem in corpus converteretur,evaneſcente Animo,etipſum corpus ſuam ſpeciem amitteret. Nam non ampliùs adeſſet Animus, qui corporis formam, & elegantiam ſuſtineret, ac tueretur; Atque adeo maneret,ac ſubſiſteret corpus propria ſpecie,& pulchritudine deſtitutum, quo nil abſurdius. Idcircò nequit Animus fieri coapus,ſecùs Animus haud præberet, ſed potiùs ſpeciem, & pulchritudinem corpori adimeret, ut eadem res, commutato in corpus Animo, corpus eſſet ut fingitur, & pariter non eſſet, quia dum ex hac commutatione perit Animus, illicò ſpecie, & pulchritudine corporis dempta,& ipſum tollitur corpus. Fatendum igitur eſt, ad hanc rerum pugnam vitandam, Animum non poſſe adeo in Somno torpeſcere, ut tandem in corpus convertatur.

PROPOSITIO QUARTA.

Nulla corporis mole humanus conſtat Animus.

EX præcedentibus Propoſitionibus evidenter patet hæc Aſſertio, quam fuſiùs explanabimus, atque validiùs oſtendemus, dum noſtras inſtituemus inveſtigationes. Ratio tamen, qua ad illam demonſtrandam hic utitur Auguſtinus ſequens eſt.

Corporis moles talis naturæ eſt,ut quamvis toti ſpatio, quo comprehend itur,tota reſpondeat,attamen nulla eius pars toti ſpatio, ſed ſpatii parti tantùm congruit,ut una pars ſit ibi,altera alibi. Idcircò ſi corporis mole,& magnitudine inſtructus eſſet humanus Animus, hic ita corpori organico coniungeretur, ut totus eſſet in toto corpore, pars verò illius,corporis parti reſponderet, ut una pars Animæ eſſet in pede, alia in capite,in corde alia &c. Atqui hoc nullo pacto contigit. Nam ſi huiuſmodi ſe haberet Animus, cum ſpinà exempli gratia vulnerato pede, doloris ſenſus excitatur in Animo, haud totus Animus dolorem in pede ſentiret, ſed tantùm illius pars, quæ in pede iacet, quod certè falſum eſt. Nam non animi pars,ſed totus Animus, qui in oculo, capite, auribus,cæteriſque corporis partibus vivit, & immoratur dolorem percipit in pede;affectio enim, & commutatio, quam patitur pes, toti Animo manifeſtatur, ut fuſiùs cum Auguſtino oſtendimus in Libro de Animæ Quantitate. Si igitur Animus non tantùm in toto corpore, verùm etiam actionis præſentià in quavis minima corporis parte totus, & integer adeſt, manifeſtè infertur, Animum omni corporis mole deſtitutum eſſe. Hinc concludit Auguſtinus, ſi corporis moles non eſt Animus, nullo pacto timendum eſt Animo, ut à corpore maioris molis abſorbeatur, eo modo, quo ſæpè ingentior aer minorem ignem veluti in ſe convertit, ac tranſmutat.

Totus Animus operationis præſentià toti corpori, & cuilibet corporis parti reſpondet.

SYNTHESIS.

SI tandem præter expoſitos modos aliquis ſupereſſet, quo explicari, & concipi poteſt humani animi interitus, potiſſimùm eſſet, quia in Somno pigreſcens aliquandò, dum ab omni actione vacaret, in corpus converteretur.

Atqui etiam in Somno poteſtas intelligendi in Animo vivit, & incolumis manet *ex Propoſ.* 1. Quin etiam corporis mole caret, & corpore perfectior, ac præſtantior eſt *ex Propoſ.* 4. 2. & 3.

Nullo igitur pacto contingere poteſt Animo, ut in corpus converſus, intereat tandem, ac evaneſcat.

Vſus Auguſtinenſis Argumentationis, & noſtri Apparatus ad Epicurum refellendum.

Animum immortalem eſſe demonſtratur.

SI magni ponderis aliqua ratio eſſet, qua ab Epicuri ſectatoribus Animæ humanæ mortalitas aliqua ſaltem veriſimilitudine oſtendi poſſet, profectò ea eſſet, quæ ex ſomni natura depromitur, quia ſcilicet dum ſomno accedente laxantur nervi, & hebeſcunt organa corporis, laxatur pariter, & torpeſcit Animus, qui in homine dormiente a ſenſus actione vacat, ac ſæpiſſimè penitùs a cogitando ceſſat, quod inditium eſt, aiunt Epicuri aſſeclæ, corporeę naturæ Animi, ejuſque indiſſolubilis vinculi cum corpore. Atqui fallax prorſùs eſt, ac nullius momenti hæc argumentatio, quæ falſum ſupponit, & ſenſum cum intelligentia confundit, ſupponit enim in ſomno ab omni cogitatione, & intelligendi actione vacare Animum, quin etiam ex impedita ſenſuum poteſtate intelligendi defectum arguit, quæ omnia a veritate alieniſſima ſunt. Si quidem oſtendimus, & robuſtiùs in noſtris inveſtigationibus aperiemus, etiam in ſomno agere, vivere, & intelligere Animum, qui etſi aliquando ob organorum defectum, & imbecillitatem a ſentiendo vacet, nunquam tamen a cogitando, & intelligendo ceſſat, quin etiam oſtenſum eſt, nunquam poſſe in ſomno adeò pigreſcere, & enervari, ut tandem in corpus tranſmutetur. Fatendum igitur eſt omni vi, ac ratione deſtitutam eſſe Epicuri doctrinam, ut Animæ noſtræ caducitatem, vel minima probabilitate oſtendere valeat; adeò enim Auguſtini argumentationes ſolidæ, & validæ ſunt, ut ſimul colligatæ inexpugnabilem quamdam rationem conficiant, quæ dum evidenter Mentis noſtræ Immortalitatem nobis aperit, Epicureę doctrinæ falſitatem, ac fallaciam detegit penitùs, ac proſternit.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [416] - 388
PUBLIC DOMAIN

INDEX

TITVLORUM, CAPITUM, ET PROPOSITIONUM, Quibus Præsens absolvitur Opus.

Vbi quidquid in hoc Opere potissimùm expenditur, ac demonstratur, breviter aperitur.

PRæfatio. pag. j.

PARS PRIMA.

Animæ Humanæ Natura ab Augustino detecta in Libro de Animæ Quantitate.

AVGVSTINVS MEDITANS. In Libro de Animæ Quantitate.

In hac accuratissima Animæ humanæ investigatione Universi Operis idea & materia, quin etiam Augustinensis Philosophiæ, Mentis nostræ indolem respicientis, veluti flos ac robur continentur. xj

DIVI AVRELII AVGVSTINI Hipponensis Episcopi, de Animæ Quantitate Liber.

Expositio. Explanatur Titulus, seu quid hìc Anima, quidve significet quantitas, enucleatur. 18

Admonitio.

Præmisso Capite octavo Libri primi Retractationum Divi Augustini, plura salubriter admonentur. 21

CAPVT I. De Animæ Quantitate.

Divi Augustini Textus. 23

Expositio textus. Potissimùm hic expenditur, quàm utile & necessarium sit se ipsum accuratè investigare; atque quid inquirendum de Anima, & hæc undè sit exponitur. ibid.

CAPVT II.

Textus Expositio. Qualis sit Anima intelligens aperitur. Dubitatio unà emergit ac solvitur, an Anima etsi à Deo facta, Deo tamen similis dici valeat. Obiter Animam cogitando veluti seipsam progignere, ac identidem cum Deo se ipsam incessanter intueri ostenditur. 28

CAPVT III.

Textus. Expositio. Quæritur quanta sit Anima. Distinguitur Quantitas in Quantitatem molis, & virtutis. Animam nulla corporea magnitudine tumere asseritur. An quod corporea caret mole, aliquid verè sit inquiritur. Error illorum refellitur, qui sensum adhibent ac phantasiam, ut incorporea cernant. Ac tândem in Vniverso res insectiles, & inextensas florere, affirmatur, quæ corporeis naturis magnoperè præstent. 32

CAPVT IV.

Textus. Expositio. Iustitiam meliorem corpore, atque adversus Scepticos, haud apparentem, sed veram Virtutem esse ostenditur. Ex eo quod Anima ponatur incorporea, neutiquàm cum falsis ac larvatis rebus confundi affirmatur. Quæritur an verè inter incorporeas naturas adnumerandus sit Humanus Animus. 35

CAPVT V.

Textus. Expositio. Vulgi error circà Animæ nostræ in corporis organis expansionem innuitur. Vera Ratio à falsâ secernitur; Quando in iudicium erumpendum sit, exploratur. Ex imaginum magnitudineque memoriæ insident, Animam incorpoream esse subtiliter ac solidè demonstratur. Refellitur præiudicata illorum opinio, qui putant in speculis haud res, sed rerum inspicere imagines. Quo pacto in reticularem oculi tunicam res externæ suas imprimant imagines, investigatur, atque tandem Animam insectilem, & à subtilissimo corpore seiunctam esse probatur. 44

CA-

CAPVT VI.

Textus. Expositio. Sensus & imaginandi facultatem corporis dimensiones minimè seiungere valere ostenditur. Expenditur lineæ natura,& solo intellectu concipi posse, statuitur. Quam turpe sit rerum scientiam negligere, ut nimiùm voces excolamus aperitur. 50

CAPVT VII.

Textus. Expositio. Quid sit corporum figura,& quo pacto hæc in rectas lineas desinat, indagatur. Animæ naturam,aut ratione,aut authoritate nobis innotescere, rudioribusque hominibus salubriorem ac utiliorem authoritatem esse admonetur. De immenso sciendi impetu agitur, & quid maximè Veritatis inquisitioni obsit,examussim expenditur. 54

CAPVT VIII.

Textus. Expositio. De triplici rectæ lineæ motu ac circuli genesi sermo habetur. Solo circulo solida Problemata Analysis ope solvi posse innuitur. Trianguli rectilinei natura, & origo explanatur. Mathesim evidentia, & certitudine singulis humanis artibus, ac disciplinis præstare admonetur. Ac postremò in Triangulo Equilatero singulos angulos invicem equari,Geometria docente,statuitur. 60

CAPVT IX.

Textus. Expositio. Figurarum præstantiam ab equalitate maximè pendere firmatur. Ostenditur triangulum equilaterum aliis triangulorum speciebus antecellere. In triangulo Equilatero speciem quandam inequalitatis, & dissonantiæ inter illius angulos, & latera contineri demonstratur. Triangulo Quadratum perfectius esse ostenditur. Qua ratione in geometricis figuris quædam immutabilis Iustitiæ æquitas effulgeat,aperitur. 63

CAPVT X.

Textus. Expositio. In quadrato summam æqualitatem minimè florere dupliciter demonstratur.In medium affertur circulus, cui quadrata figura inscribitur,ut planiùs constet quantum hæc ab æqualitate recedat. 67

CAPVT XI

Textus. Expositio. Inter planas figuras circulum maximà æqualitate gaudere firmatur. Exponitur ratio,cur incorporea & insectilia, corporeis ac sectilibus rebus præstent. Puncti mathematici natura, & insigniores affectiones enucleantur; atque illud in Quantitate continua summè potens, ac longè robustius esse demonstratur. Declaratur quo pacto insignissima Circuli æqualitas à maxima Puncti vi,& potestate pendeat. Postremò quantùm Arithmeticæ Vnitati geometricum antecellat Punctum aperitur. 69

CAPVT XII.

Textus. Expositio. Quo pacto quævis corporis dimensio mensuretur,quidve sit corporis altitudo explanatur. Corpore,linea,superficie, ac Puncto invicem comparatis, lineam superficiei & corpori præstare,Punctum lineâ perfectiùs esse, concluditur. Non tantùm veram lineam, verùm & Animam illam intuentem, incorpoream esse probatur. In dubium vertitur an incorporeum ab Anima corporea cerni possit. 77

CAPVT XIII.

Textus. Expositio. Quid sit Rationalis Anima inquiritur. Animum nihil aliud esse quàm Animum statuitur. Legitima Animæ definitio ab Augustino excogitata quam diligentissimè exponitur; atque Christiani Philosophi admonentur, ut Ethnicorum doctrina rejecta,solum Augustinum de Mentis humanæ natura ratiocinantem audiant. 83

CAPVT XIV.

Textus. Expositio. An Animæ intellectivæ Quantitas,seu locale spatium insit,inquiritur. Animam & linea & corpore meliorem esse ostenditur. Augustinensis Argumentatio roboratur. Insectilium rerum vis ac potentia commendatur. Exemplo circuli incorporeæ & insectilis Animæ poresias & præstantia explicatur. Nihil incorporeis rebus potentiùs,& magnificentiùs esse statuitur. Postremò Veritatem iis tantum manifestari, qui illam cassè, ac piè inquirunt, admonetur. 87

CAPVT XV.

Textus. Expositio. De Mathematicarum disciplinarum utilitate, & præstantia agitur. Quid sit impudens Dubitatio declaratur. Certiorem ac notiorem nobis esse Animum, quam corpus ostenditur. Duplex dubitatio in

in medium affertur, qua Epicuri Sectatores Animam corpoream, & divisibilem esse probare contendunt. 93

CAPVT XVI.

Textus. Expositio. Maius, & Melius invicem discrepare firmo & acuto ratiocinio demonstratur. Virtutis natura detegitur, atque in quadam æqualitatis specie, & ordine res amandi, sitam esse probatur. Denique concluditur adversus Epicurum, Animam adaucto corpore haud maiorem, sed meliorem dumtaxat evadere. An temporum incrementa tandem Animo prosint, exploratur. 97

CAPVT XVII.

Textus. Expositio. Non modo locorum, verùm neque temporum incrementa ad Animum augendum conferre subtiliter ostenditur. Quo pacto secundum Augustinum corporum incrementa à vi seminis, & ab occulta quadam numerorum natura pendeant explanatur. Virtutem incorpoream esse, et ab hac Animæ incrementa solummodo originem trahere aperitur. Demùm concluditur Animam haud quantitate molis, sed tantùm virtutis ac potestatis pollere. 101

CAPVT XVIII.

Textus. Expositio. Ulterius disputatur, an crescente corpore pariter et Animus augeatur. Idcircò pro re nata exponitur, quid contingat Puero loquendi usum acquirenti, quin etiam sermonis institutio et natura paucis exponitur. Ac demùm statuitur Artium exercitatione haud maiorem, sed peritiorem humanum fieri Animum. 103

CAPVT XIX.

Textus Expositio. Quæritur, an Animus humanus cum discit, maior, cum vero obliviscitur minor fieri dicatur. Corporis et Animi incrementa quadam proportione invicem convenire ostenditur. An Anima corporis organis adnexa, secum artes ac disciplinas attulerit, in dubium revocatur. Platonica Reminiscentia exponitur, atque pro viribus erroribus expurgata, Orthodoxæ Doctrinæ accommodatur. 107

CAPVT XX.

Textus. Expositio. Hìc primò sub quæstionem cadit, an cum corporis pariter, et Animæ augentur vires, mole et quantitate amplior fiat Animus. Epicuri ratiocinatio quam fallax sit & inanis ostenditur. Quid ad vires augendas tum Animæ, tum corporis maximè conferat, explanatur. Tandem conficitur, nulla corporum magnitudine hominis tumere Animum. 111

CAPVT XXI.

Textus. Expositio. Aperitur, quà ratione Animus in corpore esse, corporeisque organis adnecti dicatur. De Aethereo Halitu in cerebro, nervorumque origine potissimùm regnante, copiosè agitur. Ex quibus causis corporis emergant vires, statuitur. Ac postremò corporis adauctis viribus, haud maiorem evadere Animum ostenditur. 115

CAPVT XXII.

Textus. Expositio. Epicuri dubitatio ex sentiendi facultate deprompta exponitur. Ingeniosa & solida Augustini Definitio de sensus natura in medium adducitur, atque diligenter examinatur. Dum enixè inquirtur, quid contingat oculo Solem inspicienti, oculum sentire ubi non est, demonstratur. Ut qua ratione sensuum operatio in nobis perficiatur, planiùs innotescat, de nervorum & ætherei halitus indole, & usu plura haud contemnenda excogitantur. Atque dum humanum corpus veluti machina, & musicum instrumentum imaginatione revolvitur, quo pacto corpora externa Animum ad sentiendum provocent, aperitur. 121

CAPVT XXIII.

Textus. Expositio. Accuratiùs Augustini Definitio de sensus natura ad examinis trutinam revocatur. Aliud esse sentire, aliud cognoscere probatur. Augustini definitio denuò in dubium vertitur. 128

CAPVT XXIV.

Textus. Expositio. Augustinensem Definitionem circa sensus naturam legitimam & rationi consentaneam esse ostenditur. Sanæ Definitionis dotes expenduntur. Plura sibi objicit Augustinus, quibus tradita de sensuum indole Definitio, obscura, & vitiosa esse videtur. 131

CA-

CAPVT XXV.

Textus. Expositio. Iterum Augustinus in dubium vertit, an sensus definitio, quam suprà tradidit, excessu, aut defectu laboret. Ut sensus à ratione & scientiâ secernatur, plura de Rationis, Scientiæ, & ratiocinationis naturâ accuratè discutiuntur. Ut à sensuum imaginibus, & corporum consuetudine avocemus Animum, nos hortatur Augustinus. 137

CAPVT XXVI.

Textus. Expositio. Definitio sensus ab Augustino excogitata, sanioris Dialecticæ legibus consona ostenditur. Quomodo insectilis & incorporeus Animus undique in corpore sentiat aperitur. Animam sentire ubi non est, acutè, & solidè demonstratur. 142

CAPVT XXVII.

Quæritur, an, citrà ingeniti luminis iniuriam, Anima corpori copulata, in corpore tamen verè non esse, dici valeat? Quo pacto Anima in corpore sit exponitur, & an Serpentum discisso corpore, & Anima pariter solvatur, expenditur. Postremò dubitatur, an lacertorum discissorum fragmenta invicem disiuncta, vivere possint, etiam si illorum Anima insectilis esse concedatur. 147

CAPVT XXVIII.

Textus. Expositio. Qua ratione serpentes discissi, illorum insectili Anima integra, & incolumi remanente, adhuc in suis partibus, & fragmentis vivant, elegantissimo Nominis exemplo, ingeniosè declaratur ab Augustino. 151

CAPVT VI.

Textus. Expositio. Quanta sit intelligentis Animæ virtus ac potestas expenditur. De Animæ potestate, in septem veluti gradus distributa, agitur, ubi additiora Asceticæ sive Misticæ Theologiæ arcana paucis aperiuntur. 155

CAPVT VLTIMUM.

Humanum Animum inter Deum & corpora collocatum, singulis præstare corporibus ostenditur. De duplici Animæ nostræ impetu ad Verum, & infinitum Bonum sermo habetur. Septem gradus, per quos ex infimioribus ad sublimiora ascendit Animus, ulteriùs enucleantur. 164

SALUTARIS ADMONITIO.

Ut Animus ad se ipsum accuratè inquirendum, disponatur; humanæ quoque literaturæ vitia nullo negotio detegantur, atque vitentur. In hac Admonitione potissimùm quo pacto Deus luminosus unà & tenebrosus, vestigabilis, & incomprehensibilis sit, ingenioso, & firmo ratiocinio explicatur. Rationis & Fidei natura peculiari methodo investigatur. Literariæ hominum exercitationes in necessarias, utiles, supervacaneas, & noxias distinguuntur. Inconcussa tandem regula firmatur, qua necessariè, & utiles disputationes à supervacaneis, & noxiis citrà dubitationem secerni valeant. 169

PARS SECUNDA.

Animæ Humanæ Natura ab Augustino detecta in Libro x. De Trinitate.

Augustinus Animæ nostræ naturam, mira quadam Analysi, summoque acumine pervestigans in Libro x. de Trinitate. Seu Authoris Paraphrasis in Librum Decimum Aurelii Augustini de Trinitate. 190

Augustini Investigatio de Mentis Humanæ natura in Libro x. de Trinitate, diversa ratione exposita. Seu Augustini Animus suæ Naturæ insignius, ac Princeps attributum, analytica, methodo excogitans. 210

In hac subtilissima, & penè Divina Humanæ Mentis disquisitione, mira quadam sagacitate, dum ab Animo quidquid extraneum est, & sub opinionem cadit, accuratè detrahitur, quid verè sit Animus manifestissima scientiâ detegitur; ac identidem Animum incorporeum, nobisque corpore notiorem esse, planissimè innotescit.

PARS TERTIA.

Animæ Humanæ Natura ab Augustino detecta in Libro de Animæ Immortalitate.

Apparatus. Ad Animæ Humanæ immortalitatem, iuxta firmiorem Augustini methodum propugnatam, à captiosa Adversantis Epicuri argumentatione quàm facillimè vindicandam. Sequentibus constat assertionibus. 221

A P.

Hic ſequentes demonſtratur Propoſitiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Non eſt à Ratione alienum in rerum Univerſitate ſubſtantiam aliquam elucere, quæ nihil aliud ſit præter Animum, cuius nempè natura in ipſamet intelligendi poteſtate, quovis alio poſthabito, ſita ſit. 121

Demonſtratur I.

Poſita Supremi Numinis exiſtentiâ.

Demonſtratur II.

Poſito fortuito athomorum concurſu, iuxtà inſanientis Epicuri ſomnium.

PROPOSITIO II.

Poſſibilis eſt finitus, & imperfectus Animus qui a corporis dimenſionibus abhorrens, totus ſit Animus. 125

PROPOSITIO III.

Poſito finito, & imperfecto Animo, qui nihil aliud ſit quàm Animus, evidenter poſſibile eſt, adeò poſſe illum organico corpori coniungi, ut mutuum quoddam commercium, ac reciprocus quidam operationum nexus inter Animum, & organicum corpus oriatur, atque ab eo ille pendere appareat, quo tamen nexu ſoluto, incolumis, atque illæſus manere, & ſubſiſtere valeat Animus. 126

PROPOSITIO IV.

Neutiquam Rationi adverſatur, ſed inſigniter veriſimile eſt, humanum Animum nihil aliud eſſe, quàm Animum, inextenſum omninò, & incorporeum. 127

PROPOSITIO V.

Si Animus humanus inſectilis eſt, & incorporeus, nempè totus Animus, nullo pacto ſoluto corpore, iuxta Epicuri principia, interire poteſt, ſed immortali, & ſempiterna vitâ gaudere oportet. 133

PROPOSITIO VI.

Si eadem res A, æquè profluere poteſt à cauſa B, & C, niſi evidens, & indubitata acceſſerit ratio, quæ oſtendat oriri potius à principio B, quam C, aut viciſſim, dubium, & incertum manet, an poſitæ rei A, vera ſit cauſa potiùs B, quam C, atque adeò tam opinio ſtatuens rei principium eſſe B, quam ea, quæ docet eſſe C, obſcuritate atque incertitudine laborat. 134

PROPOSITIO VII.

Si magis verò conſonet, commodius, & ſimpliciùs captu, ac explicatu ſit, poſitam rem A, emanare potiùs à principio B, quam C, aut viciſſim, inſigniter probabilior erit opinio ſtatuens cauſam rei A, eſſe B, non autem C, & viciſſim. 134

PROPOSITIO VIII.

Ex hoc quod res A proficiſci poteſt à principiis B, & C, niſi evidenter pateat non oriri actu à principio B, evidens, & manifeſtum adhuc non erit principium poſitæ rei A, non eſſe C. ibid.

PROPOSITIO IX.

Si eadem res A, æquè oriri poſſit à duplici principio B, & C, & ex alia parte apertiſſima, & irrefragabilis Ratio eluceſcat, qua mens aſſentiri cogatur rem actu profluere à principio B, non autem C, evidentiſsimum erit poſitam rem A actu profluere à principio B, non autem C, ut omninò falleretur, atque iniuriam inferret Rationi, qui poſthabito principio B, ad exponendam originem, & cauſam expoſitæ rei A, non B, ſed C, potius adhiberet. 135

PROPOSITIO X.

Si res A, nullam neceſſariam connexionem habeat cum principio B, ut æquè emanare poſſit à principio C, qui, firmiſsimo aſſenſu citrà dubitationem, iudicaret poſitam rem A, oriri a principio B; niſi acceſſerit evidentia, quod potiùs proficiſcatur à principio B, quàm C, in fallacem, atque captioſam argumentationem incideret. ibid.

PROPOSITIO XI.

Singula argumenta, quæ pro Animæ mortalitate ab Epicuri Sectatoribus, & potiſsimùm à Lucretio in libro 3. de Natura rerum in medium afferruntur, ſophiſmatis, ac illegitimæ ratiocinationis vitio adeò laborant, ut non tantum non infirment; verum & roborent ſaniorem de Mentis humanæ immortalitate

doctrinam, quam firmiter, & fide, & ratione docente, profitemur. ibid.

MENTIS, ET CARNIS CONFLICTVS
seu
AVGVSTINVS, ET EPICVRVS
invicem pugnantes.
Caro sivè Epicurus in Libro tertio Lucretii de rerum Natura, pro Animæ mortalitate certans.

SOPHISMA I.
depromptum ex Lucretii libro tertio. 237

Expositio. Epicuri sententia de Animæ humanæ natura in medium affertur. Subdola quædam & inanis Epicuri Sectatorum exponitur argumentatio.
Confutatio. Prima Lucretii argumentatio refellitur. Augustinensi ratiocinatione Animum athomis minimè constare ostenditur. Nostri Apparatus ope, Lucretiana Sophismata deteguntur. Quam absurda difficilior, & a veritate aliena sit doctrina Epicuri demonstratur.

SOPHISMA II. 244

Expositio. Subdola Epicuri ratiocinatio, deprompta ex coniunctione nexu & incremento Animæ cum corpore, declaratur.
Confutatio. Fallax Epicuri Argumentum oppugnatur. Adaucto corpore haud maiorem, sed meliorem Animum fieri, statuitur. Corpore senescente, aut enervato, haud rarò intelligendi facultatem augescere ostenditur.

SOPHISMA III.
247

Expositio. Duo captiosa Epicuri argumenta ex ægritudine, dolore, Animæque mutabilitate accepta, explanantur.
Confutatio. Quam infirma sit Epicuri ratiocinatio, nostri apparatus ope, ostenditur. Ex Humani Animi mutabilitate nullo pacto legitima ratiocinatione illius mortalitatem inferri posse ostenditur. Epicurus suismet armis oppugnatur.

SOPHISMA IV. 252

Expositio. Lucretii argumentatio deprompta ex vini & morbi potestate in homine, in medium profertur.
Confutatio. Epicuri ratiocinium expenditur, & nostro accedente Apparatu fallaciæ convincitur. Principium à Lucretio firmatum ipsamet Epicuri, Doctrinâ falsitatis convincitur. Lucretius ad suum errorem agnoscendum & emendandum cogitur. Nova, pro Epicuri sententia argumentatio aperitur, ac pariter quantùm hæc à veritate deviet, ostenditur.

SOPHISMA V. 260

Expositio. Lucretii argumentatio ex ficta Animæ divisibilitate, morbo, ac sanitate accepta, explanatur.
Confutatio. Nostro auxiliante Apparatu, quàm fallax sit Epicuri ratiocinium ostenditur. Cur Anima tandem à corpore recedat detegitur. Exemplum de Aere, & Horologio exponitur. Qua ratione Animus ab agendo in organo corporeo cesset declaratur.

SOPHISMA VI. 265

Expositio. Duplex Epicuri argumentatio pro Animæ mortalitate explanatur, quæ potissimùm ex Animæ sede, & agendi modo in corpore organico educitur.
Confutatio. Utraque Lucretii dubitatio, ex nostro Apparatu, ut subdola & inanis rejicitur. Duplex operationum genus in humano Animo distinguitur. Quàm immanè tandem decipiatur Epicurus, aperitur.

SOPHISMA VII. 269

Expositio. Epicuri ratiocinatio collecta, ex hominis interitu, & Animi propensione ac amore erga corpus, explicatur.
Confutatio. Fallacem, ac nullius momenti esse Lucretii argumentationem ostenditur. Cur organico corpore perturbato ab agendo cesset Animus, expenditur. Triplex natura, qua cõstat homo, accuratè exponitur. Ac demùm nostro opitulante Apparatu, Lucretiani Sophismatis fraus evelatur.

SOPHISMA VIII. 274

Expositio. Lucretii Paralogismus potissimùm ex dependentia operationum Animæ ab organis corporis depromptus, enucleatur.
Confutatio. Epicuri detegitur error. Quam sibi repugnet Epicuri sententia, demonstratur. Qua ratione Animus in aliqua corporis parte insigniter vigere, aut sedem obtinuisse dicatur, paucis exponitur. Humanum Animum, ut sit, & vivat, haud sensu, & phantasia, sed sola intelligendi virtute indigere, probatur. Quo pacto intelligens Animus à corpore seiunctus, ignis actione excruciari valeat, aperitur.

SO-

INDEX.

SOPHISMA IX. 280

Expositio. In medium profertur Lucretii Argumentatio, qua Animam sectilem & extensam, adeoque mortalem esse probatur.

Confutatio. Quam levis & captiosa sit Lucretii dubitatio ex nostro Apparatu ostenditur.

SOPHISMA X. 283

Expositio. Duplex Epicuri exponitur Argumentatio ex Animæ origine, & oblivione potissimum accepta.

Confutatio. Epicuri Dubitatio solvitur. Animum haud in semine propagari statuitur, Platonis, ac Pythagoræ de Animorum præexistentia ante corpora exponitur opinio. De Pythagorica Metempsicosi, atque de ortu & origine Intelligentis Animæ secundum Orthodoxorum doctrinam agitur. Epicureæ ratiocinationis dolus detegitur. Ex ingenitis primarum veritatum notionibus adversus Epicurum immortalem esse humanam Mentem ostenditur.

SOPHISMA XI. 287

Expositio. Explanatur Epicuri ratiocinatio, quâ ex corporis solutione, & modo quo corporeis organis innatur Animus, Animum cum corpore pariter solvi, & interire deducitur.

Confutatio. Insidiosa & fallax Epicuri argumentatio detegitur unà ac refellitur.

SOPHISMA XII. 289

Expositio. Epicuri argumentatio deprompta ex nexu, & congruentia, qua invicem Animus, & corpus copulantur, in medium affertur.

Confutatio. Duplex Epicuri Sophisma, nostro accedente Apparatu, detegitur & oppugnatur.

SOPHISMA XIII. 292

Expositio. Fallax Lucretii Argumentatio exponitur, qua ex Mortis metu, & variis hominum moribus Animorum caducitatem ostendere Lucretius enititur.

Confutatio. Lucretianæ ratiocinationis vitia deteguntur. Pythagorica Metempsicosis ut fidei ac Rationi diffentanea rejicitur.

SOPHISMA ULTIMUM. 294

Expositio. Declaratur postrema Lucretii argumentatio adversus Animorum æternitatem, ubi à partium enumeratione Animum morti obnoxium esse fundolo ratiocinio probatur.

Confutatio. Quam imperfecta sit ac mendax Epicuri ratiocinatio aperitur. Infectilia Epicuri corpora, & Inane, tanquam delirantis philosophiæ commenta, refelluntur. In novum sophisma incurrere Epicurum ostenditur.

MENS

sive

Augustinus pro sempiterna Mentis humanæ natura pugnans. In libro de Animæ immortalitate.

Prima Augustini argumentatio deprompta ex artium, ac disciplinarum immutabilitate, 297

Textus.

Exponitur, & roboratur Augustini argumentatio.

Augustinensis argumentationis Analysis, in qua sequentes propositiones demonstrantur.

I. Quid sit disciplina diligenter expenditur. II. Immutabiles, & à corruptione immunes sunt Disciplinæ. III. Semper esse & existere disciplinas necessum est. IV. Haud nusquâ, sed alicubi vivere, & regnare Disciplinas oportet. V. Substantia, cui Disciplina inseparabiliter inest, immortalis est, & sempiterna. VI. Disciplina soli Animo inseparabiliter inhæret. VII. Cum Homines ratiocinantur, verè Disciplinas possident, quas haud corpus, sed Animus in se habet.

Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.

Vsus Augustinensis argumentationis, nostro accedente apparatu, ad evertendam Epicuri doctrinam de humanæ Animæ natura, & compositione.

Secunda Augustini Argumentatio ex Rationis natura deprompta.

Textus.

Augustinensis Argumentationis Analysis, in qua sequentes propositiones demonstrantur.

I. Ratio aut Animus est, aut in Animo. II. Ratio immutabilis est. III. Omne corpus mu-

tabile est. IV. Ratio verè præstantior est corpore. V. Ratio verè est, atque in Universo existit. VI. Quævis corporis harmonia, & quidquid in ea continetur, corpori inseparabiliter inest.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Vsus Augustinensis argumentationis, nostrique apparatus ad impium Epicuri dogma oppugnandum.

Tertia Augustini argumentatio ex ipsamet Animi virtute, & immutabilitate deprompta. 318

Textus.

Analysis primæ partis, in qua sequentes propositiones demonstrantur.
I. Quædam constantia virtus est. II. Omnis virtus potest aliquid agere, nec cum non agit aliquid, virtus non est. III. Omnis porrò actio movetur, aut movet.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Analysis Secundæ partis, in qua sequentes propositiones demonstrantur.
I. Nullus motus sine substantia. II. Omnis substantia aut vivit, aut non vivit. III. Omnis substantia, quæ non vivit, exanimis est, & nulla exanimis actio.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Analysis tertiæ partis, in qua sequentes propositiones demonstrantur.
I. Corpus cum movetur, & loco, & tempore mutatur. II. Animus corpus tempore movens, tametsi ad unum finem tendit, tamen nec simul potest omnia facere, nec potest non plura facere. III. In intentione Animi perficiendi motum Corporis, præteritum, præsens, & futurum quodammodo in unum conjunguntur, in Corpore verò, quod movetur, successive tantum; & fluendo continentur.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Usus Augustinensis Argumentationis, & nostri apparatus, ad Epicuri fallacias detegendas.

Quarta Augustini Argumentatio ex Artibus in Animo delitescentibus deprompta. 334

Textus.

Analysis, in qua sequentes præpositiones demonstrantur.
I. Sedes virtutum in Animo tantummodo collocatur. II. Artes immutabiles sunt. III. si aliquid immutabile, & sempiternum est, esse tamen, ac vitam ducere non possit, nisi inseparabiliter in aliquo subjecto, & illius subjectum semper esse, ac vivere necessum est. IV. In quovis hominis Animo Artes inseparabiliter vivunt.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Vsus Augustinensis Argumentationis, & nostri apparatus ad Epicuri errorem oppugnandum.

Quinta Augustini Argumentatio deprompta ex necessaria humanæ Mentis conjunctione cum immutabili Ratione. 342

Textus.

Analysis, in qua sequentes præpositiones demonstrantur.
I. Tunc solum interit res, cum illius insignius, ac necessarium attributum mutatur, ac perit. II. Humanus Animus sive ratione suæ finitæ naturæ, sive corporis occasione, mutationem quandam subeat, tantùm secundum attributa contingentia, non verò necessaria mutatur.
Aynthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Vsus Augustinensis Argumentationis, & nostri apparatus ad Epicuri dogmata confutanda.

Argumentatio sexta deprompta ex eo, quod immutabilis Ratio nulla vi ab humano Animo sejugi valeat. 347

Textus.

Analysis, in qua sequentes propositiones demonstrantur.
I. Quid sit humana Ratio accuratissimè exponitur. II. Humanus Animus in comutabili veritati necessario conjungitur. III. Nullius Corporis vi ab Animo sejungi potest Ratio. IV. Nullus Creatus Animus Verum ab alio Animo sejugere potest. V. Nunquam incomutabile Verum deserit Animum; Sed illi perpetuò conjungitur. VI. Nequit ipsemet Creatus Animus voluntate se ipsum à Vero separare. VII. Quidquid immutabile, & sempiternum est, si alteram rem inferioris ordinis ità afficiat, ut ei vitam impartiens, inseparabiliter jungatur, eam quodammodo cogit esse, ac pariter immortalem, facit.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas

tas demonstratur.
Vsus Augustinensis Argumentationis, & nostri apparatus ad Epicuri errores refellendos.

Septima Argumentatio deprompta ex ipsamet Corporis immortalitate. 354

Textus.

Analysis, in qua sequentes propositiones demonstrantur.
I. Humanus Animus melior est, ac præstantior Corpore. II. Corpus ut corpus est, adeò est immortale, ut numquam tandem intereat. V. Potest aliquid ità tendere ad nihilum, ac perpetuò deficere, ut nunquam tamen omninò destrui, & interire valeat.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Vsus argumentationis Augustinensis, & nostri apparatus ad Epicuri doctrinam falsitatis convincendam.

Octava Augustini argumentatio deprompta ex ipsamet corporis immortalitate, haud ratione molis, sed speciei, & pulchritudinis.

Textus.

Analysis, in qua sequentes propositiones demonstrantor.
I. Corpus non seipso, sed potentioris, & superioris Naturæ virtute factum est. II. Vis corporis effectrix non tantùm in corporibus molem, & extensionem, verùm & speciem, ac pulchritudinem perpetuò fovet, ac tuetur. III. Non tantùm corporibus verùm etiam, & humano Animo sua inest species, ac pulchritudo.
Synthesis, in qua Animæ rationalis immortalitas demonstratur.
Vsus Augustinensis argumentationis, & nostri apparatus ad Epicuri doctrinam evertendam.

Nona Augustini argumentatio deprompta ex ipsiusmet humanæ Mentis vita, & incorporea natura. 365

Textus.

Analysis, in qua sequentes propositiones demonstratur.
I. In homine Animi vita Ratio, corporis verò vita ipsemet Animus est. II. aliqua res moveri propriè dicitur, cum ex animis manens, à vita deseritur, aut impropriè, quia corpus mortale est, & in partes solvitur, aut quia corporis affectio quædam, & temperatio est, quæ soluto corpore, in nihilum abit. III. Humanus Animus, ut intelligat, & incorporea cernat, necessum est, ut à corpore se se avertat, ac removeat. Quæ autem citrà corporis auxilium intelliguntur, maximè sunt sensibilium rerum naturâ certiora quidem, & evidentiora. IV. Humanus Animus non est ipsum corpus organicum, aut illius subtilior pars, aut illius temperatio; sed incorporeus est, & inextensus.
Synthesis. Mentem humanam sempiternam esse demonstratur. Augustinensis argumentationis, nostrique apparatus usus ad Epicuri Sophismata confutanda.

Decima Augustini argumentatio deprompta ex eo quod humanus Animus contrario careat, quo destrui possit. 371

Analysis' quâ sequentes propositiones demonstrantur.
I. Falsum, aut error nulla ratione humanum Animum interimere potest. II. Quævis Natura sive simpliciter infinita, sive limitata, quatenus est, seu Essentia dicitur, prorsus contrario caret. III. Immutabilis Veritas, quæ humano Animo coniungitur, neque ut veritas est, neque ut Essentia, contrarium habere potest.
Synthesis. Humanæ Mentis immortalitas demonstratur.
Vsus Augustinensis argumentationis ad Epicuri fallaciam detegendam.

Argumentatio undecima deprompta ex eo quod Humanus Animus nullo pacto in corpus trasmutari valeat. 375

Textus.

Analysis. Quâ sequentes propositiones demonstrantur
I. Humanus Animus nunquam appetit, ut sit corpus, quin etiam suapte natura a corpore, ut corpus est, summopere abhorret.
II Nulla res cogere potest humanum Animum, ut in corpus convertatur.
Synthesis. Humanum Animum ab interitu immunem esse ostenditur. Augustinensis Argumentationis Vsus, quo Epicureæ Doctrinæ falsitas planiùs manifestatur.

Vltima

Vltima Auguſtini argumentatio deprompta ex eo quod Humanus Animus, neque in ſomniis intelligendi poteſtate deſtitui, aut in corpus converti poteſt. 381

Textus.

Analyſis. Quâ ſequentes propoſitiones demonſtrantur.

I. In homine dormiente nullo pacto intelligendi virtute deſtituitur Animus, ſed adhuc cogitat, & vivit. II. Propinquior magiſque affinis eſt primis, & æternis rationibus humanus Animus, quam corpus. III. Elegantiſſimus rerum, & Vniverſi ordo ſequens eſt, ſub perfectiſſimi, & incommutabilis Animi imperio finitus, & imperfectus iacet Animus, cui fingula ſubduntur corpora, quæ ab illo ſpeciem robur, ac pulchritudinem accipiunt. IV. Nulla corporis mole humanus conſtat Animus.

Syntheſis, Humanum Animum immortalitate gaudere demonſtratur. Vſus Auguſtinenſis argumentationis, & noſtri apparatus ad Epicurum refellendum.


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [426] - -
PUBLIC DOMAIN

Errata			*Corrige*
Pag.	*Lin.*		
ix	22	Ratiocimantis	Ratiocinantis
xiii	31	impræſentiarum	in præſentiarum
20	26	Qui factum	qui factus
32	1	Statis	Satis
40	45	Animantium	Animantum
44	5	inſtrinſecus	intrinſecus
110	19	Plantonis	Platonis
177	13	Primæ	Primus
198	30	irruite	irruit
214	16	me vive	me vivere
227	32	Neuuiquam	Neutiquam
248	5	Et quoniam mentem ſanari &c.	Deme hoc] carmen, quemadmodum & cætera quæ ſequuntur, quorum alia ad Sophiſma quartum, alia verò ad quintum ſpectant.
297		Sophiſma undecimum tertium.	Sophiſma decimum tertium.

Alios errores, qui in hoc Opus irrepſerunt, ad numerorum ordinem, & Ortographiam potiſſimè ſpectantes, benignus corrigat Lector; quos Author, totus rebus, ac rectæ ratiocinandi methodo addictus, neutiquam ſe vidiſſe fatetur.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 92, [427] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [429] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [430] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 828 262

136

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [431] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [432] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 92, [433] - -